E XV e 8

Historiae morborum observationibus
Historiae morborum observationibus atque epistolis illustratae. 120
consultationibus atque epistolis illustratae. 120
in folio perg. (4328) . . . . .
in folio perg. (4328) . . . . . magnifico ri-
Il inciso da Marc'Antonio dal Re, dal dipinto
di Tiziano, cui è dedicata l'opera, dal dipinto
da FELICIA SARTORI ed inciso da CAR.
di F. Zucch

N.° d'inventario 5967

[illegible]

HISTORIÆ MORBORUM

ДЕЛОПРОИЗВОДСТВО

Mercibus cuncta fodiscunt

47422

HISTORIÆ MORBORUM

OBSERVATIONIBUS AUCTÆ

ET CLARISSIMORUM VIRORUM CONSULTATIONIBUS
ATQUE EPISTOLIS ILLUSTRATÆ

AUCTORE

FRANCISCO RONCALLI
PAROLINO

Academiæ Bononiensis Socio, & Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priore.

LEONARDO TIRABELLA An: di G. C: 1888 BIBLIOTECA DE LOT

BRIXIÆ CIↃIↃCCXLI.

Excudebat JOANNES BAPTISTA BOSSINI

SUPERIORUM PERMISSU.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISSIMO

FRIDERICO CHRISTIANO

REGIO POLONIARUM, ET ELECTORALI SAXONIÆ PRINCIPI

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

Agni Tui nominis auſpiciis ornatas en, Princeps Excelſe, Hiſtorias Morborum in lucem edo. Verebar equidem primo, nec fas eſſe ducebam ejuſmodi patrocinium exoptare, quod immane quantum

ſuperat conditionem meritumque exoptantis. Verum animum fecerunt mihi præclara exempla, quæ hoc in genere habemus; ſcilicet Auguſtiſſimi Principes, qui res medicas typis vulgatas comiter ac blande exceperunt, nec quicquam priſtinæ ſuæ dignitatis amittere putarunt, ſi ad fovendos ingeniorum fœtus in publico judicio deſcenderent. Notum eſt, præcipue Tibi, qui veteres novaſque hiſtorias probe tenes, qualis Macedonum Rex fuerit erga Ariſtogenem Thaſium, qualis erga Valliſnerium præceptorem noſtrum Carolus VI. Romanorum Imperator; ille ipſe, qui cum, dum viveret, arctiſſimo neceſſitudinis vinculo conjunctus eras. His fretus exemplis animum cepi, ſpectans potiſſimum ad illam humanitatem, facilitatem, prudentiam, doctrinam, ceteraſque dotes egregias, quæ Tuam majeſtatem dignitatemque ubique comitantur. Profecto ſtatim atque Te per Brixianam urbem tranſeuntem, & præſentem præſenti mihi primum aſpicere contigit, poſt Venetiis ad Regiæ Manus oſculum accedere licuit; cum inſuper in mentem venirent ea, quæ de Te prædicantur, mira admodum, & qua ætate es, pene incredibilia, cogitavi qui fieri poſſet, ut mihi tantum Mecœnatem pararem, & tantum lucis ac

ſplen-

ſplendoris meis lucubrationibus affunderem. In primis autem mihi incitamento fuit Tuus in literas amor, & in omnibus diſciplinis liberalibus comparandis ardor ingens, quo fit, ut ſpretis voluptatibus, & otio, improba ſirene, in id ſedulo incumbas, ut inter commoda regiæ domus, inter illecebras, & opes, nihil Te ſeducat, nihil retardet ab ea bonarum artium cultura, quæ Te jam nunc ſpectatum facit, atque hinc aliis exemplo eſſe poſſis. Addo, quod alii per longos labores, & vigilias, per belli, paciſque difficultates, per cultioris orbis itinera vix faciunt, ut ſimul & vitam ſapienter inſtituant, & pacis bellique artes optime calleant, tum etiam docti, & literati fiant, id Tibi tam mature, nec labore ita multo contigit, ut a natura ipſa inditum Tibi videatur & ſapere, & ſcire, quæ ſciri poſſunt, & diſceptare de iis, quæ ſæpe vel ipſos artium magiſtros torquere ſolent. Ad quæ quo magis animum adverto, eo magis in ſpem venio fore, ut æquo animo bonamque in partem accipias meum deſiderium, nimis audax quidem, at non injuſtum nec intempeſtivum, ſacrandi magnitudini Tuæ hos, qualeſcunque ſint, labores meos. Accedit, quod, cum dignitas artis medicæ ea ſit, quæ inter omnes ſcientias

pri-

primum locum obtinet, ſi eam excipiamus, quæ agit de Deo ac Religione, rationi conſonum eſt, ut illi tales patronos exquirant, quos Deus in altiore gradu conſtituit, adeoque inter alios principatum habent. Quod me conſecutum eſſe nullus relinquitur dubitandi locus, ſi, ut taceam cetera, modo conſideremus admirationem illam, ad quam Venetos, inclytam eorum urbem ingreſſus, rapuiſti. Quem autem non traheret ſingularis largitas in alienis laboribus rependendis, humanitas in obſequiis excipiendis, &, quod rarum, inſignis moderatio in tanta ditionis, & poteſtatis amplitudine? Quod ſi licet diſciplinæ, quam profiteor, aliquid etiam adblandiri, hæc quodammodo jus habet libere ad Principes accedendi, eoſque in præſidium, & ſubſidium vocandi; quippe quæ ſubditorum incolumitati conſulens, eodem tempore & Dynaſtarum potentiæ, & regnorum firmitati provideat. Hiſce de cauſis ſpes, quam de Te auſpice concepi, magis magiſque confirmatur. Neque vero hic, quod plerique omnes faciunt in edendis & dicandis voluminibus, mihi quoque tentare animus fert; nimirum geſtas res Tuorum majorum, partamque gloriam recinere. Victorias, triumphos, cetera Familiæ monumenta celebrare faſtorum eſt, non epi-

ſtolæ : eſt gravium ſcriptorum ; non mei, tanto oneri citra controverſiam imparis. Nec ſane Tuorum Proavorum merita indigent præcone tam tenui , jam in publicis actis plene deſcripta , & apud omnes , a quorum urbibus ſol non tam averſus equos jungit , crebris ſermonibus uſurpata . Jam in ore eſt univerſis gentibus , Te Principes illos Viros , & Monarchas non ſolum coæquare , ſed tot , ac tanta præſtiturum , ut in Te uno poſteritas admirabunda conquieſcat . Obſtupeſcet nempe virtutem , potentiam , auctoritatem , & gloriam , non modo bellicis rebus partam , ſed etiam pacis tempore ſemper auctam integramque ſervatam : contra quam nonnulli regnantium facere viſi ſunt , victores bello , pace victi , & ſubjugati. Admirabitur, & nunquam memorare deſiſtet curam , & cautionem , ne populorum ſubjectorum animi labefactentur a vitiis , ne bonæ artes ac ſcientiæ collabantur ac pereant , uno verbo ne omnia parabilia ornamenta in ampliſſima ditione deficiant ; quemadmodum & de Auguſto II. Avo Tuo memoriæ proditum , qui præter alia decora majora , quibus ſubditas regiones exornavit , ſingulari quoque Murrhæ magiſterio celeberrimas reddidit . Sic (quod olim de Trajano ferebatur) Te di-

cent populi a Deo missum, quia liberalium artium restitutorem. Te Augusti Patris vestigia subsequentem prædicabunt, capti morum integritate, & Christianæ Religionis zelo. Quid plura? Te exemplar ac typum bene regnantium ostendent, & sibi in hac parte præsertim invideri gaudebunt. Sed quid ego & Generis, & Proavorum, & eorum, quæ ipse non feceris, mentionem faciam, cum ne ea quidem, quæ laudanda quotidie facis, Tua existimes; omnia D. O. M. accepta referens, & omne bonum desursum esse cognoscens? Nec ignoro parum grata esse Tibi, quæ nunc carptim de Te scribo, propterea quod ut digna laude perpetras, ita laudari detrectas. At quæso nunc patere, vimque Tibi ipse facito; non enim alio mea consilia spectant, quam ut mihi ad Tuos pedes provoluto annuere digneris, æqui bonique faciens hoc, quod offero, munusculum, atque adeo particulam ejus inexhaustæ humanitatis, quam ad Te accedentes experiuntur, impertiens. Te diu superstitem, & incolumem Tibi, & orbi D. O. M. servet.

Brixiæ 10. Augusti 1741.

Rosalb. Carie : pinct. *Felicita Sartori del.* *Car. Orsolini Sculp. Ve*

FRIDERICUS CHRISTIANUS
Regius Poloniarum et Electoralis
Saxoniæ Princeps.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padoa .

AVendo veduto per la Fede di Reviſione , ed Approvazione del P. *F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore di Venezia* nel Libro intitolato : *Hiſtoriæ Morborum Obſervationibus auctæ &c. Auctore Franciſco Roncalli Parolino* , non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica , e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro ; niente contro Principi , e buoni coſtumi ; concedemo licenza a *Giam-Batiſta Boſſino Stampatore in Breſcia* , che poſſi eſſer ſtampato , oſſervando gl' ordini in materia di Stampe , e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia , e di Padoa .

Dat. li 25. Febbrajo 1740.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*

(*Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.*

Agoſtino Bianchi Segret.

Regiſtr. in Libro a fogl. 73.

Veneror itaque inventa ſapientiæ, inventoreſque adire, tanquam multorum hæreditatem juvat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum patrem familiæ; faciamus ampliora, quæ accepimus &c. Sed etiam ſi omnia ab aliis inventa ſunt; hoc ſemper novum erit, uſus, & inventorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio. Corporis remedia inventa ſunt ab aliis; quomodo autem admoveantur, aut quando, noſtri operis eſt quærere. *Seneca Epiſtola 64.*

Ratiocinationem laudo, modo ex iis, quæ ſenſus comprehendunt, aut experimenta oſtendunt, naſcatur. *Hippocrates Lib. de priſca Med.*

Nemo noſtrum ſatis eſſe poteſt ad artem ſimul & conſtituendam, & abſolvendam: ſed ſatis ſuperque videri debet, ſi quæ multorum annorum ſpatio Priores invenerint, Poſteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant, atque perficiant. *Galenus Com. Aphor. I. Sec.* 1.

Si excipias enim paucos illos obſervatores, qui caſus, & Hiſtorias medicas diligenter, fideliter, & ad vivum prout ab ipſa rei natura procedebant, deſcribendo, Medicinæ pomeria ſummopere ampliarunt; ea, quæ reliqui adiecere, falſam theoriam, & hujuſmodi ineptias ſpectantia, turbarunt potius, impediveruntque illius progreſſus. *Baglivus Praxeos Med. lib. I.*

Cæcutiente igitur in hiſce arduis ratione, obſervationes utcumque fuerint delineandæ, nulliſque ſpeculationum fucis adulteratæ lectoribus proponendæ. *Idem Baglivus .*

Hinc videmus, eam demum Theoriam, quæ ex praxi, atque experientia deſumpta, & quæ Hiſtoriis morborum explicandis accommodari poteſt, ipſamque experientiam poſtea reddit rationalem, recte dici medicam, & eſſe optimam. *Fridericus Hoffmannus Tom. I. cap.* 1.

F. Zucchi sculp.

PRÆFATIO.

UT ab orbis uſque primordiis humanam corporis fabricam varium morborum genus impetiit, ita ab omni etiam ævo homines contra ire, ſeſeque ab iis tueri curarunt. Et quamvis cura hæc adverſus hoſtiles impetus comparata, proceſſu temporis facta ars, ſuos identidem habuerit manes, attamen creſcentibus in dies adminiculis, atque ſubſidiis, ad longe majorem potioremque ſtatum, ac perfectionem evecta eſſe dignoſcitur. Huic porro incremento latior adhuc patebit via, *ſi viri*, juxta Oldenburgium, *undequaque eruditi utiles ſcientias, & artes*, Medicam in primis, *non meris ſpeculationibus, ſed probata obſervationum, & experimentorum fide promovere ſatagant*. Neminem enim latet, quemadmodum eloquentiam perhibent ab obſervationibus alieni ſermonis paulatim coaluiſſe, ita facultatem de qua agimus, ſimiliter perfici ab animadvertendis alienis caſibus, & incertis naturæ humanæ viciſſitudinibus: hoc tamen intercedente diſcrimine, quod hujus germanæ artis inſtitutiones ſola praxi firmantur, & ſtatuuntur, unica fere magiſtra, certaque viam hanc ineuntibus duce.

Theoriarum varietas, ſubtiliſſimæ hypotheſes e cerebro natæ, ſectarum quæſtionumque cultus, & multitudo, tantum abeſt, ut ulli ad progreſſum momento fuerint, quin potius medicam rem oppreſſerint, ac retardarint, inopem quodammodo ipſa copia faciente. Empirice quippe in Jonia ab Epheſinæ Dianæ templo ejuſdemque exiguis tabulis deſumpta, qualitates elementares, Galenicæ pathologiæ, acida, atomi, ætiologica cogitata, enchireſes media pyroſi peractæ, fluidorum, & ſolidorum momenta mechanico, & geometrico calculo commenſurata, ſimplicium antiquitus promiſſæ vires, ipſa etiam Anatome, aut ſolitaria non ſufficiunt, aut ſimul juncta claudicant, neque ſubſiſtunt, niſi praxis accedat, ac fulciat, quæ morbos inter Ægroſque verſando comparatur. Quamobrem

cum

cum ſcientiæ quidem omnes in pretio eſſe debeant, ſed eo magis, quo quæque utilior homini, eumque ſervare poteſt, plurimi practicam medicinam faciendam eſſe, nemo inficiabitur. Hinc ſi Medici titulum jure obtinere contendimus, in alta hac rerum nocte, non cavillantes in laſcivientis phantaſiæ deliquiis expatiari, aut tempus terere debemus; ſed improbo obſervationum labore naturam ſubſequentes, raro fallacem, humanæ ſoſpitati operam dare. Ars quippe medendi tunc tantummodo ad apicem perveniſſe dici poterit, quando ſimilis facta erit naturæ.

Hinc igitur, tamquam abs limine, ductis auſpiciis, recta eundum eſt ad expendendam peculiarem cujuſcumque regionis conſtitutionem, vernaculos, & populares morbos; qua ratione ſcimus artis principem divinum ſenem facem nobis præferre voluiſſe; magno ipſo teſtante Lanciſio, quando ait: *Medicos, qui artem facturi ſunt, multarum rerum cognitione inſtruere oportet, priuſquam ad curandos cives, vel advenas accedant.*

Verum utut facturus medicinam, quæ diximus, probe teneat, non ideo praxi cenſendum undequaque conſultum. Illud enim ſemper deſiderari viſum eſt, ut longo, incredibili experimentorum criterio peculiares Hiſtoriæ conſtarent, ubi quæ ab exteris etiam nationibus adhibita ſunt ad reſtaurandam hominum ſalutem, in uſum ſub hoc cœlo verſa, quæ noxia, quæ utilia fuerint, ad vivens, nutanſque automa reſtituendum, unuſquiſque ſcire poſſet.

Quod vero hæc omnia præſtari non poſſunt, niſi per exempla, ideo nos, præmiſſa una, vel pluribus de eodem morbo Hiſtoriis, peculiares viginti annorum obſervationes, interdum generatim ſumptas, addidimus, pluribus experimentis comprobavimus, remedia non omiſimus, auctoritate graviorum Scriptorum fulſimus, & quandoque adnotationibus in imo paginarum adſcriptis, & pro re nata clariſſimorum viventium Virorum conſultationibus, & epiſtolis totum opus in certa quædam genera digerendum, & illuſtrandum curavimus; ſperantes (niſi nos philautia decipit) fore, ut in illis morbis, de

qui-

quibus ſermo factus eſt , aliquid lucis in Ægrorum curatione affulgere poſſit .

Neque tamen a ſola praxi , ab aſſiduo obſervationum prope Ægrorum lectulos tædio effecta , ita rapti & obcæcati ſumus, quin fateamur , incorruptæ candidæque fidei , & doctrinæ Scriptorum , & præcipuarum Academiarum conſulenda ſæpe , ut in re difficili , oracula ; & a præcipue notæ magiſtris , tum præſertim a clariſſimorum Virorum congreſſibus aliquid reſponſi petendum eſſe . Lycea enim, Cætus , Academiæ in toto orbe ſemper fuerunt maxima ſcientiarum omnium fundamenta , quæ & in urbe Brixia a Medicis , & multigenæ eruditionis Viris jacta olim fuere , ut teſtatur Opus Octavii Roſſi publicas per omne ævum Academias memorantis , & dialogus VII. Aloyſii Mundellæ Medici olim Brixiani præſtantiſſimi , ubi loquitur *de Callimachi ædibus , hortulo amæniſſimo conjunctis , quo conferri conſueverunt diverſa excellentiſſimorum Virorum ingenia* ; ejuſdemque epiſtola medicinalis *Academicis ſuis* miſſa .

Quem quidem morem utiliſſimum non ita pridem a *Cenomanis Arcadibus in coloniam deductis* promotum vidimus , & in præſentiarum etiam redivivum & excultum gratulamur, ſtudio Nobilis Viri Comitis Joannis Mariæ Mazzuchelli , qui laudabili exemplo Brixiana excitavit ingenia ; & permiſit , ut apud ſe ſtatutis diebus fierent academici congreſſus ad fovendum , promovendumque literarum omnium , interdum etiam rerum phyſico-medicarum , incrementum .

Cumque populorum, & urbium gloria ſemper ea fuerit, ut aut in bello , aut in bonis artibus , ſcientiiſque egregios ſeſe præſtarent , quis neget , Brixianam gentem caram utilemque Patriæ in re militari, aliquid etiam in literaria nomen decuſque geſſiſſe ? Nemo ſane , qui modo legerit *Specimen Variæ Literaturæ* illuſtrium Brixiæ Virorum, ab Eminentiſſimo Cardinali Quirino typis commiſſum , ſummo omnium plauſu , Brixianorum præcipue , tanto Principi , ſupra quam dici poteſt , omni ex parte debentium. Quis denique neſcit Planerium, Sachet-

chettum , Briſianum , Martinenghum , Paternum , Ulmum , Ochi , Beteram , Fraſcatum , Calzaveliam , Caſali , Æmilium , Vellam , Mazinum , ut ceteros taceam , de Brixiana patria urbe , & de Medicina publicis ſcriptis optime meruiſſe? Quamobrem licet eorum promerita a me coæquari minime poſſe ſciam , multoque minus *theſaurum potius , quam librum* conficere valeam , ut Plinius de Domitio Piſone dixit ; attamen cum turpitudini vertatur , niſi quod ab otio , & vitio proficiſcitur , ſperans , fore ut non ad opus tantum , ſed ad animum , & voluntatem attendatur , obſervationibus meis viam ſaltem monſtrare curavi , ut præſentes & poſteri tyrones de ſua patria benemereri ſciant .

Supereſt , ut aliquid peculiarius dicam de methodo , quam ſecuti ſumus . Data opera , gravium ſcriptorum exemplo , tam in Hiſtoriis , quam in Obſervationibus fere ſemper reticuimus Ægrorum nomina , ne quis propria infortunia celare amans , frontem contraheret , ſed eo magis , quia id nihil ad illuſtrandam praxim conſpirat . Medicum enim non de nomine Ægroti , ſed de nomine morbi , deque ejus cauſis , & geneſi ſollicitum eſſe par eſt .

Inſuper animadvertendum etiam , deeſſe Hiſtoriarum , & Epiſtolarum datarum diem ; quod fateor non bene factum , ſi infectum reddi poſſet . Medendi quippe methodus ſumitur a diverſo planetarum aſpectu , atque ab immutata temporum conſtitutione . Sed cum tunc factæ fuerint , non eo conſilio , ut cudèrentur , & dein conſarcinatæ , & ad memoriæ cauſam tantum ſcriptæ , & identidem adverſariis auctæ in muſeoli noſtri angulo relictæ fuerint , chronicum characterem amiſerunt , quem pro arbitrio in præſens addere piaculum eſſet .

Poſtremo addere libet , me neque Veterum , neque Recentiorum in verba juraſſe ita , ut religioni duxerim fidem , alibi datam , alibi mutare . Utriſque ſua laus danda eſt , neutris dedenda aliena ſalus . Hæc de ordine , & methodo operis noſtri . Cetera obvia tibi , candide Lector , fient , a quo hæc legi eo animo optamus , quo nos produximus . Vale .

INDEX

INDEX CAPITUM.

HISTORIA I.

Apoplexia cum oris tortura in hemiplexiam desinens. *Pag.* 1

OBSERVATIONES. *IN APOPLEXIAM.*

I. *Causæ ante agonem apopleticum cognoscendæ, & Corpus præservandum est.* 4
II. *Apoplexia a flatibus.* 6
III. *Cerebrum in sinistra parte læsum, quando dexteri artus siderati sunt, & contra.* Ibidem.

HISTORIA II.

Epilepsia in muliere 25. annorum ex meracioris vini abusu. 7

HISTORIA III.

Epilepsia a nimia ingluvie in adolescente, cum respirandi difficultate. 10

CONSULTATIO.

Francisci Nicolini super relatam Epilepsiæ Historiam ad Auctorem data. 14

OBSERVATIONES. *IN EPILEPSIAM.*

I. *Morbi eventus.* 19
II. *Indicationes in epilepsia sumendæ.* 19
III. *Aeris & Cæli vicissitudines examinandæ.* 20
IV. *Ubi de tribus præcipuis in epilepsia remediis.* 21
V. *Sectio Cadaveris hydrope, desipientia, epilepticis insultibus, antequam denascerentur, laborantis.* 22

HISTORIA IV.

Capitis inflammatio post lentam febrim in adolescente. 23

EPISTOLA AUCTORIS.

In qua rejicitur usus chinæ chinæ pro tollendo Morbo in hac Historia relato. 24

EPISTOLA ALTERA.

Rationes ab Auctore redduntur, propterquas china china dannata fuit, oxymel laudatum. 24

OBSERVATIONES. *IN CAPITIS INFLAMMATIONEM.*

I. *Animadversiones circa usum chinæ chinæ.* 26
II. *Æger cuncta, quæ scit, circa morbi causas, Medico narrare debet.* *Ibidem.*

HISTORIA V.

Raucedo in gutture, cutis impetigo, ventriculi debilitas, imorum viscerum æstus. 27

HISTORIA VI.

Salsa cutis impetigo, corporis plenitudo, perniones erysipelatosi. 31

OBSERVATIONES. *IN IMPETIGINEM, ALIOSQUE CUTIS MORBOS.*

I. *Cutis morbi non semper curandi.* 33
II. *Ubi de Erysipelate non tangendo.* 34

HISTORIA VII.

Scirrhus in lingua, & alter infra Mandibulam post hæmorrhoidum suppressionem. 36

OBSERVATIONES. *IN SCIRRHOS, ET SCROPHULAS.*

I. *Scirrhorum suppuratio lethalis duabus Historiis comprobata.* 40
II. *Arcanum ad curandas scrophulas.* 42

HISTORIA VIII.

Ulcus auris ab ictu externo cum doloribus suppuratoriis, & auditus læsione. 43

OBSERVATIO.

IN ULCUS AURIS.

I. *Remedium a Galeno laudatum.* 46

HISTORIA IX.

Myopia, seu visus debilitas in dextero potissimum oculo, ob nimios in studendo labores. 46

OBSERVATIO.

IN MYOPIAM.

I. *Collyria ex mineralibus laudantur.* 48

HISTORIA X.

Ophtalmia recurrens, frontis, & temporum inflammatio, Gallica lues originaria, & confirmata. 48

HISTORIA XI.

Herpes in capite, Lues Gallica in toto, post uvulæ & tonsillarum inflammationem. 50

HISTORIA XII.

Herbipoli Brixiam Auctori transmissa.

Lues Gallica, ulcus vesicæ, carunculæ in urethra. 53

AUCTORIS RESPONSUM. 55

EPISTOLA.

Georgii Corradi Sigler propositam ab Auctore Methodum confirmans. 58

OBSERVATIONES.

IN NOVAM METHODUM CURANDI &c. 58

I. *Quando laudanda.* 59
II. *Quando suspecta.* *Ibidem.*

HISTORIA XIII.

Lues Gallica, Melancholia cum doloribus in obeso. 61

HISTORIA XIV.

Lues venerea, cum febri continua. An Mercurialia adhibenda sint. 64
Morbi eventus. 66

OBSERVATIONES.

IN LUEM VENEREAM.

I. *Ubi de ejusdem essentia, & subjecto, deque cautelis necessariis in adhibendo Mercurio.* 67
II. *Mercurius princeps remediorum.* 70
III. *Auctoris Methodus.* *Ibidem.*
IV. *Inunctio Mercurialis.* 71
V. *In Gonorrhœam.* 73
VI. *Guajacum interdum Mercurio activius.* 72
VII. *De reliquis, præter Guajacum, Salsaperillam, & Mercurium, veneream luem curantibus.* *Ibidem.*
VIII. *Cetera ad curandam luem veneream specifica.* 75
IX. *Scriptores præcipui methodum curandæ luis docentes.* 76
X. *Sævientibus doloribus, caute narcotica adhibenda sunt.* *Ibidem.*
XI. *Post Mercurii usum, quæ agenda sint.* *Ibid.*

HISTORIA XV.

Melancholia, atrabilares scorbuticæ affectiones in Nob. Moniali. 77

CONSULTATIO.

Antonii Alpago in eandem Historiam. 77

CONSULTATIO.

Alexandri Macoppe. 79.

CONSULTATIO.

Grassini Cantarini. 80

HISTORIA XVI.

Melancholia, ventriculi morbosa affectio cum pustulis supra linguam. 82

HISTORIA XVII.

Menstruorum imminutio, gestationes laboriosæ, affectio Hypochondriaca. 85

HI-

CAPITUM.

HISTORIA XVIII.

Paſſio Hyſterica ſpaſmodica hypochondriaca in muliere. 88

CONSULTATIO.

Alexandri Macoppe in eandem Hiſtoriam. 90

HISTORIA XIX.

Hyſterica ſpaſmodica convulſiva affectio. 92

AUCTORIS RESPONSUM. 94

HISTORIA XX.

Affectio hypochondriaca, manus, & cruris tremor, ſputa ſanguine tincta. 96

OBSERVATIONES.

IN HYSTERICAM PASSIONEM.

I. *In qua agitur de tribus affectionis Hyſtericæ gradibus.* 99

II. *Hyſterica Affectio tam gravidarum, quam puerperarum: Obiter de quodam conceptu in tuba Fallopiana.* 101

III. *Ubi agitur de cauſis, & remediis Hyſtericæ affectionis ſecundum Antiquos.* 103

IV. *In remedia chalybeata.* 104

V. *In Bezoar Jovis.* 104

VI. *Specifica.* *Ibidem.*

VII. *Sydenham corticem Peruvianum proponit.* 105

HISTORIA XXI.

Affectio Hypochondriaca, vomitus, borborygmi, cruditates, oeſophagi contractio. 106

CONSULTATIO.

Alexandri Macoppe in eandem Hiſtoriam. 109

OBSERVATIO.

IN MORBI EVENTUM. 111

HISTORIA XXII.

Aſthma in Juvene triginta annorum. 111

HISTORIA XXIII.

Aſthma poſt vulnus humeri cum febri continua, & ſputis cruentis. 115

HISTORIA XXIV.

Aſthma ſputum ſanguinis, affectio hypochondriaca. 116

HISTORIA XXV.

Aſthma, cachexia, hydrops incipiens. 119

OBSERVATIONES.

IN ASTHMATICOS. 121

I. *Externa remedia quando adhibenda.* *Ibidem.*

II. *Purgantia & vomitoria interdum adhibenda.* *Ibidem.*

III. *Aer medicatus in Aſthmaticis aliiſque pectoris morbis admodum utilis.* 122

IV. *Vitra pro aeris medicati ſuffitibus.* 123

V. *In Aſthmate ſympathico pectoralia parum utilia.* 123

VI. *Remedia aſthmaticum affectum curantia.* 124

HISTORIA XXVI.

Febris Hectica in muliere. 124

CONSULTATIO.

Joannis Mariæ Fracaſſini in eandem Hiſtoriam. 127

CONSULTATIO.

Stephani Piccoli. 128

HISTORIA XXVII.

Sputum ſanguinis, tabes incipiens in Sene. 131

HISTORIA XXVIII.

Hæmophthiſis, reſpirandi difficultas: Macies cum lenta febri. Damnantur aquæ minerales. 133

HISTORIA XXIX.

Tuſſis, ſputum ſanguinis, macies. 134

HISTORIA XXX.

Sputum ſanguinis in Viro, olim podagra, & plagis in cruribus laborante. 137

OBSERVATIONES.
IN PHTHISIM &c. 138
I. *In qua agitur de consolidatis crurum plagis iterum promovendis, & aperiendis.* ibid.
II. *Ubi Methodus nostra producitur.* 139
III. *De Phthiseos contagio, & propagatione.* 140
IV. *De aliquibus Phthiseos remediis.* 141

HISTORIA XXXI.
Tumor in Mamma. 143

EPISTOLA.
Joannis Baptistæ Pastorini ad Auctorem data. 144
AUCTORIS RESPONSUM. 145

OBSERVATIO.
IN TUMORES MAMMARUM. 147

HISTORIA XXXII.
Cancer in Utero. 148

OBSERVATIONES.
IN TUMORES CANCEROSOS. 149
I. *Ubi de admirabili Tumoris Scirrhoso-carcinomatosi amputatione.* 149
II. *De signo futuri Cancri.* 150
III. *Utrum alkalia fixa cancrum, absque ferro, curare valeant.* 151
IV. *Nonnulla ad cancrum remedia.* 151

HISTORIA XXXIII.
Lumbago. 152

OBSERVATIONES.
IN LUMBAGINEM. 158
I. *Lumbaginis nomen quomodo intelligi debeat.* Ibidem.
II. *In Lumbagine missio sanguinis per sedales venas, interdum suspecta.* 159

HISTORIA XXXIV.
Ischiadicus dolor in obesa. 159

HISTORIA XXXV.
Claudicatio ob ischiadicam affectionem. 161

OBSERVATIO.
IN ISCHIADICOS AFFECTUS. 163

HISTORIA XXXVI.
Morbosa endemica constitutio, quæ Brixiæ an. 1730. grassata est. 164

OBSERVATIO.
IN ENDEMICAS CONSTITUTIONES. 166

HISTORIA XXXVII.
Spasmodica Ventriculi affectio cum vomitu, tussi, & hypochondriacis affectionibus. 167

CONSULTATIO.
Alexandri Macoppe in eandem. 168

OBSERVATIONES.
I. *Morbi eventus.* 170
II. *Sectio Cadaveris.* 171
III. *Anatome Therapoeam illustrat, & Morbi rationes redduntur.* 172
IV. *Casus duo haud dissimiles recensentur.* 172

HISTORIA XXXVIII.
Fluor albus cum vomitu, & ptyalismo in nob. muliere. 173

OBSERVATIONES.
IN ALBUM FLUOREM MULIERUM. 176
I. *Ubi præcipue de adstringentibus caute administrandis.* 176
II. *Specifica suspecta.* Ibidem.

HISTORIA XXXIX.
Nephriticus dolor cum calculorum exitu. 177

OBSERVATIO.
IN MORBI EVENTUM. 189

HISTORIA XL.
Febris, dolor in coxa, liene, hepate, singultus, urina nigra cum arenulis, ventris tumor. 181

EPI-

CAPITUM.

EPISTOLA.

Aloysii Garbelli ad Auctorem in eandem Historiam. *Ibidem.*

EPISTOLA ALTERA.

Aloysii Garbelli ad Joannem Baptistam Mazinum. 182

OBSERVATIONES.

IN NEPHRITIDEM.

I. *Signa diagnostica calculosæ affectionis.* 187
II. *Vinum calculos producit.* *Ibidem.*
II. *Diuretica vitanda sunt.* 188
IV. *Arcanum STEPHENS ad dissolvendum calculum.* 189
V. *Calculus solvitur a Mercurio dulci.* *Ibidem.*

HISTORIA XLI.

Urinæ Profluvium. 190

OBSERVATIO.

IN URINÆ PROFLUVIUM. 192

HISTORIA XLII.

Ulcus Vesicæ in Veneto Mercatore. 193

OBSERVATIONES.

IN ULCERA VESICÆ.

I. *Diuretica vitanda sunt.* 197
II. *Caute liquores medicati in vesicam adigendi.* 197

HISTORIA XLIII.

Femoris Fractura. 198

CONSULTATIO.

Joannis Baptistæ Morgagni in eandem Historiam. 203

OBSERVATIONES.

IN MORBI EVENTUM. 207

I. *Femur tandem solidatum.* *Ibidem.*
II. *Ratio claudiginis in Ægro.* *Ibidem.*

HISTORIA XLIV.

Tensio in Abdomine, & musculis intercostalibus sinistri lateris. 208

OBSERVATIO.

Mercurius concretiones solvit. 211

HISTORIA XLV.

Fistula in scroto, & Perinæo. 211

HISTORIA XLVI.

Hæmorrhoides dolorificæ cum subsequenti fistula in ano. 214

OBSERVATIONES.

IN ANI FISTULAS. 217

I. *Fistulæ absque ferro difficulter curari possunt.* *ibidem.*
II. *Callus ci fieri potest, ante sectionem corrodendus.* 217
III. *Sectio Fistulæ adaperta tenenda est.* 218
IV. *Methodus altera pro curandis ani Fistulis.* *Ibidem.*
V. *Cannulæ Magnitudo, & proportio.* 219
VI. *Ani Fistulæ utrum curari debeant.* *Ibidem.*

HISTORIA XLVII.

Dexteri pedis distorsio cum subsequenti debilitate. 220

HISTORIA XLVIII.

Tumor Ulcerosus. 221

OBSERVATIONES.

IN TUMORES ULCEROSOS. *Ibidem.*

I. *Quando adsunt signa cancri paucis remediis agendum.* 221
II. *Signa certa indolis non tangendæ.* 222

HISTORIA XLIX.

Affectus Pruriginosus. *Ibidem.*

OB-

OBSERVATIO.

IN AFFECTUS PRURIGINOSOS.

I. *Cucurbitulis, non venæ ſectione utendum eſt.* 224

HISTORIA L.

Ozæna. 224

OBSERVATIONES.

IN OZÆNAS. 225

I. *Ozænæ a lue Gallica.* *Ibidem.*
II. *Arcanum Hieronymi Mercurialis pro curandis Ozænis.* *Ibidem.*
III. *Nonnulla remedia.* *Ibidem.*

INDEX EPISTOLARUM

Quæ Operi accedunt.

I.

PHilippi Garbelli querentis tarditatem Auctoris inſcribendo, ſimul cujuſdam papilionis repente capti deſcriptionem inſtituentis. *Pag.*229

II.

Auctor eidem ſcribendi cauſas profert, & ratiônes, cur ſerotina ſit editio operis de Aquis Brixianis reddit. 231

III.

Philippi Garbelli, qua præcedentem accepiſſe, ſignificat, & admonet, non niſi ſero, & omnibus prius recte perpenſis ad vulgandum ſua eſſe veniendum. 232

IV.

Auctoris ad eundem, ubi fuſe agitur de læſa videndi vi, deque contumacis morbi cauſis, indicationibus, & remediis. Poſt quæ humaniter multa alia ſuadentur ad ſalutem ſervandam ſpectantia. 233

V.

Auctoris ad Antonium Leprottum, editum jam pridem de aquis Brixianis opus dono mittentis. 238

VI.

Leprotti gratias de munere agentis, & ſcribendi methodum, nec non phyſico-medicas animadverſiones probantis. 239

VII.

Eidem Leprotto ſuam Auctor in Bononienſis Inſtituti cooptationem notam facit: ſocietatem cum tanto viro ſibi ipſi gratulatur, & dono exhibet exemplar Medico-phyſicarum diſſertationum tunc primum in lucem prodeuntium. 239

VIII.

Pauli Valcarenghi veram medendi rationem inquirentis, plura ſecundum tutiorem methodum ratiocinantis, & Auctorem excitantis ad communicandas ſuas circa hepatis morbos obſervationes. 240

IX.

Auctoris ad eundem, ubi factæ de hepatis morbis obſervationes recenſentur, & multis experimentis comprobantur. 242

X.

Carolo Franciſco Cogroſſio Auctor nuper editas diſſertationes exhibet, & tractatum de febribus non curandis ſibi commodari petit. 246

XI.

Idem Cogroſſius Patris, Filiique jacturam ſignificat, conſilium ſcribendi de uſu purgantium in aere Brixiano laudat, & ad ſecundam diſertationem quod attinet in nebulones ſe invulnerabiles jactitantes invehitur, aſtrologis nihil concedit. Mox quæ inſerta ſunt in opuſculis P. Calogerà circa quædam ridicula præſtigia iterat. Hæret incertus, quodnam judicium ferendum ſit de infixis, & abſconditis in corpore animato acubus. Tandem tractatum de febribus non curandis nondum cuſum dicit, & P. S. addit modicum activitatis Valliſnerium Ægagropilis tribuiſſe. 246

XII.

Andreæ Paſta Auctor voluntatem videndi vulgatas ejus epiſtolas notam facit, ſervatam in iiſdem methodum probat, & plurimis fuſe rationibus oſtendit, in demortuis poſſe ſanguinis concretiones tam in venis, quam arteriis abundare; & peculiaria profert ſigna ſciendi, num polypi in vaſis majoribus ante, vel poſt mortem concreverint. Simul dono mittitur Opuſculum phyſico-medicas diſſertationes continens. 250

XIII.

Paſta humaniter reſpondet, ſibi gratas fuiſſe Auctoris literas: ſuas jam prælo commiſſas animadverſiones reſumit circa majorem vel minorem ſanguinis poſt mortem in venis, aut arteriis exiſtentiam, & concreſcentium polyporum tempus. Pluribus ratiociniis dubia, & quæſtiones, partim addendo, partim obſtando ſolvit, & ambas propoſitiones in meliori lumine collocat. 256

XIV.

Cum Joanne Baptiſta Morgagno antiqua officiorum neceſſitudo inſtauratur; cauſaque ſuſtinetur cur, & quomodo in tertia opuſculi Auctoris diſſertatione de adactis in corpore animato acubus mentio facta fuerit. 265

XV.

X V.

Ejuſdem reſponſio humaniſſimis ſenſibus referta : ubi raram, & nunquam a ſe viſam fatetur extraneorum hujuſcemodi corporum in corpore coacervationem. 267

X V I.

Ad Philippum de Violanti grati animi teſtimonium, quod Auctorem, annuente Primario Inſtitutore Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Comite de Vvackerbar ad Regiæ manus oſculum promoverit. De adnexis, & dono miſſis Diſſertationibus ſermo. Ad nova inventa in re medica producenda ſtimulus additur. Item alia de miris exterarum regionum ingeniis, de commercio literarum in publicum bonum inſtituendo. 267

X V I I.

Joannis Baptiſtæ Mazini agentis de conſtitutione ſanguinis Brixianorum, deque mechanicis legibus, quibus nitroſa effluvia agunt in corpus animatum. Ubi inſuper nonnulla leguntur de tranſpiratione ; de aquis ab aquilonari plaga provenientibus ; de Patavinorum temperamentis ad phlebothomias magis diſpoſitis, de china china quomodo adhibenda, deque exequendis, ut medica praxis minus claudicet. 269

X V I I I.

Auctoris ad Joannem Mariam Finonum Medicum Brixianum, ubi difficillimus caſus diuturnæ febris deſcribitur, ſymptomata morbum concomitantia explicantur, ejuſdem cauſæ diſquiruntur, ſcholarum methodi circa febris originem confutantur, ſolaque bilis, & primarum viarum criſpatura, & corrugatio pro cauſa primaria contumacis morbi ſtatuitur, integre excluſo in vaſis majoribus vitio. Deinde hortatur ut in Academico Phyſico-medicorum cætu, qui ſtatutis diebus apud nobilem Virum Aloyſium Garbellum fit, arduus caſus examini ſubjiciatur. 270

X I X.

Auctoris ad Gaſparum Cucchi exemplar diſſertationum adjicientis, ſimul querentis de tacito ejus Brixiam adventu ; mox de improviſo inde diſceſſu. 276.

HISTORIA I.

APOPLEXIA CUM ORIS TORTURA IN HEMIPLEXIAM DESINENS.

1. IMpotentia ad motum dexteri brachii in egregia Muliere temperamenti calidi, proindeque cruris, & pedis de repente oborta, una cum oris tortura, atque ad loquendum hebetudine, mox paucis horæ quadrantibus adeo adaucta, ut omnino expers locutionis evaſerit (1), ſunt indubia apoplectici inſultus teſtimonia; qui tamen poſtremo, cum dexteræ tantum partis ſyderationem attulerit, ad hemiplexiam inclinare videtur. Cum autem pluries jam ſecta vena, & ſpecificis in uſum poſitis medicaminibus, exarata ſymptomata aliquatenus miteſcere viſa ſint, ſic reliquum in præſens eſt, ut ad examen revocatis diri adeo affectus cauſis, curativa, quoad fieri poteſt, purgatio inſtituatur. Quamobrem ſicuti organicarum partium, & muſculorum contractio, & motus fit per perennem æqualem ſanguinis per arterias, & venas, laticis nervei per reſpondentes tubos influxum; ſic, cum videamus locutionis, brachii, cruriſque motum præpediri, quinimo ſuffla-minari, conjecturam ducere poſſumus, in inſervientibus vaſorum, & oſcillantium utriculorum ordinibus morboſam cauſam hærere. Etſi vero ad ſtagnantem, aut comprimentem lympham, atque lenteſcentem ſanguinem referri poſſit, vel potius ad acrem ſynoviam nervoſas appendices corrugantem, & præcipue ſeptimæ conjugationis non minus, quam eas, quæ inter quintam, ſextam, & lumbares vertebras excurrunt, idque ſatis conſtare poſſe videatur; nihilominus, cum alacris Ægra nec ſenex, nec plethorici habitus, nec multum obeſa ſit, ſectaque vena, miſſus ſanguis vividus, & floridus apparuerit; ſic ſignanter poſterior liquidorum dyſcraſia culpanda venit in caſu noſtro, ubi fervida, & æſtuoſa viſcerum, & præcipue hepatis, conſtitutio, aucto bilis proventu (2), morbi ſeminium fovet, & alit, ventriculi ataxia, irrequieti ſalium cuſpides, & acida cruditatum congeries ſanguinem, & ſpiritus animales inficit, uterino & hyſterico forſan fermento morboſas cauſas confirmante. Qui-

(1) Juxta illud Hippocratis lib. 6. Aphoriſ. *Et muti fiunt, & ſtertunt.*

(2) *Bilis, ſi ſumme acris, efficit apoplexiam fortem*: Hippocrates lib. de Glandulis. *Si craſſa, pituitoſa, & atra efficit, diuturnam*: Galenus in Commentario.

bus ſane poſitis , nil mirum eſt , ſi laticum commeatus hoc vel illo loco aboleatur , aut ſaltem intercipiatur , ex ſecundario , & pedetentim ſuſcepta heterogeneitate , atque ab acidi embammatis ad ſtagnandum promptitudine ; in quo motus privatio , aut debilitas conſiſtit . Nil enim eſt facilius , quam ut fibroſi canalium parietes , & villi vel ab intra , vel ab extra fluentibus acido-acribus fluidis vellicentur , pungantur , corrugentur , & vitioſe veluti modificentur , ut ſubinde vaſorum , & nervearum appendicum conſtrictio , & coalitus oboriatur . Et licet media cordis ſyſtole , urgentibus auricularum , & ventriculorum muſcularibus lacertis , impulſus cruor , atque ex medullari ſubſtantia per corporum ſtriatorum proceſſus , & obviam oblongatam ſpinam euntes ſpiritus animales (ſpiritus enim animales admittendos cenſemus , quod ſemel dixiſſe ſatis ſit) obſtacula , canalium corrugationes , & quælibet impedimenta removere deberent ; attamen ob naturalem ſucceſſive enatam fibrarum rigiditatem , proindeque amiſſam ad oſcillandum aptitudinem , ob ſpirituum animalium parvitatem , aut vappeſcentiam , & fermentorum omnium inertiam , nec non ob antehac fatiſcentem ſolidorum vim , perit cum fluidis æquilibrium ; ideoque & de repente oborta apoplexia eſt , & ſubinde ex pedetentim coagmentatis cauſis hemiplexia enata .

Quæ cum ita probabiliter ſint , eo collimare deberent artis tentamina , ut in infernis viſceribus ſympepſis promoveatur , ſalina ſpicula hebetentur , fibrarum corrugatio , & rigiditas laxetur , clauſæ viæ reſerentur , uterinæ compagi proſpiciatur , promotoque hinc ſpirituum , præcipue animalium , circuitu , oris & artuum motus reviviſcat .

Ad remedia vero quod attinet , quæ ex ærario Chirurgico depromi poſſunt , circa ſanguinis miſſionem jam ſatis ſuperque actum eſt (quando nova non ferat occaſio , quam Deus avertat) ſcilicet ob evacuationem tantum . Etenim pro illius motu conciliando , potiſſimum ſi adhuc aliqua linguæ hæſitatione trepidet , poterit , docentibus Zacuto Luſitano , & Aretæo (1) , bis in occipite ſecari cucurbitula , ut perbelle notat Clariſſimus Morgagnus in *Adverſariis Anatomicis* VI. , aut venis ſedalibus affigi hirudines ad mentem Magni Hippocratis (2) (3) . Præmiſſis vero frictionibus artuum affectorum cum linteis calida effumatione croci , baccarum lauri ,

(1) De curatione Acutorum .

(2) Libro de coacis : *Syderatis , ſi hæmorrhoides accedant , utile eſt* .

(3) Lanciſius *Tractatu* de ſubitaneis mortibus *in Hemiplexia* ſanguinem extrahit ex parte paralytica laborante .

lauri, & ſuccini imbutis, laudabilis erit unctio (1) ad vertebras uſque perveniens, ſcilicet ad laborantium nervorum originem, ex æquali portione olei rutacei, de capparibus, felis ſecundum Foreſtum, aut ligni Heraclei ſecundum Rulandum, & pinguedinis humanæ, aut ſaltem muris montani (2), vel denique balſami peruviani cum vitello ovi diſſoluti, aut unguenti ſaponis a Cratone deſcripti, addito ſpiritu formicarum, aut lumbricorum terreſtrium, vitatis ſemper ſtimulis fortioribus in partibus laboranti regioni proximis, ne ſpiritus, tubis corrugatis & clauſis, in exploſivum orgaſmum excitentur; alvo præterea ſemper clyſteribus, & ſuppoſitoriis ſubducta.

Et quia in arduis morbis, & curationi reluctantibus majora ſemper tentanda ſunt; idcirco licet temporis conſtitutio integre non arrideat, attamen fomentationes (3) (4), balnea calentia, ſemicupia magni eſſe poterunt emolumenti, per quadrantem, per ſemihoram, per integram, ſi lubet; habito ſemper reſpectu ad cubiculi temperiem, ad exhibendi methodum, ad vires, ad eventuum viciſſitudines, prout dirigenti experientiſſimo Clinico videbitur.

Ulterius eodem momento animales ſpiritus errhinis ex aceto ſquill. (5) ex ſucco rutæ ſylveſtris, barbæ hircinæ, & caſtoreo ſternutamentis (6) excitandi ſunt, affabre partes affectas iterum comprimendo (7) docente Celſo, fricando (8), urticando, conſtringendo, moxque relaxando, itaut inverſis hiſce, & oppoſitis preſſionum motibus, thermalibus, ſi lubet, & ubi datur commoditas, adjuvantibus Divæ Helenæ lutis, interno obſtante oſſium aggere, interjecta caro, & vaſorum omnium congeries diverſimode agitetur, acidæ cruditates præterfluant, humectata fibra relaxetur, feriantes anaſtomoſes reſurgant, remotiſque obſtaculis, animales ſpiritus ad ſenſus, & motus munia revertantur. Cumque ſecundum mentem Hippocratis (9), qui trociſcos alhandal, & diagridium præſcribebat ventrifluis medicaminibus jam

(1) Nares quoque, & ſutura coronalis poſſunt tangi ſummo digito in quinta eſſentia roriſmarini intincto.

(2) Hanc Lanciſius pag. *96.* mille laudibus extollit.

(3) ℞ Urticæ ma.m.iii. Camomill. m. i. ſem. cumin. ℥. i. ſal. ℥. iii. piſt. omn. probe in mortario, & decoqu. in urinæ humanæ pintis ii. &c. quo decocto balneetur mane, & veſpere pars affecta.

(4) Joſeph del Papa in ſuis Conſiliis Medicis pag. *94.* laudat vinum meracum calidum, additis baccis lauri, juniperi, foliis roriſmarini, ſalviæ, & ſeminibus ſinapis recentibus; vinacea, oleumque nucis myriſticæ.

(5) Ut Platerus docet.

(6) Hippocrates tractatu de *Morbis*.

(7) Lumine ab Hippocratis experimentis ducto, dicentis: *Frixione, ſi vehemens ſit, duxare corpus; ſi levi, molliri: ſi multa, minus: ſi modica, impleri*.

(8) De Remediis Med. 27.

(9) Tractatu de *Morbis*.

expiatæ primæ viæ ſint, idcirco non incongruum erit ad aquam ſtibinam confugere, nimirum ad decoctionem ſalſaparillæ, ivæ arteticæ, avenæ, ſaſſafras, florum anthos, calendulæ, ſabinæ, ſi utero laboraret (1), majoranæ, & paralyſis, additis in parva doſi (2), & in petia ligatis antimonio crudo, & lapide pumice. Cumque prima indicatio in eo præſertim poſita ſit, ut fibrarum & uteri omne genus proclivius oſcillet, ſeque innato elaterio vindicet ab interjectis hinc inde morboſis impedimentis; præmitti poterunt ſummo mane, ante deſcriptæ decoctionis hauſtum, pilulæ ex pulvere viperino, bezoar, & calybe præparato, atque ope elyxir *proprietatis* Paracelſi in bolarem formam redactæ, in quarum uſu perſiſtere debebit per dies triginta; & quoties purgantibus inteſtinalis tubus mundandus erit, poterunt ſeligi pilulæ de ſuccino, aut de hiera (3), aut pulvis cornacchini a Lanciſio quam maxime laudatus, aut hermodatilatæ; cochleatim interdum, & ad præſervationem capiendo tincturam auri abſque menſtruo corroſivo paratam, oleum ſuccini in aqua florum tiliæ, aut mixturam antipoplecticam Langii, præcipue ex aqua peoniæ ceraſarum nigrarum, ſpiritu ſanguinis humani, & ſyrupo de canella, aut, ut docet Hippocrates (4), aquam mulſam.

Utatur Ægra victu tenui, carnibuſque aucupio conquiſitis. Quando poterit, amet matutinas deambulationes, quas Hippocrates (5) vocat attenuantes; *quia motu corpus caleſit, & humiditas attenuatur, & purgatur partim per ſpiritus ac flatum, partim vero emungitur, & excreatur*; Denique interdum bibat, ut præcipue Pompejus Saccus ſuadet, muriam braſſicæ capitatæ cum cornu cervi.

OBSERVATIONES
IN APOPLEXIAM.
I.

2. AUt ob ſanguinem in omnibus arteriis quieſcentem, ut opinantur Fernelius atque Hippocrates; aut quia *corpus quieſcat, & torpeat*, dum ſanguis non movetur, ut olim ſenſerat Galenus;

(1) Tinctura granorum ſambuci, aqua matricariæ, daucus in hoc caſu ſummopere laudantur.

(2) Ne obviam eatur Celſi documento, qui ait, *ſudorem eſſe vitandum*.

(3) Has n. 21. Trallius laudat.

(4) Libro ſecundo de *Morbis*.

(5) Libro de *Diæta* n. 27.

nus ; vel demum propter certe haud diſſimiles cauſas miſeros Patientes ſemiſyderatos infeliciter cadere, veriſimile non eſt, licet Fracaſſatus ex anatomicis experimentis ab effuſo, & coagulato hac illac ſanguine idipſum confirmaverit. Enimvero, cum in quotidiana praxi multoties ſtupens obſervaverim, abſque ne minima quidem pulſus mutatione, apoplecticam ægritudinem ad ultimum uſque diem produci, ambigere, meumque aſſenſum in re tanti momenti penitus cohibere coactus ſum, ratus, viſas in cadaveribus (1) ſanguinis concretiones in cerebro, atque etiam in præcordiis, certis quibuſdam accidentalibus, & mechanicis ſecutis poſt mortem effectibus, eſſe tribuendas. Quomodo enim poſſunt lenteſcere liquida, & in internis canalium majoris uſus parietibus quieſcere, abſque eo quod pulſuum vibrationes ne hilum quidem immutentur ? Quomodo tota, aut pars oblongatæ ſpinæ comprimi poteſt ſine obſtructione, ſine tumore, quemadmodum accidit in omnibus, quaſi dixerim, ſyderatis, in quibus circa occiput, circa colli vertebras, circa paralyticas partes nulla coloris mutatio ſe prodit, nulla macies, nullus dolor, nullum latentis inimici veſtigium ?

Antequam propterea Practici de Attonito judicium ferant ; non pecudum more, lenteſcentem ſanguinem ſemper tantummodo decantent, ſed & meditentur, quærant, obſervataſque ab expertis Anatomicis cadaverum ſectiones perſcrutando videant, num, non intra univerſas arterias, ut magno placuit Hippocrati, ſed ſuperius tantummodo infra meninges (2) aut cerebri anfractus (3) cruor, reliquo incolumi exiſtente, extravaſatus lateat ; an vero *potiſſima mortis cauſa in thorace deliteſcat* (4) ; num vero ſit calculoſa gypſea concretio (5). Videant, an generato abſceſſu inter meningum intercapedines, enormi interdum præeunte cephalalgia, (6) *cerebri meditullium oneretur, & ſpiritus animales comprimantur* ; num vero cerebrum aqua clara, & perſpicua cum Marcello Donato, aut craſſa pituita cum Horſtio (7) refertum ſit. Quærant, an ſolemnes evacuationes ſuppreſſæ, an opiatorum uſus & ebrietates

(1) Vide Epiſtolam noſtram ad clariſſimum Virum Andream Paſta.

(2) Ut perbelle notat Fridericus Hoffmannus in ſectione I. caſu 15. *Quando ex violento humorum impulſu ſubtiliſſima præmaxime meningis vaſa rumpuntur, ſicque extravaſatus cruor baſim cerebri occupat*.

(3) Vvepferus in denato ab apoplexia reperit in laceris ventriculis duas libras ſanguinis extravaſati. *In Hiſtoriis Apoplecticorum* pag. 4.

(4) Ut clariſſimus Vir Paulus Valcarenghi in nuper editis binis Obſervationibus nitidiſſime oſtendit.

(5) Vvepferus *loco citato*.

(6) Caſus a Vvilliſio obſervatus in *Pathol. cerebri* cap. 2.

(7) Obſervatione Anatomica.

tes præceſſerint, anque virulenta ſiphylis (1), vel ſcorbuticum miaſma fluidorum mixtiones perturbaverit. An denique, luſtrato per ſedulum Chirurgum externo ambitu, hydatis, ſteatoma, ſcirrhus, vel morboſus alter tumor emineat, qui pari ratione de eadem interna cauſa admoneat. Et quoniam poſt hæc & multa alia, quæ, utpote nota, tædet recenſere, de difficillimo morbo curationem vix admittente agitur, ſedulo videant Practici, ne tot tormentis fruſtra ægros crucient, imo potius incumbant monitis Medici Veronenſis Clariſſimi Rotarii docentis, apoplecticos inſultus non clanculum, & inopinato homines aggredi, ſed ſuos habere prodromos (2), plurimaque attonito morbo præire ſigna (3), quibus fatale claſſicum denunciatur. Illis propterea non per hypotheticas theorias, & involutarum quæſtionum ambages, ſed prope lectulum, penſitatis lectiſque hac præcipue in re operibus Lanciſii (4) & Vvepferi (5), curatio præſervativa, quæ antecedentes cauſas averruncet, inſtituenda eſt.

II.

3. VElim inſuper animadvertant practicæ Medicinæ Tyrones, alteram etiam eſſe poſſe, imo interdum eſſe attoniti morbi cauſam, etſi a paucis deſcripta hæc ipſa ſit, & a paucioribus credita. A flatibus namque aliquo in viſcere adeo adactis, & tumentibus, ut induatur ſolidi natura, imo ſuſcipiatur elaſtica pneumatica vis, aut compreſſis ſanguiferis tubis, aut quomodolibet vitioſe modificatis nerveis appendicibus tollitur, vel perturbatur irradians ſpirituum animalium commercium, & ecce ſtaſes, cum ſenſus, & motus abolitione. Qua de re vigilent, ne infelix Æger cum artis dedecore pereat.

III.

4. COnſiderandum illud maxime eſt, quod in denatis propter Hemiplexiam obſervant Anatomici; in dexterorum ſcilicet artuum ſyderatione ſiniſtram cerebri ſubſtantiam, contra vero dexteram in ſyderatione ſiniſtrorum laborare. Hoc poſito, topica præcipue remedia adhibenda eſse, terebrationeſque oppoſito lateri eſse admovendas, nemo, ut puto, jure negabit.

HIS-

(1) Gummeam enim duritiem Apoplexiæ cauſam in oſſe Bregmatis vidit D. Gottlob Schoberus, referente Vvepfero pag. 508. in *Hiſtoriis Apoplecticorum*.

(2) Vide Chriſtianum Joannem Langium in Tractatu de *Apoplexia* pag. 52.

(3) Scribuntur ab Hippocrate, libro de *Coacis*, cauſæ, & ſigna ſyderationis, nempe *torpores, & ſenſus ſtupiditates præter morem fientes*.

(4) De Subitaneis mortibus.

(5) In *Hiſtoriis Apoplecticorum*.

HISTORIA II.

EPILEPSIA IN MULIERE 25. ANNORUM EX MERACIORIS VINI ABUSU.

5. SUffocativus ſtertor cum reſpirandi difficultate, animalium functionum læſio cum deperditione ſenſus, & motus; ſpumoſa quoque lympha, quæ ſemel atque iterum ex ore erupit, ſonticum & epilecticum morbum in N. N. 25. circiter annorum complexionis calidæ, & humidæ, habituſque plethorici, deſignant. Quia tamen præceſſerunt ſedentaria quies, corporis plenitudo, & vinoſæ ingurgitationes, conjectandum eſt, non idiopathicam eſſe ægritudinem, ſed ſympathicam, hoc eſt, a ventriculo, ubi labefactato primæ coctionis magiſterio, ſenſim infarctis & diſtentis chylolymphicorum canalium ordinibus, acidarum cruditatum maſſa in ſanguinem devoluta eſt, quæ circulationis lege ad animæ lararium, ad glandulas cerebri corticales, atque ad gulæ baſim delata, ibique fermentans, rareſcens, majoremque occupans locum, ſpirituum animalium irradiationem, & motum intercipit: & ecce gutturis intumeſcentia, ortophnoica reſpiratio, artuum lapſus, & quod rei caput eſt, morbique diagnoſim confirmat, nulla in nobili Ægra tantæ ærumnæ poſt paroxyſmum recordatio. Et quamvis, poſt enarratas cauſas, etiam de uterino fermento dubitari queat, utpote quod, mediis rubris, & albis venis, aut nervoſis ſurculis hyſterica miaſmata ad capitis arcem mittere poteſt, ac diffundere, nihilotamen minus, cum nulla adſit hæreditaria labes, catamenia fluant, morbus ſit in principio, atque ex cognita origine dependeat, fauſto Apolline tolli poſſe credendum eſt; dummodo tamen Patiens ipſa velit, obediat, ſeque ad oblata paratam exhibeat. Triplici itaque tempore Medica ars opem ferre poteſt. 1. ad præſervationem, 2. actu paroxyſmi, 3. veris tempore, & methodica curatione, quæ morbum radicitus tollat.

Ad præſervationem in primis quod attinet, nullum utilius medicamen excogitari, nullumque inveniri merito atque optimo jure mihi poſſe videtur, quam ut Ægra a vino penitus abſtineat (1)

nec

(1) Legantur ſuper hac re Conſultationes V. C. Joſeph del Papa olim Ducis Hetruriæ Archiatri. Ait enim: *Commendo in primo luogo il già intrapreſo rimedio della totale aſtinenza del vino*

(1) nec *viros mero* (2) provocet (3). Etenim, cum ab atro & lenteſcente ſanguine jugulares præcipue venæ ſenſim ſine ſenſu, quandoque ictu oculi, & confeſtim infarciantur, atque glandularum, & fibrarum ordo, & pellicea hinc inde interſtitia mucoſis aciditatibus imprægnentur, certe quoties tartareum, acidum, & quodcumque narcoticum, ſi mavis, vini gas circumeuntes humores inficiet, ejuſdemque inflammabilis ſpiritus ſuccum nervorum, biliſque principia in orgaſmum excitabit, fiet proculdubio, ut, impedito in jugularibus, & cava ſanguinis reditu, fatales ſtrangulationes contingant, atque de majori herculei (4) morbi gradu, hoc eſt, de paralyſi, aut apoplexia jure ſit dubitandum. Hæc propterea funeſtiſſima pericula ut evitentur, neve, quæ Aretæus (5) minatur, eveniant, aquæ potu dominans acidum ſolvendum eſt, ſanguinis æſtus temperandus, ſimulque lentor, atque viſciditas attenuanda.

Tenui inſuper victu, facilis ſcilicet diſtributionis, Ægra utatur oportet; & quandoque ani lubricitas ſervanda eſt mediis pilulis ammoniacalibus. Quod ſi recidivæ metus, *convulſio* ſcilicet, ut cum Galeno loquar, *non perpetua* (6) formidetur in proxima cœli mutatione, aut oppoſito planetarum majorum aſpectu, aut demum Lelape turbines minitante (quo tempore humanum genus majoribus agitationibus premitur, præſertim in morbo, qui lunaris dicitur) optimum erit, vitato ſemper aere pluvio, & nebuloſo, non ita pridem ventriculum ſuperius exonerare media ʒ. i. ß. vini, aut oxymelis ſcillitici, in jure diſſoluti, aut ʒ. ii. infuſionis croci metallorum, aut hercule Bovii (7), ſuperbibendo hauſtum tepidiuſculum juris hordeacei.

Eodem vero paroxyſmi momento, ſuppoſitoriis carminativis inferius emiſſarium aperiendum eſt, & tumultuantes ſpiritus coercendi, lentis in utraque coxa frixionibus, quinimo cucurbitulis, ſi lubet, humorum deſcenſus promovendus. Neque nimis hæſitare oportet circa ſanguinis miſſionem (8), præcipue ex cephalica, proindeque ex ſaphena pedis pro circumſtantiarum varie-

(1) Id apèrte docent Paulus de Re Med. 23. Aetius Sermone 2. cap. 13.

(2) Ut ait Seneca Epiſtola XCV. *Quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus*, ut videre eſt in nuperrima Hippocratis Editione, ſtudio, & cura doctiſſimi Viri Joannis Baptiſtæ Paitoni, qui eandem Præfatione ornavit.

(3) Intereſt animadvertere, Hippocratem Lib. 2. & 3. *de Morbis*, & plurimis aliis locis, ebrios eſſe ob ebrietatē morituros, minitatum eſſe.

(4) Sic Epilepſiam vocat Hippocrates in Epid.

(5) Ait enim: *Quandoque unica acceſſione hominem rapuit*.

(6) Tertio de *Locis affectis*.

(7) A Villiſio deſcribitur Sectione II. pag. 39.

(8) Joannes Langius Tomo 3. pag. 54. *Omnis*, Inquit, *fluxus ſanguinis proficuus eſt*.

(1) removere, & diſcutere, atque ſtagnantium ichorum motum ſuſcitare, itaut in axim felicius coeuntibus arteriis, & in majorem elaterem vindicatis oſcillationum momentis, maſſæ ſanguineæ circuitus aut felicius reciprocet, aut excretoria incernicula occurrant, per quæ morboſa recrementa ſecedere poſſint.

Veris autem tempore curationis cardo, qui morbum radicitus evellat, videtur conſiſtere in tollenda vaſorum plenitudine, in roborandis ſtomachalibus rugis, capiteque firmando. In hunc autem finem confirmatis, quæ diximus circa ſanguinis miſſionem, extorſoriis ſubinde medicaminibus fæcales ſaburræ eliminandæ ſunt, ſi verum eſt quod diarrhæa paralyſim ſolvat, & inteſtinalis tubus mundandus pluries eſt ſale Anglico amaro; mox eodem die, & ſubinde bibita aqua tetutiana ad duas libras, ſi lubet, pro vice. Quibus peractis, ſyrupo cachectico Fernelliano decoctione agarici actuato, alternis vicibus per epicraſim vaſorum infarctus ſolvendi ſunt, lentorque attenuandus; ſumendo nempe intercalaribus diebus tincturam martis tartaream, aut ſtibium diaphoreticum in decoctione cichorei, hepaticæ, capillorum veneris, & marrubii. Quando de imminuto pinguedinoſo glutine, atque reſeratis glandularum, fibrarumque obſtructionibus, deque reſtituta ſolidorum vi, & circumeuntibus fluidis conſtabit, firmandus erit partium tonus opportunis cephalicis, & ſpecificis, inter quæ (levi prius facto corporis motu, quem Galenus laudabat, & geſtato etiam cryſolito) ſummopere laudanda veniunt conſerva ex floribus rutæ caprariæ, cinnabaris nativa, roriſmarini decoctum (2), pulvis guttetæ, ungula Alcis, raſura eboris, radix peoniæ (3), ſal volatile viperarum, & cranii humani, & flores paralyſis. Æqua rationis lance, attentoque animo perpendet adſtans Profeſſor, an aqua hederæ terreſtris, vel paronychiæ (4) cum foliis rutæ, aut minerales ex valle Solis, ardente ſirio, utiles eſſe poſſint, & quidem præcipue ſi morbus a jecoris fervore, ut Priſci credebant, penderet; & utrum in cura coacta ad mentem Lanciſii (5) frontis venas, aut jugulares ſecare interſit.

(1) Signa ſectionem vēnæ indicantia deſcribit Magnus Hippocrates Lib. *de Med.* n. 7.

(2) Decoctum proponitur a Lindano, lento igne factum B. M. cum eſſentia caſtorei in uſum poſitum, jejuno ventriculo.

(3) Peoniæ radice ſemper vinum alterandum eſt.

(4) Utramque ſummopere laudat Joſeph del Papa *in ſuis Conſultationibus pag.* 78. 79.

(5) Tractatu de *Subitaneis mortibus* pag. 89.

HISTORIA III.

EPILEPSIA A NIMIA INGLUVIE IN ADOLESCENTE CUM RESPIRANDI DIFFICULTATE.

6. NObilis Adoleſcens annorum ſexdecim, conſtitutionis calidæ, & humidæ, habitus ultra ætatem carnoſi, ex ſanis Parentibus genitus, vix exacto lactationis curriculo in magnam cecidit abdominis intumeſcentiam, una cum vermium tumultu & exitu, curatuſque fuit anthelminticis, laxantibus, & clyſteribus, donec cum vitæ periculo, quintum annum agens, virulentam variolarum eruptionem paſſus eſt. Præcipua tamen ipſarum quantitas circa oculos, genas, oriſque labia adeo in ſubſtratis carnoſis interſtitiis hæſit, & læſit, ut corroſis veluti & corrugatis fibris, importuna cicatrix emerſerit: ex qua proinde, aliquibus procatharticis cauſis inſtantibus, in promptu erant totius faciei, & præcipue oculorum rubor & inflammatio, itaut tribus ab hinc annis ſpuria ophtalmia in dextero laboraverit, & tertiana febri correptus fuerit, ope deinde corticis peruviani feliciter ſoluta. Poſt hæc, cum adſtantes Medici obſervaſſent, vix ex ſomno expergefacto, utrumque oculum veluti accenſum, & ſanguine ſparſim turgidum micare, aſſiduæ potum aquæ Ægro conſulere autumarunt. Interea ſemper tamen famelicus, & vorax, & quaſi dixerim, ſi ſine cibo, lugens, aucta ſemper in dies vaſorum plenitudine, iterum & febri, & dolore capitis cum enormi vomitu vexatus, tandem menſe Majo proxime elapſo, poſt ſeptem paroxyſmos ſecta vena feliciter convaleſcere viſus eſt.

Verum dum primis Julii diebus, poſtque cœnam, quarta noctis hora, ſomnum capere intendit, violentiſſima reſpirandi difficultate (1) corripitur, cum tali ſtertore, ſtrangulatu, & clamore, ut in remotis uſque magnæ domus cubiculis adſtantes domeſtici excitati, & acciti, ac de Sacramentis potius, quam de medicina ſolliciti, conclamatum jam eſſe de Ægro, crederent & lugerent. Contortis etenim oculis, pallidus, atque adhuc ſtertens, & ſuffocatus, proindeque alto ſopore decumbens non reſpondere, non auxilium petere, minuſque agonem ſuum narrare poterat. Tandem, ſed lento gradu, ex ſuffocati-

vo

(1) Ut ait Galenus 4. de Locis affectis. *In comitialibus maxima adeſt ad apnoeam diſpoſitio.*

vo paroxyſmo, ope ſpiritus meliſſæ, aliorumque ſpecificorum, excitatus, & reviviſcere, & proximos noſcere cœpit; cumque ex magna acerborum ſicorum ingurgitatione morbus & promotus & auctus fuerit, ſic purgantibus, clyſteribus, & ſanguinem attenuantibus, interjectis aliquot ſpecificis præſervativis, curationis opus tentatum eſt. At renuens Æger, atque ab urbe diſcendens, Medicæ artis ſubſidia detrectavit, priſtinæque voracitati ambas malas addixit.

Octava itaque præſentis Septembris, quartaque noctis hora, rediit iterum ſuffocativus ſtertor, erecta tantum cervice ut in ortophnoicis, reſpirationem permittens, & per horæ quadrantem perdurans, cum aliquo filoſæ, & albæ ad colorem purpureum vergentis materiæ (1) per os exitu, una cum tumefacto gutture, & ſucceſſivo lethargico ſopore futuri paroxyſmi prænuncio; quod itidem accidit hora decima, cum catarrhalis inſuper amurcæ, & porraceæ bilis vomitu. Quare appoſito clyſtere, vena ſecta fuit cum exitu accenſi ſanguinis. Nihilotamen minus prope meridiem tertius, & tertia hora noctis quartus paroxyſmus iterum in promptu fuit, cum ſubſequenti per noctem corporis ſubſultu, dentium ſtridore, pulſu tardo & inæquali. Cumque in ſtatu etiam naturali in bilem pronus ſit, fœtidus halitus ab ore quandoque expiret, filamentoſa materies dormiendo effluat, & per nares graveolens expurgetur, opinari facile poſſumus, ex ventriculo ad caput, & contra, primaria pertinacis morbi ſemina impetere.

Quibus quidem ſymptomatis, ſuffocativum orgaſmum concomitantibus, accedit ſolemne phænomenon: videlicet morbus inopinato, aut in ſomno ſemper evenit, eoque vix elapſo, laxata aliquatenus ſolidorum compage, & reſtituta reſpiratione de actis Æger rationem reddere nequit, juxta illud Sennerti: *Atque inde poſt paroxyſmum Æger nihil eorum, quæ circa ſe geſta ſunt, recordatur.* Ideoque cum Carus (2) (3) & Lypothymia non tam facile cedant, aut redeant; Tetanus facultates principes non lædat; ſyncopa vero, una cum membris algidis, ſudoreque frigido, procedat; probabilis propterea adeſt conjectura, quod licet non adſit pulſus robuſtus, & frequens, attamen recurrens uſque in præſens per quinque vices, inſultus ad co-

 mitia-

(1) De ſanguinis miſſione 19.

(2) Quem Græci ſoporem, veternum Latini, paralyſim imaginationis Galenus de Symptomatis, dicebant.

(3) Profundiſſimum ſomnum conjunctum habet, ita *ut ſi pungantur, nihil reſpondaent, nec expergefiant.*

mitialem , & ſonticam indolem *in juvenibus facilem* , quam *aſtralem* Paracelſus vocabat , inclinet . Quoniam autem in varias abeunt opiniones clariſſimi etiam in practica Medicina Viri circa hujus morbi originem , idcirco cum Tachenio , Villiſio , Sylvio , & Paracelſo a dominanti acido non minus in ſanguine , quam in tota liquidorum maſſa , diri affectus ſemina in motum poni , & augeri , eam repetendam puto , ut perbelle in caſu noſtro memorat doctiſſimus Ettmullerus illis verbis : *quia adeſt ſumma voracitas teſtis copioſi acidi* . His poſitis , cum , quotidie ſemper magis ſaginato ventriculo , proindeque diſtentis chylolymphicorum , & meſeraicorum canalium ordinibus , auctaque nutritione , cum glandularum , & utriculorum omnium infarctu , & tubere , perierit pedetentim organorum cum fluidis æquilibrans proportio , & intumuerit in dies fibra , amiſſa ſemper magis ſolidorum vi , ad gulæ præſertim baſim , & annexas appendices morboſum fieri debuit impedimentum : quippe tunc vel major inibi ſanguinis in jugularibus , & carotidibus quantitas anguſtiæ vaſorum non aptabilis , concrevit , vel pulmonum motus in inſpiratione & expiratione inducias non patiens in compreſſis, tumefactis , aliove modo modificatis tracheæ oſcillis , exequi non potuit ; vel denique impedito ab enarratis cauſis ſpirituum animalium influxu , ab exploſivo ipſorum elaterio ſtrangulatoria convulſio contingere debuit . Sicuti propterea , magno docente Hippocrate , hic morbus ante pubertatem curationem admittit , tanto magis in caſu noſtro , ſi adoleſcens ad oblata pronus erit, & junctas dabit Medico manus ; quia morbus hæreditarius non eſt , ſumus in initio , cauſa patet , acidum ſcilicet dominans , plethora , & vaſorum omnium plenitudo ; nec comitiales , docente Galeno (1) , *ſtatim perfectiſſime invadunt* . Ob id Medicæ artis molimina eo dirigenda ſunt , ut inteſtinalis ſaburra medicaminibus eliminetur , meſeraicorum infarctus aperiatur , ſanguinis , & lymphæ lentor attenuetur , acidum corrigatur , & ſpecificis atque præſervativis remediis , diræ affectionis ſeminium adeo aboliatur , ut humorum circuitus , & elaſtica ſolidorum vis reformetur , & vigeat .

Extra itaque paroxyſmos omnia paulatim agenda ſunt ob tenellam adhuc ætatem , omiſſis ſetaceis , veſſicantibus , & fonticulis . Sic iterum ſecandam eſſe venam (2) opportunum ducerem

(1) De Locis affectis 7.

(2) Si fiant Epilepſiæ , paraplexiæ &c. *venam confeſtim ab initio ſecare oportet* . Hippocrates .

rem, ex ſaphena etiam cum Galeno (1), immiſſis frequenter clyſteribus ad alvum ſubducendam, frictionibus quandoque & pediluviis ſanguinis circuitum ad inferiora promovendo.

Ad fontem vero pharmaceuticum quod attinet, ſicuti vigente ſtertore, aquis theriacalibus, ſpiritu meliſſæ, & volatilibus ſalibus ex ſuccino, & urina paratis, præſertim opus tentatum fuit, ita ſubinde purgantibus & tartareis, ventriculi rugæ, & inteſtinalis tubus mundanda ſunt. Et licet in poſtremo morbi limine mollia tactuique cedentia viderentur naturalia viſcera, attamen magna apparuit flavæ & porraceæ bilis quantitas; propterea oxymellite Benedicti Quercetani humorum attenuatio, & exitus promoveatur oportet (demptis tamen guajaco, & raſuris) additiſque herbis aliquot hepaticis, & cephalicis, ex quorum ſane replicato uſu, & corpus detumeſcere, & vultus pallor abire, functiones animales reviviſcere, & urinarium lotium ulterius ſeparari viſa ſunt. Inſuper per aliquot vices matutina ejuſdem potatio laudem merebitur: tum tranſitus faciendus erit ad pilulas melanogogas Lancellotti, ad cochias cum helleboro, aut de nitro Alexandri; vitatis ſemper mercurialibus, quæ adultæ magis ætati conveniunt, & utpote nervoſo generi infenſa, & ptyaliſmum quandoque producentia, neque per partem affectam evacuare tutum. Stibium diaphoreticum, & aqua ſtibio confecta, ſatis tamen diluta, magni eſſe poterunt emolumenti ad motum lymphis, ad robur ſolidis conciliandum.

Dum hæc fiunt, aromaticis volatilibus, ſpirituum animalium circuitus promovendus eſt liquore cornucervi ſuccinato: adhibitis præcipue, quæ ſpecifice ad præſervationem conveniunt, nervoſum ſyſtema reſpiciunt, & capiti proſunt; ut ſunt anagallis, flores tiliæ, radix peoniæ, & valerianæ ſylveſtris, lilium convallium, & ſimilia: item pulvis ex catellis in furno exſiccatis quotidie ſumatur, ungula Alcis etiam in annulo geſtata, & tot alia, quæ eruditiſſimo Profeſſori innoteſcere facile poſſunt.

Victus ratio ſit admodum tenuis; cumque poſt bibitam per biennium aquam morbus invaluerit, fortaſſe quia ejus uſu ſtomachi fibræ flacceſcunt (quod certe primum morbi ſemen eſt) acidum non hebetatur, & voracitas fortaſſe augetur; idcirco vinum, in pauca tamen quantitate, ſemper aqua dilutum efficacius erit pro inſtaurandis fermentis, ut facilius oſcillent, & humores in orbem moveantur.

CON-

(1) De ſanguinis miſſione 19.

CONSULTATIO
VIRI CLARISSIMI
FRANCISCI NICOLINI
Super modo relatam Spaſmi cardiaci ſive Epilepſiæ Hiſtoriam ad Auctorem data.

7. *OMnia ad morbi hiſtoriam ejuſque Ethiologiam, atque Therapejam ſpectantia, pro egregio Adoleſcente pleniſſime exarata ſunt, rectèque adeo, Vir Cl. conſtituta, ut quid addere quiſquiam valeat, prorſus ignorem. Quia tamen in rebus problematicis, iiſque proinde morbis, quorum cauſa, utpote interna, ſumme obſcura eſt, tenebriſque undique circumfuſa, ſi quid occurrat, quod rationi, Autopſiæ, & cauſarum agendi modo favere vel minimum poſſit, ingenui animi eſt in medium afferre, patere Vir Cl., ut quæ hac ſuper re animadvertere potui, tibi paucis exhibeam.*

Obſervo igitur, Nobiliſſimum Adoleſcentem in omnibus paroxyſmis, quibus afficitur, alto adeo ſopore immergi, ut non ſolum ſentientis, intelligentiſque animæ edat nullum plane tunc actum, verum etiam ut neque ipſius paroxyſmi poſtea recordetur, deque eo ne leviter quidem deinceps meminerit. Hujuſmodi idcirco paroxyſmum non verum ſomnum, ut voluit Ariſt., ſed metaphoricum potius appellandum puto; eclypſis eſt enim, in qua functiones omnes interiores abolentur, ut paſſim in forti Apoplexia, ſemper vero in aſtrali comitialique morbo contingit, dicente Galeno (1), in eo conſiſtere Epilepſiam, ut ſenſus omnes, & intellectus perdantur. Sic Isbrandus Diemerbrocchius vocat Epilepſiam ſenſuum, mentiſque interceptionem *(2). Hoc tamen genus Apoplexiæ Epilepſiam in hoc caſu præferre videtur, ob oculorum ſcilicet contorſionem, dentium ſtridorem, manuum, brachiorum, & dorſi inordinatam commotionem, quippe quæ convulſiva cum ſint, veram Epilepſiæ differentiam conſtituunt.*

Alia tamen fuere accidentia, difficultas nempe ſpirandi cum ſuffocationis metu, ſtertor, ſtrangulatus, imo & gulæ tumor; quæ licet familiaria ſint Epilepſiæ ſymptomata ex convulſione pendentia, gulæ tamen tumor, & ululatus neque ſemper, neque ut plurimum in Epilepſia contingunt, ſicuti neque vomitus, qui virideſcentis materiæ fuit. Horum itaque ratio, & origo ab inferioribus facile peten-

(1) De Natura hum. pag. 59. (2) Hiſtor. XV.

petenda videtur, e ventriculo ſcilicet, pulmone, & corde ſpaſmodica contractione affectis. Ex ſanguine quippe per pulmones lentius ad ſiniſtrum cordis thalamum progrediente ſuffocatio oritur, quemadmodum etiam pulſus profundi, inæquales, & duri; eodemque tempore violenta aeris expreſſio tum a veſicis pulmonaribus in ſtrictam Laryngem impetu facto, tamquam per fiſtulam expirationem ſonoram, boatum, & ululatum pariebat, ſæviente tunc eo magis ſuffocatione ab otiante ſanguine, ob aeris, & elateris defectum. Tali anguſtia ſanguinis per cavam, & jugulares in ſubclavias deſcenſum impediri manifeſtum eſt, unde oritur gulæ tumor, tum alienatio, motuſque convulſivi in oculis, brachiis, & dorſo cum ſtridore dentium. Hæc cum ita ſe habeant, manifeſtum puto, comitialem morbum effectum jam eſſe & productum, ob ſymptomata, quæ recte cardiaca convulſiva dici merentur: hoc eſt Epilepſia per conſenſum ab affectis partibus hiſce interioribus, præcipue ventriculo, ubi prima efficiens, & materialis cauſa latet. Morbi ergo initium, tanquam immediato ſtimulo deberi acido-acri in ventriculo congeſto, docet vireſcentis, & viſcidæ materiæ vomitio in ſecundo paroxyſmo per diſpepſiam genitæ a variis, & multis ingeſtis, fructibus præſertim fugacibus, & immodicis æſtivis potionibus, laxiori exiſtente ventriculo, & ad elaſticas contractiones minus tunc apto. Hinc factum eſſe, & deinceps fieri poſſe arbitror, ut ſtagma hoc acidum ad turgeſcentiam cum bile evectum circa plenilunium præcipue (quo tempore corpora omnia ſublunaria paſſibilia a ſubtilis materiæ impetu, & pondere majori Lunaris globi commoventur, agitantur, & attolluntur magis) cum productione morbi creverit, & impoſterum ſatis curari haud poſſit.

Audiamus Fridericum Offmannum (1) inter ceteros: acida ingeſta (*inquit*) & diutius retenta, ipſa mora pejora fiunt, & commixtione cum bilioſis ſuccis valde corroſivam, & virulentam naturam induunt; ita ut nerveas ventriculi, & inteſtinorum partes exquiſitiſſimæ, & tenerrimæ ſenſationis, quæ cum toto nervorum genere conſentiunt, arrodendo graviſſima ſymptomata ſuſcitent.

Sed preſſius Proſper Martianus (2) rem tetigit, & deſcripſit cum ait: Idque adeo hujus humoris (acidi nempe) proprium eſt, ut raro caput per conſenſum a ventriculo dolens invenias, quin actuoſa in eo conſiſtant, & qui epilepticis motibus ſunt ſubjecti, a ſymptomate corripiuntur cum acida in ventriculo peccant:

id

(1) Pathol. part. III. cap. 3.

(2) Not. in Hippocratem pag. 382.

id enim vomitiones ſubſecutæ palam faciunt : *hucuſque ille. Quæ omnia ante omnes novit Hip. Lib. de vet. med. ubi ſpecimen daturus ſymptomatum in Nobiliſſimo Adoleſcente primo ingruentium ab eadem cauſa, hæc habet :* Quos acuta, acris, ac æruginoſa bilis *(ſic vocabant antiqui bilem vel porraceam, vel æruginoſam quando acido in fluorem poſito plus, minuſque ſal acre & lixivum ad acredinem, & turgeſcentiam jungeretur)* affligit, qualis mox rabies, & morſus viſcerum, ac pectoris & deſperatio.

Quapropter ubi primum in ſtomacho a turgeſcente, & exaltata viſcida, & acido-acri-materia membranaceum corpus irritari cœpit, & conceptam irritationem latius diffundit, exagitati ſpiritus intra ſurculos vagi paris fibras eorum validius inflarunt, ac ſucceſſive exploſione quadam in fibras tendineas, tunicam interiorem bronchiorum, & veſicularum tum pulmonis, tum laryngis componentes, irruendo, illam earum partium criſpaturam, & ſpaſmodicam diatheſim effecerunt, qua aer exprimitur per anguſtiorem factum laryngis hiatum, unde fit ululatus; cumque parcius inſpiratione admittitur, ſanguis ſtagnat, aut lentius per pulmones excurrit, unde ortophnoica reſpiratio efficitur, fereque ſuffocatio. Hæc eadem cauſa eſt, cur conſtrictis cordis lacertis, illius dexter ventriculus, utpote anguſtior, venientem ſanguinem a cava, & jugularibus minus admittat, ſicque turgidis factis ſubclaviis, cum ultro procedere neque-at, gutturis inflationem efficit, hinc compreſſio major, fereque ſuffocatio, & ſtrangulatus.

Ex hoc phænomeno valde malo, & periculi pleno, alter velut illius effectus, comitialis ſcilicet morbus, emergit. Ex impedito enim ſanguinis a cerebro celeri reditu, ab eoque in jugularibus ſtagnante ſtationes, & inæqualitates in vaſis cerebri fiunt, illudque evenit, quod ſcribit Hippocrates (1): Sacer morbus fit (*inquit*) cum obſtructiones multis modis circa venas contingunt, & ſanguinis motus prohibetur, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius, qua ſane inæqualitate tranſitus ſanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt. *Nimirum ſecundum doctrinam Hippocratis, autopſiæ & rerum ſeriei maxime conſonam, ſanguis copioſus intra duræ matris ſinus aggeritur, a ſtagnante in jugularibus vaſa plurima, & inæqualiter dilatantur; hinc nervoſæ fibræ comprimuntur, hinc ſpaſtica contractio nervoſæ hujus membranæ. Contingit propterea, ut conſtrictis, aut valide compreſſis nervis, qui ad ſenſoria*

(1) Hippocrates Lib. de *Flatibus* num. 21.

ſoria abeunt , ſomnus ille metaphoricus , ſive ſenſuum omnium tum internorum , tum externorum actus intercipiantur , aliquibus ex nervis , qui ad motus organa diſtribuuntur , immunibus a conſtrictionis compreſſioniſque inæqualitate exiſtentibus ; in quos deinde veluti exploſi ſpiritus , eas artuum , & muſculorum , quibus inſeruntur , contractiles diſtenſiones , ſuccuſſiones , & agitationes pariunt , quæ in Nob. Ægro viſæ fuerunt . Hinc concepta in origine ſua ſpaſmodica diatheſi , fortaſſe major ſpirandi difficultas , ſuſpirioſa , & cum ſtertore majori , aphonia , & ſalivæ effluxus oriuntur . Hæc ſymptomatum ſyndrome maxime fatalis cenſenda eſſet , nec vitam protrahere poſſet Nobiliſſimus Adoleſcens , ſi ſpes non affulgeret , cauſam , quæ morbum producit , declinandi . Staſis enim ſanguinis & aeris interceptio in pulmonibus ; item extravaſatio ſanguinis in cerebro , vel ſaltem valida compreſſio , & conſtrictio , motus quoſcumque deſtruens , eodem ipſo paroxyſmi momento , Ægrum abriperent , quod ne contingat , in primis Ægro cordi maxime inſideant regulæ , quibus ſeipſum conſtantiſſime dirigat , foveat , & tueatur .

Propterea quovis die & anni tempore , ſolo ſit prandio contentus , & parca cœna , cum aqua comuni citrata , nec inter prandium , & cœnam ſint comeſtiones ullæ , vel potus maxime æſtivi dulco-acidi , vel quovis modo concinnati , & refrigerati . Nec in deliciis ſint herbaria , & fructus præſertim horarii , & fugaces , non tubera terræ , non acida , non dulcia manifeſte , non aromatica , non ſalſa , aut fumo indurata , non obſonia , aut bellaria , vulgo paſte di Monache *, cujuſcumque generis , non glutinoſa , & viſcida , qualis caro anguillarum , & omnium in luto viventium , non lac , nec lacticinia , non ſpirituoſa quævis . Erit ergo cibus ex carne vitulina , agnina , pullorum , & avium in aere viventium , relicto capite . Edulia ſint eodem ex jure , vel butyro , atque eſſe poterunt oryza , hordeum , farrum , vermiculi Apulienſes , panis optime maceratus in jure , ova concuſſa , panis triticeus tritus ; ova tamen non multum laudo nec ſorbilia , nec elixa , vel in ſartagine cocta . Non tam a jejunio , quam a carnis abſtinentia omnino liberandus eſt . Panem comedet non ſimilaceum , omni paſtu , ſed quandoque ex tota farina præſertim in prandio , cum corpus ab officio ſuo vacaverit .*

Hac cautela , ſymptomatum recurſus impediri facile poterunt . Utatur ante cibum vectura , equitatione , ambulatione , & luſu parvæ pilæ , ſed omnia citra laborem , animi ægritudines , & ſo-

mnum pomeridianum , niſi propemodum conſuetum , a quo tamen torpidus non reſurgat .

Tranſeundum modo ad indicationes , quibus utitur Medicus ad opera idonea peragenda , ad morbi cauſam tollendam , ipſiuſque effectus , & ſymptomata præcavenda . Cum igitur ſancitum ſit , cauſam proximam in ſtomacho progigni , & latere , quæ ultra ſanguinem cacochymum acrem lento-viſcidum parit , alia longe a paroxyſmo, alia prope , alia in ipſo paroxyſmo , ſi contigerit , agenda ſunt .

Extra , & longe a paroxyſmo purgatum video Nob. Ægrum , iterumque purgandum cenſeo , vere venturo , & fortaſſe altero , hunc in modum : 4. radic. enulæ campanæ ʒ. ß. radic. tamariſc. m. ß. fol. cichor. meliſſæ , pimpinellæ , veronicæ , verbe. abſynt. fumariæ aã. parum f. decoct. ad ʒ. v. add. chryſtallorum tartari ʒ. i. m. bibat calidum ſingulo mane ad dies xx. ſingulo autem quinto die ut in prima , & ultima affunde ſennæ electæ ʒ. ii. epithymi pug. ß. chalyb. ϑ. ii. pil. de Hiera cum agarico ʒ. ß. m. f. inf. per noctem , tum mane expreſſio calida bibatur : ſequenti autem tempore laudo , ut ante ſomnum ſumat conditum ad magnitudinem parvæ nucis , videlicet : 4. conſerv. roſ. damaſc. ſine acido paratæ ʒ. iii. conſervæ abſynt. pont. meliſs. aã. ℥. i. extract. calam. aromat. ʒ. i. mitrid. ʒ. ii. ſpec. diarod. Abbatis ϑ. ii. m. & cum ſyrupo corticum aurantiorum fiat conditum .

Adveniente plenilunio , quarto ante ipſum die , mane inſtituatur vomitus ſingulo menſe cum ʒ. ß. rad. hypecacuannæ pul. ſuperbibendo jus copioſum paſſulatum , ut congeſtæ in ventriculo acidæ materiæ fiat revulſio , & evacuatio immediata , ſicque ventriculus elutrietur , & ſuccuſſione quadam tum plicæ ipſius tum proxima inteſtina emundantur . Remedium erat ab Arnaldo Villanova , & plurimis aliis in epilepſia per conſenſum a ſtomacho commendatiſſimum , quodque ratio , & experientia comprobavit , id autem ad plures menſes eodem tempore repetendum dixi , ut tum miaſma , ſi quod reproductum fuerit , exterminetur , tum ut characteres ſpaſmodici, epileptici a præteritis paroxyſmis impreſſi deleantur .

Suborto paroxyſmo , ſi forte contingat ; nec ſalia volatilia , nec ſulphura mineralium fixa , nec ſpirituoſa quævis ad ſpiritus , & elaterium ſuſcitandum , non nimis laudanda veniunt , dum præſente ſtimulo & ex convulſione in pectore , cerebrum a ſanguinis infarctu liberari non poteſt , unde major obſtructio , & compreſſio , eademque ratione deteriora omnia evadent . Laudanda potius ſuppoſitoria ex ſapone gallico , oleo colocyntidis jnuncta , & ſanguinis

miſſio

miſſio eodem turgentis gulæ momento ex cephalica ſiniſtra, tum frictiones circa ventrem, & extremas partes, & eorum perunctiones calidæ ex adipe humano cum oleo nucis muſcatæ, lavendulæ, & rutæ ad quintuplum. Ventriculum tandem, ac caput roborabit decoctio theiformis hunc in modum concinnata, mane ſumenda calida exactis purgationibus. 4. radicis valerianæ ſylveſtris ʒ. ii. fol. meliſſæ m. ß. florum tiliæ pug. ß. fol. paralyſis pug. i. cort. citr. ʒ. i. m. ſorbeat calidam. Epilepticos curare, ait Arnaldus, ſuccum paralyſis ad ℥. i. cum modico ſaccari, & uſu probatum, ſi per menſem ſingulo mane ſumatur, & mihi per experientiam probatum eſt, uſu decoctionis florum, aut herbæ paralyſis, multos convaluiſſe.

OBSERVATIONES
IN EPILEPSIAM.
I.

8. SUpradictis remediis, & præſertim uſu vomitorii ex radice hypecacuanna, a Clar. Nicolino propoſiti, & ante plenilunium per aliquot menſes exhibiti, Æger Nobilis integre reſtitutus eſt.

II.

2. MIrabitur quis fortaſſe, me nonnulla in præmiſſis conſultationibus ſcripſiſſe remedia, quæ, ut ſpecifica, videntur paſſim a Practicis adhiberi in Epilepſia *idiopathica* eſſentiali, non vero in *ſympathica*, cujuſmodi ſunt morbi modo relati, utpote a ventriculo præcipue pendentes. Sed dubitandi occaſio nulla erit, quando perpendat, artis conatus in id eniti debere, ut ſtamina futuri morbi tollantur, & partium præſervationi, quibus incumbere videtur materia morbifica, provideatur. Difficultas ſiquidem in eo præſertim poſita eſſe videtur, ut dum cauſa præſentis ægritudinis tollitur, ad reliqua etiam omnia attendatur. Qualiſcumque propterea fuerit prædictorum comitialium cauſa, ſive nempe a voracitate, & nimio infarcti ventriculi onere pendens, ſive a ſulphurea, & tartarea meracioris vini compotatione, illud ſemper debet eſſe ante Medici Profeſſoris oculos: I. Ut exſiccetur aquoſa illa *pituita*, quæ *per nervoſum genus transfuſa illud humectat*. II. Ut *frigidus*, & *craſſus* humor attenuetur, ne in bronchiis, atque gula ſtertorem & ſpumam

efficiendo, ſtagnare poſſit. III. Advertat, ne ſalina ſpicula circumſtantes villos, & fibras divellendo, una deinde cum craſſo humore, ſtrangulationem cum tubere producant. IV. Ut ſuperioribus phaſibus inſtantibus provideatur. Poſtremo curet, ut nativa in affectis partibus præcipue capitis, laryngis, & pectoris debilitas, quæ data cauſarum actione, morboſi apparatus decubitum in ſinu ſuo admittunt, erigatur, vivificetur, majorique polleat elaſticitate. Hæc enim auxilia a præfata remediorum ſupellectile pendentia ſi negligantur, morbus brevi recidivam minitabitur, & idiopathicus fiet.

III.

10. ULterius cum ratio ſcribendi ea potiſſimum fuerit, ut clare conſtaret, quæ ſub hoc præſertim cœlo, vitanda, quæque ad curationes recte inſtituendas, ſeligenda ſint; & cum hujuſmodi morbus, ut diximus, portentoſus, & terribilis appellatus, dependeat præſertim a conſtellationibus ſuperioribus, atque ab inſtante, aut lapſa certa quadam cœli mutatione, ſic quiſque videt, ſummopere in hac regione examinandam eſſe aeris naturam, nec non adverſas, & interdum vel dominantes, vel luctantes boreæ, auſtrique potentias, a quibus aſtrales hujuſce morbi violentiæ excitantur. Inſtante propterea autumno, vitentur in hac regione aquilonares ventoſi incurſus, domicilia, ambulacra, ipſaque cubicula ab illis diſtent, & per totam præcipue hyemem in aprico, ſi poſſunt, degant Brixiani cives. Animadvertant præterea in adverſo ad meridiem plano per ampliſſima ſpatia protenſo, auſtralia quidem flamina violenter animatam machinam corrugare, ſed non raro, aut a paluſtribus locis, aut ab oryzarum ſatione, aut a nebuloſa uligine enormiter conſpurcari, ideoque a torpido craſſoque aere, ob ſymbolicum genium, nerveus ſuccus par efficitur; a ponderoſo ambiente, aqueis viſcidis, hamatis, animatis, ſulphureis particulis referto, internæ lymphæ augentur, aſſimilantur, comprimuntur, atque urgentur; unde oritur ictus, comitialiſque agon. Nam tunc vel in gulæ freto promiſcuus, ex oppoſita parte liquidorum motus intercipitur; vel vim faciente ſuperiorum planetarum potentia, inſiti ætheres moveri debent; vel denique, poſtquam ſanguinis craſſamentum, ejuſdemque plano-ovalia conſtitutiva corpora, & præcipue albi ichores, ad ultimum ex ſupradictis, & aliis adventitiis cauſis compreſſionis

ſionis gradum pervenerint (quæ pedetentim abſque ſenſibili morbo fiunt) neceſſario juxta mechanicas leges efficitur, ut elaſticitates in quibuſcumque compreſſis ſanguineæ maſſæ particulis reſurgant, & ex improviſo inſtar pulveris pyrii cum fermentatione, rareſcant, extendantur, & cum ſpuma, ſtertore, ululatu, convulſionibuſque herculeum morbum producant. Ob hanc certe, vel haud diſſimilem cauſam, prout urbis poſitio evincit, oppidaque & vici, quibus Brixianus ager abundat, ſuadere videntur, ſatis apparet, quæ meditanda ſint, quæque exequenda, quin ulla ab Auctoribus lux coruſcare nobis hac in parte poſſit. Si enim a frigido borea fibroſi canalium ordines corrugati ſunt, laxantibus, & emollientibus utamur oportet. Sin vero a craſſo auſtrali aere excrementorum apparatus in hæmate redundat, diluentia, attenuantia, nativumque elaterium fibris reddentia, & epilepticum inſultum curantia adhibeantur, neceſſe eſt.

IV.

Ubi de tribus præcipuis in Epilepſia remediis.

11. PRimum eſt, quod proponit Hippocrates, cum ait: *Aerem mutare commodum eſt in morbis*, ſi potiſſimum ab exaratis ſuperiori loco cauſis morbus proveniat. Neceſſe enim primo eſt, *cœlum* illud *peſſimum* derelinquere, *quod Ægrum fecit* (1), & in dies renovat. Deinde aerem ſeligere *ſubtilem*, *æthereum*, *elaſticum*, particulis plerumque ſiccis refertum, ut auctoritati Lanciſianæ (2) innixus, non ita pridem in editis diſſertationibus (3) locutus ſum.

Alterum eſt, hæmorrhoides aperire, aut fonticulum in infernis cruribus infigere; cum jam ab emiſſario, ſcilicet ulcere prope talum ſponte nato, ipſam Epilepſiam originariam, & ab utero matris contractam, ſanatam viderim.

Poſtremum denique comitialis morbi remedium proponitur ab Erneſto Friderico Heimreich (4). Eſt autem ſericum bombycum opere factum, & per os ſumtum. Putat enim Vir eximius, maximam hujuſcemodi ſerico ad comitialem morbum depellendum ineſſe vim, ob copiam ſalis alkalici, tum fixi, tum volatilis, quo illud abundat. Id porro oſtendere nititur experimen-

(1) Cornelius Celſus.
(2) De Noxiis paludum effluviis pag. 44.
(3) Brixiæ Typis Marci Vendrameni.
(4) In Annalibus Phyſico-Medicis Uratislavienſibus ad annum 1718. Claſſe IV. articulo X. pag. 698.

rimentis in Regia Academia Pariſienſi a Joſeph Pitton peractis ; nam *comparatione analyſium ſalis ammoniaci, ſerici, & cornucervi inſtituta, majorem copiam ſalis volatilis ex ſerico, quam ex cornucervi ſeparavit ; propter quod facultatem cephalicam nervinam, & antepilecticam* in ſerico reperiri contendit.

V.

Sectio Cadaveris Hydrope, Deſipientia, Epilepticis inſultibus, antequam denaſceretur, laborantis.

12. Die 18. Martii 1741. dum Patavii aderam, accidit caſus, ut a Sapientiſſimo Joanne Baptiſta Morgagnio in Xenodochii atrio, numeroſa nobiſcum circumſtante Tyronum non ſolum, ſed etiam doctorum Hominum corona, examinatæ cultro fuerint ſupradicti cadaveris ſupremæ internæ partes, ob Medicinam, atque Praxim in ſimili morbo illuſtrandam. Secto propterea cranio, ſuturiſque viſis translucidis, nihil in cerebri ſubſtantia repertum fuit, quod vera, & realis morborum, mortiſque cauſa dici reipſa mereretur. Etenim tantillum dumtaxat prominebant corpora ſtriata ſiniſtra, & aliqua aderat membranarum flacciditas, quodque magis exiſtimandum fuit, flavæ latebant in medullari cerebri ſubſtantia ichoroſitates. Verum ab hac, licet modice vitiata, ſolidorum textura, & fluidorum craſi potuiſſe tamen morbum in motum poni, ultimumque produci fatum, Vir Clariſſimus ſumma cum eruditione, & doctrina explicavit.

HISTO-

HISTORIA IV.

CAPITIS INFLAMMATIO POST LENTAM FEBRIM IN ADOLESCENTE.

13. LEnta erratica febris decem & ſeptem ab hinc diebus lenata in egregio Adoleſcente temperamenti calidi ſanguinei, ſicuti univerſalem liquidorum dyſcraſiam indicabat, ita nil mirum, ſi decima ex ſpreto morbo ejuſdemque cauſis, nulliſque inſtitutis ſecundum artis dogmata opportunis emiſſariis, ex coacervato in ſanguinis maſſa excrementitio lentore, extremæ arteriarum cum venis inoſculationes infarctæ fuerint; ex præpedita ſpirituum irradiatione frigus, atque cum acuta febri ad capitis arcem, ubi præcedentes dolores aliquam villorum divulſionem produxerant, inflammatoria metaſtaſis ortum duxerit. Hanc glandularum trachealium, & colli tendinum durities, nec non violenti pulſantium capitis, & aurium arteriarum motus comitabantur cum timore, ne forte ex importuna miſcella, mutatis ſpecificis gravitatibus, & internarum molium faciebus, violari poſſent vaſorum parietes, & valvularum ſuffla-
mina, atque ob jam viſas ſanguinis a naribus ſtillas, tranſitus ad ſuppurationem eveniret. Hiſce igitur poſitis, cum in acutis de improviſo conſilium capiendum ſit, & remota remedia, & quidem mutato perſæpe morbi aſpectu, & ſymptomatibus, ſero perveniant, quæ adhibita ſunt, non niſi laudari poſſunt. Si ergo ſola inflammatio, nondum facta ſuppuratione, perduraret, adhuc in chirurgico fonte immiſſis quotidie enematibus, tertia ſanguinis miſſio liceret ex ſaphena (1) pedis. Sin vero ex cranii foraminibus, ex ore, nare, atque auribus cœpta eſſet aliqua expurgatio cum levamine, hæc ulterius magis eſſet promovenda (2), allicienda focillationibus, oriſque ablutionibus ope lactis, aut decoctionis paſſularum, caricarum pinguium, dactylorum, addito melle roſato ſimplici; ceteris vitatis ſuper caput remediis, quæ aut perſpirationem impediant, aut illud opprimant. Matutinus inſuper potus ſeri lactis deſtillati, ſuper-

(1) *Ut capitis dolorem ſedes, ſanguinem de venis detrahito.* Hippocrates lib. de Locis; & Lib. 3. de Morbis. *Cum cerebrum ab inflammatione tumuerit, inter cetera medicamenta, ſanguinem detrahere oportet.*

(2) Juxta illud Hippocratis: *His ſanguis ſua ſponte manans opitulatur.* Et lib. 2. de Morbis Mulierum ſubdit: *Si per nares, aut aures aqua, & mucus erumpat, a morbo liberatur.*

peraddito ſuccino præparato, & febrilem æſtum temperare, & laboranti capiti ſuccurrere poterit. Decreſcente morbo (quippe ut ipſe Galenus ait : *ob capitis dolorem vehementem nemo unquam mortuus eſt*) & extincta febri, aquam ſalſaperillæ pro ſubigendo acido laudarem.

EPISTOLA AUCTORIS

In qua reiicitur uſus chinæ chinæ pro tollendo morbo in hac Hiſtoria relato.

14. GRatulor ſummopere, meritiſſimum Adoleſcentem ab inflammatorio capitis morbo jam elapſum ad ſalutem properare. Quia tamen imminuta ſanguinis quantitate, natura ſcilicet & arte opem ferentibus, hoc contigiſſe conjectandum eſt, ſic poſt criticos ſudores, ſuperſtite adhuc febri, pariter timendum, ne in ductibus chylolymphicis, & in penitiſſimis viſcerum meandris latitans fermentaceus lentor, vel periodice in maſſam ſanguinis eructatus, vel tenui rivo in ipſam reptans, hanc febrim aut producat, aut confirmet. Cumque morbus lente incæperit, & autumnalis temporis conſtitutio jam inſtet, quodammodo ſuſpectus mihi eſt corticis peruviani uſus; quippe qui palliative tantum poteſt febrim ſuffocare, & inducias producere, at nunquam, niſi mea me opinio fallat, neque antiquas, neque recentiores cauſas averruncare, multoque minus eas perfecte tollere. Tutius conſilium mihi videretur, bis aut ter oxymel. B. Quercetani alternis diebus exhibere, & Bagliviano (1) more, ſuccis depuratis ſonchi, cichoreæ, & borraginis ima viſcera aperire, itaut pedetentim per excretorios tramites ſeducta morboſorum ichorum amurca, & ſolidorum ſtaſes diſſolvantur, & ſolidorum vires reviviſcant.

EPISTOLA ALTERA

Rationes ab Auctore redduntur, propter quas china china damnata fuit, oxymel laudatum.

15. ÆQuum eſt, Bondone doctiſſime, ut eorum, quæ elapſa hebdomada tibi ſcriptitavi circa morbum, quo torquetur N. N., rationem reddam; & eo præſertim, quia ab epi-

(1) Pag. 146.

epiſtola tua nudiuſtertius accepta, ipſum nondum ad perfectam valetudinem rediiſſe, invitus intelligo.

Neque vero, quod ipſe pro ſuſpecto habuerim uſum corticis peruviani, id velim opineris contigiſſe, quaſi exigua in me eſſet tui nominis exiſtimatio, aut putarem admirabile alexicacon, ubi in abſconditos viſcerum receſſus compenetraverit non domito vitalis fluvii tumultu, noxia ſymptomata producere poſſe. Quandoquidem & te ſapere ſcio, & ceteros omnes antecedere ſapientia potes, ſi morbi cauſas, gradus, metaſtaſes, criſes, Ægrotantis vero querimonias, jectigationes, uno verbo, circumſtantiarum omnium ſyndromen præſens obſervaſti.

Ad febrifugum vero quod attinet, ecquis audebit illud damnare, ſi Laurentius Heiſterus ultra duas chinæ chinæ ℔. Ægroto exhibuit, eundemque ſphacelo (1) laborantem ſanavit; ſique vix poteſt ſomniari caſus febrientis ſanguinis, in quo ab Auctoribus quandoque propinatum non fuerit? Fateor quoque, inter quotidiana artis experimenta quaſi ſemper obſervaſſe, raro contingere, ut Ægri noſtræ fidei concrediti aliquid damni ab uſu chinæ chinæ receperint, etſi non ſemper febris hinc domita fuerit. Accedit, aromaticam ejuſdem vim potuiſſe etiam fatiſcentes ventriculi fibras erigere, &, ſi qua extabat circa chyli officinam, impuriorem lentorum congeriem, fermentationes in ſanguine producturam, a ſpecifico remedii contextu corrigi atque diſſolvi.

Verum quia, inſtante jam autumno, agebatur de temperamento ſicco, atque picrocholo (quod non inepte Hippocrates inter cœleſtia ſigna cum leone, inter planetas cum marte, inter anni tempora cum æſtate, inter elementa cum igne, inter ſapores cum acutis, inter ſonitus cum tubis, ſymboleitatem habere perbelle demonſtrat), & lenta reſidua febris poſt acutum morbum, non ex accidentali meſeraicorum infarctu, ſed ex irrequietis principiis in ſanguinis ſinu exiſtentibus provenit, accedente quoque naturalium viſcerum calore, verendum erat ne, ob copioſos ſudores, pollentibus particulis ſalinis, & ſulphureis, in arefacta fibra coerciti lentores, etiam ſyſtema nervoſum comprimendo, ebullitiones in maſſa ſanguinis excitarent, ideoque aperitiva ecroprotica eſſent indicata. Ob id, humectato

(1) Rara ſane res eſt, quam, obſervante Heiſtero, pag. 520. vol. 5. Ephemerides Germaniæ referunt, cujuſdam nempe mulieris, & viri non ſolum *gangræna*, ſed etiam *ſphacelo* laborantium, ope peruviani corticis per os ſumti, liberatorum. De quo tamen, antequam alibi victoria canatur, repetita ulterius praxis conſulenda eſt.

diluentibus ſuccis corpore, oxymel B. Quercetani propoſueram, non tam ad inteſtinorum facilitatem cum exitu materiæ peccantis promovendam, ſed, quod rei caput eſt, quodque ſi te latet, latere non debet, ad domandam eodem momento, & eodem remedio virulentam Gallicam affectionem, qua olim pollutus fuit, & quæ nondum penitus extirpata, latentes cauſas augebat in morboſæ ægritudinis productione.

Quoniam vero his non obſtantibus, Patiens jam ſaluti proximus a nobis cenſetur, ſuperfluum puto, remedia proponere, majora ſperando ab ætate, victus regimine, & aeris riperiæ Salodienſis ſalubritate. Quando neceſſarium tibi videbitur, ſalſaperilla ſerum lactis alterare poteris. Interim vides, quænam fuerint argumenta, quibus innixa ſtetit mea tunc temporis opinio. Reliquum eſt, ut credas, me nunquam omiſſurum ea, quæ tua cauſa facere potero. Vale.

OBSERVATIONES
IN CAPITIS INFLAMMATIONEM.

I.

Animadverſiones circa uſum chinæ chinæ.

16. IN Ægris, in quibus febris primarius morbus non eſt, caute chinam chinam adminiſtrandam opinor, tam in principio, quam in progreſſu. Utroque enim tempore licet primario, ut diximus, inſons ſit, attamen ſecundario interdum noxia; quia poteſt naturam a ſalubri excretionum, & coctionum molimine divertere. Igitur in inflammationibus, aut cephalalgiis inflammationibus proximis, in vulneribus, ceteriſque tumoribus, quos Chirurgi *naſcentes* dicunt, ſemper chinæ chinæ uſum Ægris noxium deprehendi. Tunc enim per illas determinatas partes, & non aliter, pertinaces humores natura ſeparat & expellit.

II.

Æger cuncta, quæ ſcit circa morbi cauſas, Medico narrare debet.

17. VEh illi Ægro, qui morbi cauſam, tanto magis ſi morbus Gallicus eſt, adſtanti Medico tacet. Mihi credat, de

de proprio ludere corio. Quis enim negaverit, appellentia in ſupradicto caſu ad caput liquida a Gallico acido contagio non fuiſſe coagulata? ideoque non inutilia ſolum, ſed etiam noxia eſſe remedia, quæ antecedentem exoticam cauſam non reſpiciunt. Profecto qui cerneret caſum cujuſdam juvenis 22. annorum vel circa (dum hæc ſcribo, hujus cura mihi ſimulque D. Angelo Rinaldino demandata eſt), in cujus utraque pupilla poſt Gallicam gonorrhæam, & ophtalmicam inflammationem, fruſtra adhibitis purgantibus, cephalicis, decoctis, collyriis, mercurialibus, gelatinoſus viſcidiuſculus humor congelatus eſt, nubis, & pſeudo cataractæ inſtar, ſed ut melius dicam, puriformis materia (*Hypopyon* dicunt) viſum omni modo impediens, non tam eſſet alienus ab habenda fide, diram etiam ſymptomatum morboſorum viciſſitudinem, quæ evenit, & quæ remediis reluctata eſt, ab exotica cauſa non medicata pependiſſe.

HISTORIA V.

RAUCEDO IN GUTTURE, CUTIS IMPETIGO, VENTRICULI DEBILITAS, IMORUM VISCERUM ÆSTUS.

18. ILluſtriſſimus, & Eccellentiſſimus N. N. (ortus a Patre, cui ex ſalſo ſanguine puſtulæ & exanthemata ad extimam cutim effloreſcebant, mox podagram efficiendo, hæmorrhoidum fluxu, feliciter ſolvebantur, & a Matre defluxionibus ad laryngem, ad gulæ baſim obnoxia) quadragenario minor, temperamenti calidi, ſanguinei, fibræ mollis, & delicatæ, ante pueritiæ terminum variolis critice non ſuppurantibus obrutus, in pernicioſam incidit ægritudinem, a qua tamen bene elapſus, ubi ad duodecimum annum perveniſſet, ob quartanam febrim per annum integrum cedere neſcientem, chinam chinam ſumere debuit. Deinde paulo poſt pubertatem, ſuperata ſponteque cedente febricula trium dierum, priſtinæ incolumitati reſtitutus eſt. Interim tamen conqueri quandoque debuit de vigiliis, deque minus proſpera ventriculi fermentatione, adeo ut a Profeſſoribus non minoris famæ, qui tamen antiquo Galenico more procedunt, & agunt, ſancitum

fuerit, ex oppoſitis qualitatibus, frigiditate nempe ſtomachi, & hepatis calore, inceptorum incommodorum ſtamina eſſe deducenda. Poſt hæc, nuperis hiſce annis duo morboſa ſymptomata enata ſunt, quæ noſtris meditaminibus anſam præbent. Unum eſt quoddam lichen, ſeu ſumma cutis aſperitas cum pruritu, latine *impetigo*, vulgo *volatica*, quæ utrinque efflorescit, & nunc ſubtus dexteram mammam, & interne ſupra coxas conſpicitur. Alterum, & quidem majoris momenti (poſt erraticos, & interdum ſævientes dolores infra occiput in poſtica parte ſupra colli vertebras, moxque ad claviculas, & ſecundum directionem deltoidei muſculi deſcendentes) eſt uvulæ laryngis, & lateralium glandularum intumeſcentia, una cum quadam rubedine, inæqualitate, & aſperitate, ita ut pertinaci raucedine, quæ olim ſanguinis per nares hæmorrhagia ſolvebatur, ſe laborantem perſentiat; eique vox imminuta, & præpedita nunc magis, nunc minus, ſed ſemper ultra modum, ſit. Quoniam vero ſanguinis miſſiones, nucerinæ aquæ, chalybeata, decoctiones, abſynthii tincturæ, gargariſmata, totque alia medicata libamina incaſſum ceſſerunt, jure ac merito ad alia atque alia peragenda excitamur.

In hoc itaque rerum ſtatu quis in practica Medicina erit tam rudis, tam imperitus, qui aut ſalſuginoſæ cuti linimentum, aut interni gutturis raucitati gargariſmata admovere velit, miſſaque cauſa, effectum curare? In toto potius, ut ajunt, in viſceribus, in ſanguine quærenda, & determinanda eſt morbi radix. Quamvis ſiquidem abdominalia viſcera tactui mollia, & in ſtatu perfecte naturali reperta ſint, negari tamen non poteſt, quin ob minus elaſticas rugoſæ ventriculi tunicæ fibras, gaſtricumque ſuccum aut nimis inertem, aut minus elaboratum, chyloſis magiſterium ægre efficiatur, Nob. Ægro id ſignanter perſentiente; neque placenta nutritura bene a duodeni ichoribus ſubigatur, in id conſpirantibus circumſtantium fibrarum laxitate, probabiliter univerſali temperamento conſimili, & fortaſſe debiliori etiam partium organicarum tono. Quare impuræ maſſulæ per meſeraicorum ora in purpureum fluentum devolutæ, ſanguificationi, & nutritioni ineptæ, ſed tamen circumeuntes, non recta a capite, ut a Priſcis creditum fuerat, peculiari via nunquam viſa, in guttur deſtillant, aut depluunt, ſed ratione circuitus, atque motus particularum excrementoſum apparatum efformantium, partim cutim,

& mi-

& miliares excretorias glandulas impetunt, humidoque ſubtili evaneſcente & reſoluto, ſales ſui juris facti, cutim corrodendo, & vellicando exaſperant, partim internam gulæ regionem invadunt, & cartilagines omnes *thyroides*, *circoides*, & *arytænoides* laryngi, ſive glottidi famulantes, vitiant, utpote ceteris laxiores, forſanque ab ortu debiles; unde vocis modulatio aliquatenus intercipitur, & præpeditur. His omnibus ſi accedat, ut ait Cicero, *elatis verbis intenſa oratio*, quæ partem irritet, aut accidentalis interdum cutis, vel alvi denſitas, vel errores in victus regimine, vel animi pathemata, aut contentio in rebus gerendis, vel colendo ſtudio, quod ſpiritus animales abſumat, orbatis imorum viſcerum fermentis, in confeſſo eſt, langueſcere debere ſolidorum fibras, atque hinc ſanguinis circulum tardius perfici, ſero, & lymphis in cute, in gutture interim quieſcentibus. Quia tamen in florida eſt ætate conſtitutus (1), æqualis viget pulſuum rythmus, optima partium proportio, multaque facienda ſuperſint, elucet ſpes curationis (2); quæ quidem non tentanda eſt, ut communiter fit, extorſoriis pharmacis, ſed pedetentim, & ſuaviter, obſervato Rediano documento: *Saltem ne noceas*.

Miſſis propterea indicationum ambagibus, miſſaque fontium cantilena, duplici methodo ſuſcipiendum opus crediderim. Prima curam eradicativam reſpiciat, ſtomachum ſcilicet roborando, bilem corrigendo, atque ſalia temperando. At ſtomachum roborare citra calorem quis poterit? Ipſe tamen videns ea, quæ nutriunt, vi ſolis, aut ignis parari, ipſumque febrile incendium viam eſſe plerumque ad ſalutem, noſque tamdiu vivere, & ab extremo fato diſtare, quamdiu innato calore tepemus, non adeo frigida amo, ut vulgus facit canitque, remedia, neque a calidis alienus ſum. Cautiorem itaque viam ineunti, ſeligenda ſunt temperata, nempe lignum ſaſſafras, cortices aurantiorum, radix tormentillæ, zedoariæ, calamus aromaticus, fol. hepaticæ, marrubii albi, meliſſæ, lauri cum granis, flores roriſmarini, bellidis majoris, ſalviæ, cinamomum, factaque ipſorum infuſione in aqua communi, cum lacte caprino omnia B. M. deſtillanda ſunt, addita prius carne viperina, quippe quæ refrigerans remedium a Galeno habita eſt, eamque palmarium in cutis morbis, & fibrarum pareſi alexi-

(1) *In florida ætate raucedines, & gravedines non adeo difficilem coctionem admittunt.* Hippocrates 2. Aphoriſmorum 4.

(2) De pruritu, ſcabie, impetigine. Hippocrates Lib. de Affec. *Sunt autem talia turpido cutis magis, quam morbi*.

alexicacon ipſe puto. Quo ſane deſtillato, aut in uſualem potum converſo, aut matutino tepidiuſculo hauſtu ſorbillato, aut denique tamquam *theè*, *couphè*, aut *ſuccolatæ* vehiculo, pedetentim ſanguini communicato, optatus effectus poterit produci.

Altera methodus, quamvis eradicativa non ſit, magnam tamen afferre poterit utilitatem. Itaque cum videamus, in uno vel altero ægro, quæcumquæ ſint remedia in uſu poſita, aut vitio viſcerum fermentantium, aut imperfectæ miſcellæ, aut errore circuitus, adhuc excrementitias exundare lymphas, quæ in debilioribus partibus, morbos producendo, decumbunt; cumque inſuper a priori arduum ſit hoc præpedire, neque temperamenta violentis curationibus torquenda ſint, experientia duce, & arte docente, ſuperfluæ humiditates ad loca illa alliciantur oportet, per quæ utiliter natura conſuetas inſtituit evacuationes, a quibus fortaſſe imminutis morbus originem trahit. Hinc laxitas alvi, hæmorrhoidum, & urinæ procuranda eſt bis in menſe (parce enim aut nihil agendo, morbus perſeverat) ſumendo pilulas melanogogas Lancellotti, quarum inſitum magiſterium corallorum, & matris perlarum cum ſantalis poterit actu moderatæ expurgationis tunicas ventriculi roborare, latenſque aloeticus ſapor hæmorrhoidalem effluxum fortaſſe, ut Germanis ſolemne eſt, promovere : quod ut felicius contingat, & injectionibus emollientibus, & ſemicupiis, & fomentationibus, elutriata ſcilicet in ſubjecto laſano bullienti aqua, mollities, laxitas, ruptio, adapertio internarum, aut externarum ſedalium venarum pertentanda eſt, applicita, ſi lubet, ſemel in menſe ſolitaria hirudine, moxque vitatis adſtringentibus pulviſculis, & ſola vinctura premente, impedito ichorum hæmorrhoidalium exitu, ut iterum, ſed ſemper in parva doſi effluere poſſint. Si enim olim, ut diximus, ſanguinis, per nares exitu, raucedo evaneſcebat, cur novo hoc per mariſcas emiſſario, eadem utilitas ſperanda non erit ?

Denique quia morbi radix in ſero ſanguinis eſt, ejuſdemque exitus debet produci per loca convenientia, aptaque & conſueta illius tranſitui, non extra rationem erit, interdum diureſim promovere, tum quia hoc fieri poteſt abſque ne minima quidem Nob. Patientis noxa; tum quia impetigines prurigino ſæ oſtendunt ſalis in ſero dominium, quod quidem cum & in lotio reſideat, facillimum eſt coniicere, analoga liquidâ, mediis ſcilicet amplioribus tubis emulgentibus, ſeparari per idem

cribrum

cribrum facillima poſſe. Hoc autem poterit efficere terebinthina Veneta, millepedes, aqua ononidis, petroſelini, ſaxifragiæ, ocul. c. pp. & futura æſtate aquæ minerales ſecundum Friderici Hoffmanni documentum (1) cum lacte mixtæ ad curationem, & ſi morbus, ut ipſe auguror, jam domitus erit, ad præſervationem.

Gargariſmatibus cujuſcumque generis ſemper addatur aliquid, quod corroboret. Amygdalarum, & trachealium glandularum exuberans laxitas cum patens ſit, ideo conſiliandus eſt partis vigor, & priſtinæ elaſticitati reſtituendus. Inter cetera optima erit conſerva cynorrhodii cum tinctura laccæ. Saccarum enim incidit, reſolvit, reliqua vim addunt.

Vina meraca, & præcipue exotica, aut ſolus aquæ potus, noxia erunt. Sed modus in rebus, virtus in medio ſtat, vinumque aqua dilutum laudatur. Natura amat, quod innocens, & cui aſſueta eſt, reſtitante, ut refert Magnus Auctor, ad fundum ventriculi fermento, quod homogeneitatem cum futuris eſculentis habet. Læte vivat, quia morbus de illis eſt, qui facile curationem admittunt.

HISTORIA VI.

SALSA CUTIS IMPETIGO, CORPORIS PLENITUDO, PERNIONES ERYSIPILATOSI.

19. SAlſa impetigo in ſiniſtra ſubaxillari regione, mox in perinæo, tandem, & crudelius in infimo dextero crure, præcipue ſupra malleolum externum deſæviens, licet tempore hyemis ad eryſipilatoſi pernionis naturam accedere videatur, nihilominus, cum, adventante etiam æſtate, in imo loco perduret, & in ſuperioribus recrudeſcat, coniiciendum eſt, ab univerſali ſanguinis, & liquidorum omnium dyſcraſia provenire; ideoque non ſatis conſultum puto, ſi peculiare balſamicum unguen cutaneo morbo aptetur, ſed ulterius examinandum eſt, num procatharticæ cauſæ, & errores in victus regimine; num chyli officina, & hæmatoſis vitiatæ; num fervida abdominalium viſcerum conſtitutio, & ſalium aucta in ſanguine congeries antiqua ſymptomata producant. Quandoquidem ſecun-

(1) Lac cum mineralibus aquis ſumtum proponit: *Diſſ. XI. pag.* 137. *in opuſc. Phyſ. Med.*

ſecundum prædictarum cauſarum, ſimulque effectuum energiam, & præpollentiam, quæ erudito Adſtanti conſtabunt, & morbi ſedes cognoſcitur, & futuræ indicationes firmantur pro therapeja recte inſtituenda. Quia vero temperamenti calidi eſt & humido-ſanguinei, atque poſtremis hiſce annis, licet in florenti ætate, aliquatenus obeſus factus, & quaſi dixerim, univerſali incipiente plenitudine laborans, idcirco concreſcentes ſebaceos ichores in partium utriculis ceſpitare, excretorias ſeparationes præpediri, & humorum circuitum retardari, coniiciendum arbitror. Quare ſtaſi albi craſſamenti & lentioris ſanguinis in lymphaticis tubis, & venis producta, fermentationes morboſæ ſuſcitantur, acidum producitur, ſalinæ particulæ caput exerunt, quæ, mediis arteriarum extremitatibus, & lymphaticorum productionibus, ad ſiniſtrum præfatum emunctorium, atque ad miliares glandulas deductæ, contractiles cutis villos dilacerant, corrodunt, & ita convellunt, ut, impedito in tenuiſſimis venulis ſanguinis tranſitu, emergat partis affectæ rubor, vel circumſtantis regionis, ut in pede, cum corroſione, intumeſcentia. Ob id ita dividenda erit methodica curatio, ut primo diſſolvatur univerſalis liquidorum lentor. Secundo ut ſalium cuſpides hebetentur, & per convenientes tramites morboſi ichores ſecedant.

Sublata propterea aliquo lenienti medicamine primarum viarum amurca, & ſi lubet, humectatis deterſiſque chyloſorum canalium ordinibus, cichoraceo aliquo proxime naſcituro, laudarem ſummopere per aliquot dies uſum ſeri lactis depurati, præmiſſo cochleari tincturæ martis tartareæ Lemery, ad lentores omnes diſſolvendos aptiſſimæ. Propoſita pariter a Veronenſibus Medicis antimonialis aqua optatum ferre poterit juvamen, ſi ſtibium erit in parva doſi, & ſumme dilutum. Verum præcipua curationis ſpes, judicio noſtro, ſita eſt in aquarum mineralium potu, qui proxima æſtate inſtitui debebit, non Patavinas, non Nucerinas ſeligendo, ſed illas, quæ ex vena montana originem trahunt, videlicet S. Mauritii, aut vallis de Sole. Propterea nimirum quia, cum corpora ad plenitudinem vergunt, ſpirituoſo chalybeatum requiritur medicatricis aquæ gas. Poſt hæc, ſi ſupereſſent adhuc ſalini dominii recrementa, ad Balneum confugiendum erit.

OBSER-

OBSERVATIONES

IN IMPETIGINEM, ALIOSQUE CUTIS MORBOS.

I.

20. CAchinnos tenere non poſſum, quoties anxios video Chirurgos in locupletandis officinis, inque præſcribendis mille ſchedulis, & linimentis, ut pruriginoſas aliaſve ad cutim impetigines externis unguinibus curent, eventu nunquam eorum votis reſpondente, & quod pejus eſt (ſi nimirum applicita remedia, præter coſmeticam, etiam adſtringentem, & ſtypticam naturam ſapiunt) cum majori ægrotantis periculo (1), utpote repercuſſis, & ad centrales partes coactis ichoribus illis, quos critico levamine ad cutim, univerſale corporis emunctorium, admirabilis in effectibus ſuis natura moliebatur. Itaque ne bile perciti excandeſcant, neve Arti id vitio injuſte vertatur, ad ſolam conſiliandam Mulieribus vultus venuſtatem, atque ad tollendas ab inſolatione ephelides linimenta, aliaque id genus remedia hiſce in morbis permittantur. Hæc igitur res Medico comittenda unice eſt, qui ſecundum Friderici Hoffmanni documenta *naturæ ductum ſecutus, iis potiſſimum utatur remediis, quæ integram ſanguinis, ac humorum maſſam depurandi, ad exitum diſponendi, & per alvum cutimque e corpore proſcribendi, virtute pollent*. Ea tamen lege, ut ſi extima ſalſedo, vel tenuis, vel modica fuerit, ſano interne exiſtente corpore, aut ob illam deſpumationem melius ſe habente, caute agatur, quinimo cautiſſime, quo magis ſalſuginoſa effloreſcentia antiquior erit. Quod ſi recens fuerit, pruriginoſa, Gallica, ſcorbutica, verminoſa, exedens, ut ignis facer, & in partibus nobilioribus inſculpta, lituris fuſcis, & luridis, vulgo *maculæ hepaticæ*, conſpicua, & ad pſoram, ad zonam (2), ad herpetem, ad elephantiaſim accedens, cum præter damna, quæ infert, effectus quidam ſit, qui naturam cauſæ nanciſci poteſt, ob acquiſitum ex fermentatione in cutaneis glandulis virulentum acidiſſimum acorem, ſanguinis maſſam inficientem, primo, ope methodicæ curationis, de medio tolli debet, remediis illis internis (3) univerſalibus, aut in quolibet

(1) Vide Galenum lib. 5. de ſimpl. Facultate, & Hildanum cent. I. obſervat. 82., qui notat caſus eryſipilatum a quibuſdam inunctionibus in gangrænam tranſmutatorum.

(2) De qua Scribonius, Apulejus, Marcellus, & Henricus Smetius miſcell. med. lib. 10.

(3) Aretæus mille laudibus extollit helleborum album.

cutis affectu ſpecificis e dulcificantium familia (1), quorum farrago ad nauſeam uſque deſcripta & repetita, penes auctores habetur.

Secundo inficias non ibo cum Hippocrate (2), qualitates ſupra recenſitas, quæ mixtæ non nocebant, ubi ſecretæ fuerint in extimis cutis glandulis, & *in ſe ipſis ſteterint*, hominem lædere poſſe, ideoque in ſecretoriis miliaribus incerniculis, atque præcipue in membrana cutis pinguedinoſa, cum Galeno, Thoma Vvillis, aliiſque doctis neotericis Viris, ſenſim innovari, & ſalino indeſinenter alimento nutricari deleterium illud, quod cutim cum pruritu fœdat, & univerſalem maſſam inficit. Advertat propterea Medicus, & cuncta proſpiciat; ſique videt, naturam intus bene agere, & ſolum in cute ægrotare, eoſque pati morbos, quos per ſedulam praxim obſervavimus multoties, ope externorum unguinum, fugatos, tunc ſinat balnea, linimenta, mercurialia, ſulphurea, tabacum, & pulverem pyrium in uſum poni, pro ut reluctans morbi pertinacia poſtulabit (3).

II.

Ubi de Eryſipelate non tangendo.

21. QUoniam de cutis morbis ſermo eſt, declamare debeo contra decumanum errorem non quorundam tyronum, ſed multorum etiam, qui ſanum ſe credunt habere ſinciput, quique in omni cubiculo nuptam teſſeram adimplent purgandi, ſyrupandi, ſanguinem mittendi, & ſi Eryſipelas eſt, repellendi, exſiccandi, adſtringendi. Proh enormem uſum aliquid agendi! An ne Medici decus poſitum in eo eſt, ut ſemper ſcribat? Quæſo in poſterum, ne Medici in hujuſmodi morbo, aut in agendo, aut permittendo, ut Jatraleptæ, indiſcriminatim agant, ſint nimis præcipites; cum repetita praxis me docuerit, non quidem tantummodo in crumenæ ruinam projecta eſſe medicamina, verum etiam ipſis non fugata, & abire juſſa, ſed accita, promota, & adaucta, cum Ægri periculo, morboſa ſymptomata. Quæſo, quicumque eſtis, qui Medicinam facitis, ſi vobis me audire grave non ſit (quamvis Hippocrates (4) tot,

(1) Avicennas, & Arabes aqua anguriæ utebantur.

(2) De veteri Medicina.

(3) De cutis morbis videantur Theſes pathologicæ clariſſimi Friderici Hoffmanni nuper Venetiis editæ.

(4) Lib. 5. & 6. Aphoriſmorum, & lib. de natura Mulierum.

tot, ac tanta paret) parcite remediis; proiicite decoctiones ſalviæ, camomillæ, altheæ, ſacculos, ſapones, ſtercora, cretam, tutiam, olea, lixivia, myrrham, olibanum, raphanum ſylveſtrem, totque alia; & mihi credite, non aliud in eorundem omnium uſu, aut nomenclatura, tandem obtineri, niſi Ægroti damnum, & ſingularis memoriæ laudem. Enimvero ſive *a ſincera flava bile* productum ſecundum Antiquos eryſipelas ſit, ſive *ex ſale vitriolato conſumpto*, aut *ſulphure extra ordinatam temperiem evecto*, aut *ſeroſiore ſucci chyloſi liquore coagulato*, ſecundum medii ævi Scriptores, ſive denique ex ſubtiliori ſanguine derivetur (1), id unum certiſſimum eſt, a centralibus partibus ad ambitum, qualiſcumque ſit, a naturæ craſi deſciſcentem humorem, illis determinatis diebus, expelli, qui ſecundum fermentationis, & ſeparationis gradum neceſſarii ſunt, ut opus ſalubriter abſolvatur, ſublimato ſcilicet ad cutim ſubtili ichore, tum coacervata & interdum exeunte per majus emiſſarium craſſiori amurca. Proh! quot in maximo vitæ diſcrimine poſiti ſunt per adſtringentia cuti applicita. Videantur ſuper hac re Sennertus (2), Amatus Luſitanus (3), Hoechſtetterus (4), qui memorant apoplexias, phthiſes, hydropes, & morbos etiam organicos, aliaque horrenda ſymptomata, vitio ſolidorum, ex adhibitis linimentis exſiccantibus unice derivata.

At ſurget fortaſſe aliquis omniſcius Tyro, ſchedulas a tergo ſcribendi cacoethe laborans: nonne poteſt amurca illa cathartico expelli? Reſpondeo, enixe ab illo quærens, quando, & quomodo id contigerit? In principio enim, vel abeſt in inteſtinis, vel, ſi adeſt vitioſa materies, hoc certum eſt, cruda non eſſe movenda. In fine, morbus jam domitus eſt. Ad modum quod attinet, & vomitus, & tormina, & convulſiones a purgantibus etiam lenientibus excitatas pluries vidi. Vidi fæcalem quidem ſaburram in imis inteſtinis exiſtentem eductam, ſed in pejus ruente Ægro, ob coarctatas ſcilicet a ſtimulo, & ſuperaddito motu poroſitates illas, per quas natura ad inteſtinalem tubum noxios humores demittit. Vidi

(1) Non negamus tamen, dari poſſe eryſipelas, quod veteres, Galenus ſcilicet *ad Glauconem*, & Hippocrates ſexto *Epidemiorum*, dicebant *phlegmonoſum*, a ſanguine bilioſo, eoque abundante pendens. Tunc non inficior, in juvenibus meraciori potui deditis venam eſſe tundendam; quia morbus læthalis evadere poteſt, ſi ab extra ad intra retrocedat humor, ut ait idem Hippocrates VI. *Aphoriſmorum*.

(2) Pag. 176.

(3) Centuria ſecunda.

(4) Decad. VIII.

periſtalticum motum præpeditum, mota ea, quæ non nocebant, enormem flatuum productionem effectam. Vidi abolitas ad ambitum deſpumationes, ſpirituum animalium conſumptiones, ſtomachi languores, & anorexias confirmatas; & poſt tot, quæ vidi, adhuc videre opto Medicum, qui me doceat de natura, de viribus, quas ſuſcipit medicamen, ubi in viſcera adactum eſt. Paucis Eryſipelas, ut plurimum, tangendum non eſt. Medicus ſolo diætæ, aeris, & ſtragulorum regimine, cunctando in reliquis, & nihil agendo, vincit.

HISTORIA VII.

SCIRRHUS IN LINGUA, ET ALTER INFRA MANDIBULAM, POST HÆMORRHOIDUM SUPPRESSIONEM.

22. EGregius Sacerdos ſexaginta amplius annos natus, conſtitutionis calidæ, & ſiccæ, ex ſanis Parentibus genitus, in primo adoleſcentiæ flore maligna febri correptus fuit. Proindeque ſequentibus annis erraticæ in promptu fuerunt febres, quæ purgantia, & venæ ſectionem multoties poſtularunt, & præcipue, quia ſemel ipſis conjunctus fuit dolor in dextero humero, cum aliquo ſanguinis ſputo. Quibus omnibus feliciter ſuperatis, viginti & ultra ab hinc annis ad moderandum in abdominis viſceribus æſtum, ſolvendamque acidam melancholici ſubdominii ſobolem, conſulto ad Darfienſes acidulas in valle Camunorum Brixiani diſtrictus ſcaturientes ſe contulit. His epotis, & tranſactis, hæmorrhoidalia vaſa cœperunt ſanguinem fundere cum aliquo levamine; atque hinc, evacuatione ſenſim ſine ſenſu iterata, ſanam alioquin vitam tranſegit; ſed anno 1735. ſenſim imminuta, tandem æſtate nuper elapſa conqueſtus eſt de anguloſo dentis mucrone, qui linguam in ſiniſtro latere feriebat. Ob id, poſt duos menſes, propriis manibus ipſum extrahere decrevit; ſed nihilominus lingua ab aliis dentibus irritata, & compreſſa, actu loquendi, & deglutiendi, aut ineptitudinem in exequendis, aut dolorem ex labore, & attritione perſentiebat.

Accita propterea Chirurgi ope, tribus ab hinc menſibus, & reperta in ſiniſtro linguæ latere duritie, ablutiones oris ex

aqua

aqua hordei, & ſpiritu cochleariæ, cum melle roſato præſcriptæ fuere, dentiumque acutæ ſummitates verſus internam concamerationem proclives, quæ morbi cauſæ credebantur, lima penitus abraſæ ſunt, ſimulque exhibita fuit caſſia, atque varia gargariſmata ex dulcificantium familia.

In hoc rerum ſtatu, cum præter linguæ reluctantem remediis duritiem, præterito Januario, ab extra, infra ſiniſtram mandibulam, & muſculi maſtoidei confinia, eminere, & protuberare inciperet exiguus tumor, Bergomates Medicos conſulere opportunum duxit. Inibi vero ex linguæ foveola, in quam dentes arietabant, ex duriſſima aliquatenus albicanti prominentia, ubi ipſi deerant, exque tot relatis ab Ægro dentium cum lingua confricationibus, preſſionibus, & luctis, ſancitum eſt, callum in muſculoſo-carneo linguæ latere ſuccreviſſe, ac proinde gargariſmate ex decocto guaiaci, & ſalſaperillæ exſiccandum eſſe, & radicitus extrahendum proximum dentem, qui anguloſis lateribus linguam vellicabat.

Verum omnibus fruſtra executioni mandatis, Brixiam venit, noſtram opinionem petiit, optans, ut qualiſcumque ea ſit, in medium proferatur, majora accedant monita, &, clariſſimo aliquo Viro auſpice, remedia inſtituantur.

Non igitur ex accidentali, aut perenni dentium licet inæqualium & anguloſorum contactu, neque ex ſenſim compacto callo, origo aut perſeverantia morbi expiſcanda eſt; ſed potius autumandum, interno tumore ad ſcirrhi naturam accedente, ab epiglottide ſcilicet, & a foramine cœco, & a baſi ad apicem per ſiniſtram longitudinem uſque ad medianam lineam, hujuſce Patientis linguam laborare.

Quandoquidem, cum aliqui menſes excurrant, ex quo durities ſe prodidit, & cognita fuit, neque ad ullam unquam ſuppurationem inclinaverit; cumque Medico tactui reſpondeat, veluti ligneum & gypſeum, ſemper æquale obſtaculum, extimo etiam reticulari, & papillari involucro communicatum, non cedens, non vi elaſtica reſiliens, ſed alioquin flexilem, & mollem linguæ productionem dirigens atque indurans, abſque aucta nimis membranarum, muſculoſam ſubſtantiam cingentium, mole, coniiciendum eſt, ex acida, auſtera non quantitate, ſed deleteria, & virulenta qualitate, concurrentibus illis concauſis, quas graphice exaravit Magnus Mazinus, nervoſas, fungoſas, capitatas, pyramidales præcipue albas papillas, &

utri-

utriculorum omnium fibrillas, & productiones ſecundum ſiniſtram linguæ longitudinem, neque frænuli radicibus parcendo, fuiſſe invaſas, corrugatas, labefactatas, adeout, amiſſa flexibilitate, & mollitudine, difficilis orta ſit maſticatio, manſorum glutitio, & locutio, quæ ex goſſypio, aut plumaceolo in ore geſtato, ubi dentes deſunt, & ad linguam premendam facilior aliquatenus redditur.

Scirrhoſæ pariter indolis eſſe, ſuſpicandum eſt, exiguum, caſtaneæ magnitudinem æquantem tumorem, qui ſubtus ſiniſtram maxillam exporrigitur durus, inæqualis, & linguæ ligamentis connexus, & præter miliares, & lenticulares, quas afficit, in maxillaribus, in ſublinguali oblonga ſiniſtra glandula, forſan intime implantatus eſt, adeout durum corpus ſimul conſtituere videatur.

Neque vero ulterius immorabor in deſcribendis contumacis morbi cauſis. In pichrocholo enim habitu, in atrabilari (1), quaſi dixerim, temperie, & dominante melancholico ſulphuris æſtu, nil mirum, ſi commiſſis in victus regimine erroribus, ſuffocatis prudenti conſilio animi pathematibus, imminutis poſtremis hiſce annis per hæmorrhoidalia vaſa expurgationibus, ex quo, referente Hippocrate (2), *Eudemus in Lariſſa* interiit, & occaſione præteriti autumnalis aucupii, offenſis noxiorum ventorum incurſibus, in exſiccato, & lenteſcente (3) corpore infenſa ſalia, & particulæ ſurrexerint, quæ ſalivali, & lymphatico menſtruo nuptæ, dum per linguæ glandulas reptabant, atque ab hæmatis, & circulationis orbe ad excretorios ſalivæ ductus deportabantur, pedetentim in glanduloſis acinis concretæ, & auctæ, ſcirrhoſi tumoris ſtamina, & incrementum produxerunt.

Quoniam tamen hactenus nullus ſævit lancinans dolor, qui exulcerationem proximam (4) eſſe indicet; nulluſque livor, aut atræ varices affectam ambiunt partem, eo collimare deberent Medico-chirurgicæ artis conatus, ut majores hi gradus, ſi fieri poteſt, vitentur, viſcerum calorem temperando, ſalium cuſpides, & ſulphura hebetando, tumorem emolliendo, & reſolvendo.

Ob id facta fuit ſanguinis extractio ab hæmorrhoidibus, & ad executionem eorum, quæ natura præteritis annis utiliter indica-

(1) Hippocrates agens de bile ait: *Et hoc pacto univerſi morbi hominibus ex his fiunt.*

(2) 5. Epidemiorum.

(3) *Quo tempore*, ſunt Hippocratis verba, *cineres, & aduſtiones juvenilis caloris prædominari ſolent.*

(4) Ut Hippocrates *de Tumoribus*, admonet.

indicabat, & efficiebat (1), vitatis activioribus remediis fermentationem in morbo producere pollentibus, exequendo ſolum indicationem emolliendi, & reſolvendi, qua methodo Galenus ſcirrhum in Circilii filio ſanavit. Ideo nec diſpliceret uſus emplaſtri ex flore caſſiæ, & hirudinum nido, aut ex ſpermate ceti, magneſia, radice altheæ, malvarum, parietariæ, & ſeminibus lini ad mollitiem coctis. Sed utrum iiſdem ſecundum mentem Clariſſimi Mangetti interdum immiſcendus ſit ſuffitus ex aceto, & vini ſpiritu ſupra candentem lapidem molarem, trepidanter dubitamus, cum reſolvendi limites excedat. Quare erit ſatius inſtare aut cerato de ranis (2), aut ammoniaco, & ſagapeno, aut emplaſtro Barbette ſaponato cum camphora, & oleo hyoſciami malaxato. Interne vero opus tentare ablutionibus ex decoctione paſſularum, liquiritiæ, ſalſaperillæ, vincæpervincæ, aut lacte humano, vel aſinino in mortario plumbeo agitato, & linteo madefacto applicito; quæ etiam utiliſſima eſſe poterunt ad moderandam cutaneam phloghoſim, quæ in tonſillis, uvula, & imis faucibus quandoque conſpicua eſt. Ad præſervationem inſuper eorum, quæ contingere poſſunt, addantur oculi cancri, ſaturnina, plumbum uſtum, unguentum album camphoratum, oleum e cochleis deſtillatum, unguentum de ranis viridibus Aquapendente, ſuccus ſemper vivi majoris, & minoris, lactucæ, ſolani, plantaginis, & ſimilia ſecundum exigentiam diverſo modo præparata.

Pharmaceuticis ſubinde remediis, lenienti ſcilicet, ſed miti, expiatis primis viis, cœpit ſumere ſerum lactis depuratum, atque alteratum tantillo ſalſaperillæ, donec adventantibus ſpecificis vegetabilibus, præcipue epiceraſticis, & hepaticis, decoctiones, aquæ deſtillatæ ex catellis tenerrimis, & nuper natis, aut ex ſanguine anſeris, & anatis recenter jugulatorum, ſyrupi denique in uſum ponentur, ad ſanguinis craſim temperandam.

Demum cum morbi cauſa neque a lentore repetenda ſit (etenim corpus ad macritudinem, & colliquationem cum frequenti expuitione inclinat), neque ex ſubtilitate (quandoquidem de quiete, & de tumore agitur) neque ex acrimonia,

aut

(1) In morbis ab hæmorrhoidum ſuppreſſione productis non extra rationem eſſet ſeſſio ſupra *Tabaci placentam*. Ait enim Ramazzinus de morbis Artificum cap. XVII., mihique narravit, vaſa hæmorrhoidalia multum ſanguinis profudiſſe, cum ſuper placentas illas ſederet.

(2) Nonnulli commendant *cataplaſma milii in lacte cocti*; ſed timendum, ne lac mollitiem ſuppuratoriam inducat.

aut tetano (etenim abeſt dolor) ; ſtatuendum , noſtras verſari debere illationes , & hypotheſes circa cauſam , quæ cognitu difficillima eſt , quæque medicamenta ſpernit , ſi mitiora ; exaſperatur , ſi validiora : unde probabiliter opinari poſſumus , virulentam eam eſſe , veneficam , activiſſimam , & præcipue in albis ductibus , & glandularum ordinibus radicatam , ejuſque peculiare menſtruum eſſe ſalivam , ſi cum ipſa humor exit ; atque adeo illius peculiare cribrum eſſe glandulas ſublinguales, præcipue ſi cum ipſis fermenteſcit , atque ad excretoriam expuitionem , ſed non perfectam , perducitur .

Addenda itaque erunt in curatione alexipharmaca , & calidum , ut nonnullis placet , innatum , niſi perennantia , ſaltem reficientia , ut effœtis ſpiritibus ſuccurratur , & ſolidorum niſus non fatiſcat .

OBSERVATIONES

IN SCIRRHOS , ET SCROPHULAS .

I.

23. SCirrhus , quem Avicennas (1) *ſephiros* vocavit , ille dicitur , qui *permanens in membro duriſſimus , & ſine dolore eſt (2) , & in tali ſtatu omnibus reluctans remediis perſeverat* . Sed velim animadverterent Medicinæ candidati , ſcirrhum aut eſſe viam ad cancrum (3) , aut de illo participare : quod ſane patet , ſi priſcis Scriptoribus fidem habeamus , atque a noſtra praxi lucem ducamus . Humor enim melancholicus , exuſtus , atrabilaris utrique fatale ſuppetit alimentum ; uterque difficulter admittit curationem ; nullumque aliud intercedit diſcrimen , niſi indolentia , & difficilis ſuppuratio in primo , lancinans , erraticus , tranſitorius dolor , & facilior ſuppuratio in ſecundo , Ægro adhuc vitam ſuam protrahente , quod in Scirrho non contingit . Non enim ita pridem duo habuimus funebres Hiſtorias , quas ad illuſtrandam praxim ſubmitto , ne in poſterum Chirurgi hac in re Galeno (4) credant , ſed tumores

(1) Tractatu II. cap. 12.

(2) Secundum accidentia , & mixtionem ſuccorum *interdum alicujus ſenſus , & doloris eſt particeps* . Gabriel Fallopius cap. XXX. de Scirrho pag. 768.

(3) Ut ait Fridericus Hoffmannus cap. VI. de omnis generis ulceribus : *quum omnis cancer in principio verus fuerit Scirrhus* .

(4) Etenim cap. 10. ad *Glauconem* profitetur, ſe cancrum ſanaſſe, odioque ſe dicit a Medicis proſecutum , quia ſola purgatione *Carcinomata*, & *Elephantiaſim* curabat . Sed quiſque credat, quod poteſt , ac velit .

mores ſcirrhoſos cautius tractent ; quippe ſi res ita peragatur, Ægri , referente Celſo (1) , multoties ad ultimam ſenectutem perveniunt .

Una eſt ſupradicti Religioſi , qui , cum in exequenda methodo , a me una cum docto Viro Hyacintho Mompiano præſcripta , videret aliquod utique ſolamen recipere , non tamen priſtinam illico incolumitatem , ut illi erat in votis , obtinens , ſe cuidam empirico , ſalutem de certo ſpondenti , exhibuit . Ope itaque mercurialis unguinis pertentata curatione , biſque aut ter delibuta affecta totius colli , & ſiniſtræ maxillæ regione , violentiſſime commotis aduſtæ & efferæ bilis principiis ; e veſtigio violenta fermentatio enata eſt , cum rubore , & ſucceſſiva inflammatione, adeo ut brevi , læſis jam partibus ad ſphacelum properantibus , e vivis ſublatus fuerit .

Altera eſt Hiſtoria morbi , cujus cauſa paucis ab hinc diebus e vita migravit Nob. Comes N. N. annorum 70. temperamenti calidi , & ſicci , in quo ſubtus ſiniſtram aurem , & ſupra deltoidei muſculi fines , uno ab hinc anno , tumida moles ſurrexerat , quæ in ſuæ productionis principio benignæ credita indolis , diſſolutionem & reſolutionem admittere poſſe videbatur ; verum incaſſum pertentatis omnibus , ad majora , ſuadente Chirurgo , tranſitum fecit , nempe ad illa , quæ , ob inſitum ſpiritum , & elaterem, ſtagnantia corpora , & hærentes particulas , *ut ſi eſſent in lapide* , loco movere poſſent . Sed ab eorum omnium uſu pejora ſymptomata enata ſunt , nempe dolores , accenſiones , rubedines , febres , tracta in conſenſum clavicularum , & homoplatarum regione , invaleſcente in dies totius corporis macie , & alvi ſtypticitate , adeo ut in tanta cruciatuum , & periculi ruina accitus , laudare debuerim propoſitum conſilium , abſtinendi ſcilicet ſuper partem affectam a quocumque remedio , eo quia inæqualis tumor ſcirrhoſæ indolis nobis viſus eſt . Interim tamen , non omiſſa corporis humectatione uſu aquæ lactis , & emulſionum , blandeque alvo ſubducta , & propinatis opportunis ſpecificis dulcificantibus , quibus meliuſcule ſe ſe habens per multos menſes e lecto ſurgere potuit , tumore eandem ſemper faciem præferente ; ſed rorida humiditate jam conſumpta , exſiccato fibrarum ordine , & invaleſcente febri , ex improviſo extima cutis accenſa , rubens , & ſuppuratorium orgaſmum nacta , proximam rupturam minitata eſt.

(1) De re Medica 28.

In hoc rerum ſtatu, cum adſtans Chirurgus D. Jovita Caſſetti tumoris ſectionem, licet indicatam, formidaret, quia jam in vulgus fama ſcirrhoſi tumoris minime ſecandi invaluerat, iterum conſultatio facta fuit cum ordinario Profeſſore D. Joſeph Fogario, ſtatutumque eſt, quod licet antiqua & pertinax morbi radix ferro tangenda non eſſet, attamen ob ſanguineam metaſtaſim, novumque inflammatorium productum, attenta inſuper patenti fluctuatione, & mollitie, proximoque urgente vitæ periculo ex ſuffocationis metu, tumorem eſſe ſecandum, admonitis prius adſtantibus de ancipiti exitu, in mediumque propoſita ratione illa, quod ſola ſectio, utpote ſuffocationem imminentem impediens, ſubitaneo ſaltem periculo occurrere poterat. Secto itaque tumore, pus quoddam album, neque in modica quantitate, effluxit. Verum ſenſim adhuc ingraveſcente morbo diem obiit ſupremum.

Ex quibus omnibus arguendum eſt, vulgare illud: *noli me tangere*, non ſolum de perfectis cancris dici debere, ſed etiam de tumoribus ſcirrhoſis, qui cum ad ſuppurationem perveniunt, mors præ foribus eſt. Ergo iterum iterumque monebo (quod Chirurgiæ Candidatis velim maneat alta mente repoſitum) tangendos non eſſe (1).

II.

Arcanum ad curandas Scrophulas.

24. PRædictis ſcirrhoſis circa collum tumoribus lubet aliquid addere de ſcrophulis, tum quia tumores ſunt, qui cognationem habent, tum quia, referente Gabriele Fallopio, utrique morbo idem aptari poteſt remedium, nempe pyrites multoties ignita, & in aceto poſita, additis inde ſuffumigatione, & aceto; item ſpongia marina uſta, radix ſcrophulariæ, filipendulæ (2): ſed hæc obvia.

In Operibus Fulvii Gherli olim mihi amicitia conjuncti, curatas ab ipſo ſcrophulas legi, ſed non ſine mœrore altum tunc vidi, data opera, de remedio ſilentium. Clariſſimus tamen Valliſnerius literis a me excitatus, arcani notitiam a Gherli obtinuit, eamque pro ſua humanitate mihi communicavit. Quia vero

(1) Si Ægrorum gemitus aut Parentum querimoniæ urgeant, ab uſu laminæ plumbeæ mercurio oblinitæ, aut emplaſtri Hildani, aut Saccari Saturni, aut, ferociente dolore, ab uſu lactis, ex propinqua mamma calide inſtillati, aut denique ab adſtringentibus pulveribus, ſi hæmorrhagiæ contingant, diſcedendum non eſt.

(2) Hieron. Mercurialis in Conſult. Med. ad curationem ſcrophularum laudat ſummopere *Emplaſtrum ex lentibus, & aceto acerrimo*, vel *argentum ſublimatum, ſucco plantaginis caſtigatum.*

vero neſcius an in poſtremis operibus illud publici juris fecerit, nefas ducerem, agyrtarum, & circumforaneorum more, illud cum Medicinæ, & proximi detrimento reticere (debent enim arti Hippocraticæ addicti prælo committere ea, quæ utilia inveniunt, & ſalubria) ecce formulam.

Felli bovino in ſua cyſti integro addantur tria cochlearia ſalis communis, & olei nucum : cyſti deinde, aliquo temporis intervallo, aut Soli, aut leviſſimo calori expoſita. Stuppæ ichore illo humectatæ, bis in die ſcrophuloſis (1) tumoribus aptentur.

In Nobili Juvene triginta annorum, adſtante Sapiente Viro Franciſco Guadaneo, expertus Chirurgus, Brixiani Xenodochii lithotomus, Antonius Tonolinus, non minus curioſe, quam libenter novum hoc, ut ajebat, remedium a me præſcriptum, executioni mandavit. Mirum dictu : ſpatio quindecim, vel viginti dierum duriſſimæ inæquales protuberantiæ ſubtus maxillas, quæ aliis remediis non ceſſerant, e voto ſolutæ ſunt. Verum (quod ſilentio prætereundum non eſt) cum annoſa nunquam extirpata ſiphylis eodem tempore decoctum alexipharmacum ſpecificum poſtulaſſet, adhuc hæreo incertus, cuinam perfecte, & in toto, & in parte obtenta ſalus tribuenda ſit.

HISTORIA VIII.

ULCUS AURIS AB ICTU EXTERNO CUM DOLORIBUS SUPPURATORIIS, ET AUDITUS LÆSIONE.

25. FUeritne ſanguinis lentor in tortuoſis meatus auditorii anfractibus ſenſim quieſcens, proindeque acerrimam indolem, & ſuppuratoriam diatheſim conſtituens ; num vero violenta, olim facta, & mihi memorata ab ipſo Nob. Patiente ex ictu externo contuſio (2), quæ, dilaceratis aut compreſſis nervoſis, vel ſanguiferis auris ſiniſtræ ductibus, alicujus fluidi extravaſationem produxerit ; id unum certiſſimum in præſens eſt, internum probabiliter calloſum ulcus præcipuas artis

 noſtræ

(1) Praxis docebit, num vera ſint, quæ aſſeveranter affirmat Hippocrates, Lib. de *Coacis prædictionibus* : *Strumæ poſt annum quadrageſimum ſecundum uſque ad ſexageſimumtertium non fiunt*.

(2) Ut notat Dolæus in *Encyclopædia Chirurgica rationali* Lib. 10.

noſtræ requirere meditationes, & remedia. Etenim exitus per vices puri ſanguinis, dolores ſuppuratorii per tempora ſævientes, ichoroſi denique puris perpetuo extillantis excretio, indubia ſunt ulceris teſtimonia; atque hujuſcemodi ulcus non ſolum in meatu auditorio latitare, verum etiam ipſius labyrinti, & cochleæ proceſſus impetere, ſuadent tum auditus læſio, tum purulenti ichoris in palatum deſcenſus, quoties in oppoſito latere ſomnum capere intendat. Quod licet dari poſſit citra fiſtuloſum cuniculum, quia naturale foramen patet, attamen cum exile admodum ſit, vixque aeri pervium, quoties fæculenti laticis tranſitus facillime promovetur, coniiciendum eſt, a præterfluente pure internos parietes abraſos fuiſſe, ideoque & ipſum eſſe ulceroſum. His addamus, quod cum difficile ſit ſuper affectam aurem ſemper quieſcere, quando in adverſa parte inclinato morboſo ductu, pus mechanica lege deſcendere cogitur, non ſolum tuſſim multoties jam expertam parturiet, verum etiam corroſis uvula, aut tracheæ, vel eſophagi ſummitatibus, vel ultro ſecundum corporis inclinationem, aut reptans, aut deſcendens pejora ſymptomata in motum ponet.

Curatio propterea, quoad fieri poteſt, ultro procraſtinanda non eſt. Ideoque cum ab antiquo organicæ partis vitio labes aliqua univerſalibus fluidis addita eſſe poſſit, & contra perfectus ipſorum ſtatus ad partis ſalutem collimet, prima indicatio in eo erit ſita, ut fluida ad meliorem ſuarum particularum periſtaſim reducantur, meatus, totaque interna auris concameratio detergatur, itaut, conſumpto etiam callo, ſi oportet, laudabilioribus inde ſarcoticis optata cicatrix contingat, & producatur. Proximo itaque vere ad æſtatem inclinante, alvo leviter lenientibus excitata, & adhibitis per hebdomadam cichoraceis, ſequenti vulnerario decocto, interpolatis quandoque purgantibus, per triginta dies utendum eſt: ℞. rad. chin. ʒ. ii. lentiſc. e Chio, viſc. quercini ãa. ʒ. ß. inf. per noctem in aq. com. qm̃. ſat. mane add. hederæ terreſtris, veronicæ, tormentillæ, biſtortæ, flor. hypericonis, rad. ariſtol. ro. ãa. pug. i. bull. ad rem. ʒ. xii. pro duabus vicibus, & ſic deinceps. Ulterius ut liquida, quæ ſub perennis fluxionis nomine, ad caput auremque confluunt, non minus ſupradicto decocto dulceſcant, verum etiam alio deriventur, & influant, aliquot doliolis aqua calida repletis, alterutrinque poſitis, ſuaviter, prout peculiaris idioſyncraſia feret, ſudores omni mane promovendi

ſunt

ſunt per quadrantem, per dimidiam, per horam ſi lubet, habito ſemper reſpectu ad vires, ad tempus, ad concomitantium circumſtantiarum varietatem, prout aſſidenti Clinico videbitur.

Dum hæc executioni mandantur, manus non vulgaris auri affectæ admovenda, & candela cerea, aut ſpecillo plumbeo, vel argenteo tortuoſi ductus ulceroſa inæqualitas tentanda, obſervanda, & adamuſſim conſideranda eſt. Lineæ quoque turundæ ad neceſſitatem modulatæ intromittendæ ſunt, & ad aliquod tempus relinquendæ, ut receptæ impreſſiones ad latera nobis pateant, & doceant, aut figura, aut colore, ſcilicet puris vel ſanguinis, vel naturalis ceruminis, vel omnium hoc, vel illo loco receptorum. Poſt hæc, ulceroſus ſinus ſuaviter ad injectiones diſponatur vel lacte, vel aqua hordei, in qua poſtea ſolvendum erit mel roſatum, deinde unguentum ægyptiacum, poſtremo præcipitatum, aut ol. vitrioli, in parva tamen quantitate, ſecundum partis tolerantiam, & calli reſiſtentiam. Ut autem injectiones, in quibus curationis cardo conſiſtit, quia ferrum & ignis non conveniunt, e voto reſpondeant, ſiphonis cannula ita accomodanda eſt, ut medicamentoſus ejaculatus liquor verſus prementem manum non revertatur, ſed abſcondita auris penetralia ingrediatur; quod facillime obtinebitur goſſypio laterali ſummitati cannulæ circumligato, externumque meatus auditorii foramen affabre obſtruente, ut coercitus liquor circumquaque, ut ita dicam, violenter diffuſus, labyrintum ipſum totamque cuniculoſam auris tendentiam ſubeat, & medeatur. Ubi autem conſtabit de deterſo ulcere, aliquatenus vivificatis affectæ cavitatis lateribus, & nativo calore in motum poſito, ope lactis virginalis, aut linimenti ex ſcoria ferri, & aceto ferveſacto, quo Galenus uti ſolebat, balſamicæ inde immittendæ erunt injectiones aut vini odoriferi ex ſarcocolla alterati, aut balſami Arcei, vel de copaya, aut ſalviæ ſucci, aliquot guttis ſpiritus terebynthinæ irrorati, aut adhibendum ſuffumigium ex maſtich, myrra, & thure paratum.

OBSER-

OBSERVATIO

IN ULCUS AURIS.

26. QUid in ſupradicto Ægro contigerit, ob ſummam diſtantiam neſcio; ſed id unum animadverto, non alia ſane, ut diximus, via ulcus auris curari poſſe, quam per injectiones, quarum modus, & inſtrumentum egregie deſcribitur ab Aquapendente, ut videri poteſt in Bibliotheca Chirurgica Mangetti pag. 149.

Addere etiam non tædet iis, quæ diximus, remedium a Galeno probatum in curandis aurium ulceribus, trociſcos ſcilicet Andronii in aceto diſſolutos, qui ſequenti modo conficiuntur. ℞. Balauſtiorum, atramenti ſutorii ãa. ʒ. i. Excipiantur omn. melicrato, & fiant trociſci. Vide Joannem Vigier.

HISTORIA IX.

MYOPIA, SEU VISUS DEBILITAS IN DEXTERO POTISSIMUM OCULO OB NIMIOS IN STUDENDO LABORES.

27. VIſus debilitas in dextero præcipue oculo tribus ab hinc annis enata in Religioſo Adoleſcente Ordinis Prædicatorum, licet ab aliqua liquorum oculos alluentium dyſcraſia, vel viſciditate pendere poſſet, attamen, ſi utramque pupillam, tunicam corneam, liquores, & mechanicam ſtructuram nullis adumbratam maculis, aut caligine intuemur; ſi optimam totius temperamenti conſtructionem, ad calidum quidem, & humidum vergentis ad examen revocamus; ſi denique argumenta ſumimus a proſpera perenni valetudine, qua hactenus gaviſus eſt, atque a Brixiani aeris qualitatibus, non adeo frequenter oculorum morbos producentibus, in eam devenire ſententiam cogimur, ut credamus, præcipue a commiſſis in ſtudendo laboribus, nimiaque animi, nervorumque opticorum contentione in mathematicis figuris, & machinulis delineandis, quibus ſummopere delectatus eſt, oculorum texturam pedetentim labefactatam fuiſſe. Quapropter juxta infallibile illud principium, quod, remota cauſa, tollitur effectus, non

alio

alio ſane modo curatio dirigi debere videtur, quam ut in poſterum a ſtudiis penitus abſtineat.

Verum cum etiam Parens ſuus interdum ophtalmiis corriperetur; cumque hyemis tempore Religioſi Patientis oculi vix expergefacti ſanguine tumeant, objecta ad duos aut tres paſſus diſtantia viſu non cernat, & quoties licito litat mero, illico vis videndi obnubiletur, ne aut, pulcherrimis licet ab extra apparentibus oculis, guttæ ſerenæ exordia fiant, aut in ſolidis tunicis inertia, vel criſpatura invaleſcat, aut denique in liquoribus viſcidiuſculæ ſtaſes, præcipue inter corneam, & cryſtallinum, cum Galeno (1), concreſcant, utique ſuadet methodica ratio, ut ſuperflui a naturæ uſibus humores ad infima emiſſaria pellantur; ut ſanguinis maſſa corrigatur, cicuretur; utque ſpecifico aliquo remedio (2) nobiliſſimæ partis tonus ad naturalem ſtatum reducatur.

In hunc autem finem cum inſtans jam canicula curationem præſentem prohibeat, hoc interim ſpatio ſupereſſet cogitandum, num acidularum potus, num balnea optati eſſe poſſent juvaminis, quod Mantuanis Medicis, quos verſus Æger iter facit, judicandum, & exequendum delegatur.

Incæpto vero Septembri, facta ſanguinis miſſione, &, poſt ſumtum lumen a peculiaribus ipſius qualitatibus, eadem, quatenus opus ſit, repetita (ait enim Hippocrates, magnus ille non honoris, aut gloriæ, ſed veritatis (3) amator: *lippitudinem (4) ſolvit venæ ſectio*) per epicraſim promovendus erit viſcidorum excrementorum exitus, pilulis de ſuccino Cratonis per intervalla ſumtis, & interpoſito ſyrupo ex euphragia, & roſis albis; humectatis viciſſim oculis collyrio ex ſaccaro Saturni, vitriolo albo, & aqua plantaginis, in qua pluries thus accenſum extinctum fuerit, aut ex felle, melle, & ſucco fœniculi, aut ex aqua marina, & origano, ut partis vigor conſervetur. Utatur vino albo (5), & dormiat cruribus retractis; *ne ita facile in caput ferantur vapores* (6).

OBSER-

(1) De *Uſu partium*.
(2) Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicinalibus laudat viperina.
(3) Sic de illo loquitur Bartholomæus Sylvanus Lib. *de Atra bile*.
(4) Secundo Epidemiorum, ſectione 6.
(5) Vide Bibliothecam Chirurgicam Mangetti Lib. XIII. pag. 255.
(6) Mangettus ibidem.

OBSERVATIO IN MYOPIAM.

28. ETsi multa jam proſtent pro curanda viſus debilitate remedia ; quia tamen, teſte Macrobio (1) & Plinio (2): in fodinis æris , & nitri *operarii non lippiunt* , patet quomodo collyria ex hiſce mineralibus parata, in oculorum morbis utilia eſſe poſſint .

HISTORIA X.

OPHTALMIA RECURRENS , FRONTIS ET TEMPORUM INFLAMMATIO , GALLICA LUES ORIGINARIA, ET CONFIRMATA.

29. ILluſtriſſimus Vir quadraginta circiter annorum , temperamenti calidi & ſicci , & ad iram proni , ortus ex Matre ſana , ſed ex Patre , qui ob Gallicam luem e vita migravit , ubi ad decimumſeptimum ſuæ ætatis annum perveniſſet , enormi variolarum eruptione coopertus atque obrutus, talem veluti debilitatem & vitium in oculorum tunicis , membranis , palpebris & circumſtantibus etiam muſculis contraxit , ut frequenter torqueri , & corundem ophtalmica inflammatione laborare coactus fuerit. Hiſce poſt triennium acceſſit Gallica lues , quam Gualterus Harris Medicus Londinenſis *venenum* appellat (3), decoctis quidem curata alexipharmacis , ſed iterum contracta , & ad multos annos revireſcens in humilioribus ſemper tantummodo locis , cum fluxu ſcilicet ſeminalis per urethram ichoris, & bubone in inguinibus.

Quia vero aucta ætate , aut ſemel , aut bis in anno , ſemperque ad plures menſes perſeverans, in promptu erat ophtalmia , cum oculorum accenſione , interdum quoque cum viſus læſione , & tenſarum palpebrarum immobilitate , turgentibus frontis , & temporum muſculis , varia vario tempore adminiſtrata fuere artis præſidia , ex omni Medicæ facultatis promptuario petita ; cathartica ſcilicet , caputque purgantia , ſetacea , veſicantia , pediluvia , quæ tamen ob pedum dolorem omiſſa

(1) Lib. 7. cap. ultimo.
(2) Lib. 31. Hiſt. Nat. cap. 10.
(3) Diſſert. de *Lue Venerea , ejuſque origine, natura , & curatione* .

omiſſa fuere, pluresque venæ ſectiones, quæ aliquod afferre levamen videbantur.

Verum anno 1728. reſæviente iterum morbo, panaceam, Clariſſimi Valliſnerii documento, ſumſit mercurialem, & poſtremis hiſce annis in uſum poſitæ fuerunt aquæ Hirmenſes acidulæ minerales, dulcificantia, pilulæ mercuriales purgantes, collyria, cucurbitulæ, ſed omnia abſque ullo juvamine. Etenim etiam citra manifeſtas cauſas in rerum non naturalium abuſu dira affectio rediit.

His igitur ſtantibus, cum arduum propemodum ſit tollere vitium & læſionem illam, quam in oculorum regione, & præcipue in ſolidorum inſervientium coordinationibus reliquit energetica variolarum activitas, reliquum ſane eſt, ut, cum videamus tamen Patientem ad plures interdum menſes bene ſe habere, noſtri conatus dirigantur ad compeſcendum ſanguinis æſtum, ad diſſolvenda ſalia, & impura ſulphura, atque ad imas laxandas partes. Sic enim morboſa liquida caput impetere deſinent; ſicque lex orbis eadem in altum urgebit, vel ſaltem nocendi aptitudine orbata erunt.

Quia vero præſentium lator erit ipſe Patiens, ideo ulterius non divertam in referendis actis, in examine cauſarum, locique affecti. Addo dumtaxat, igneam temperiem, fervidam viſcerum abdominalium conſtitutionem, & irrequieti ſpiritus dominium aliqua remedia reſpuiſſe, multa, & præcipue collyria non admiſiſſe.

Ob id in præſenti favorabili temporis conſtitutione non ſalivationem mercurialem cum Chriſtophoro Jacobo Treuu (1) propono, ſed potationem, & balneationem aquarum Lucæ laudavi, & Nob. Ægrum patrio inibi aliquo Profeſſori, quem ſapientiſſimum auguror, lubens remiſi, ut decernat, exequatur, & raptim ſcribenti parcat.

(1) Curavit *Fœminam robuſtioris habitus, & ſucci plenam cephalalgia, atque amauroſi* laborantem. Ait enim: *Reſolventibus, & attenuantibus una cum antiſpaſmodicis aliquandiu adminiſtratis, poſteaque viis primariis probe expurgatis, tandem ſalivationem largam ſola inunctione mercuriali provocavi, qua rite abſoluta, cephalalgia evanuit viſuſque integer rediit.*

HISTORIA XI.

HERPES IN CAPITE, LUES GALLICA IN TOTO POST UVULÆ ET TONSILLARUM INFLAMMATIONEM.

30. VIr quadragenario minor, picrocholæ temperiei ad aduſtam vergentis, in ipſo juventutis exordio ex febri quartana feliciter elapſus, anno 1732. ab impuro ſcorto virulentam gonorrhæam contraxit, cum ſucceſſivo ulcere circa penis glandem, quæ quidem opportunis remediis miteſcere viſa ſunt. Verum novis pariterque pollutis illecebris excitato, & capto, iterum ſeminale colliquamentum per urethram fluere cœpit cum aliquo ardore, & dolore, quæ actu mejendi exacerbabantur; tantaque, & dira fuit virulenti hujuſce contagii activitas in urethræ parietibus, proſtatis, capſuliſque ſeminalibus inſculpta, ut, ſpreta omnium medicaminum, etiam ſpecificorum, adminiſtratione, in circumſtantibus liquidis labem, in propinquis glandularum, & utriculorum folliculis vitium produxerit; unde Gallicus bubo ad radicem penis in inguinibus enatus eſt, cum quodam corniculo a baſi ſurſum gracileſcente, quod ſuppurationem minitari videbatur. Neglecta interim, aut ob adſtantis Chirurgi ſocordiam, aut ob ipſius Patientis negligentiam, ſectione, ſenſim ſine ſenſu evanuit tumor, latenſque muriaticum contagium (quod a magno Patavinæ Univerſitatis lumine Alexandro Macoppe *corroſivum partium ſolidarum*, *coagulativum fluidarum* dicitur) in ſanguinem abſorptum, totam œconomiam animalem labefactavit; unde Chirurgicæ artis Profeſſores, quando de hernia ſuſpicio abſit, faciliores eſſe deberent in hiſce tumoribus ſecandis, etiam ſi nondum ad perfectam concoctionem pervenerint. Quamobrem, adaperto emiſſario, morboſa recrementa exeunt; ipſo clauſo, univerſalis maſſa inficitur; & in praxi pejores non occurrunt hujuſce morbi effectus, quam illi, qui retroacto buboni ſuccedunt. Hinc Ægro melius, licet ſero, poſtmodum reſipiſcenti, ardente ſirio, ſectio inſtituta fuit in inguine, cum abundanti expurgatione, quæ tamen ceſſit, continuo, & replicato uſu decoctionis etiam ſtibiatæ ex guajaco & ſimilibus. Verum autumno 1736. novis urgentibus vireſcentis

tis Gallicæ luis ſymptomatibus cum uvulæ, & tonſillarum inflammatione, curationem Brixiæ inſtituit, uſu mercurialis panaceæ, quæ producto ptyaliſmo & gingivarum exulceratione, cum abundanti exitu ſpumoſæ, & filamentoſæ lymphæ, abſolutum penitus eſſe curationis opus, promittere videbatur. Nihilotamenminus poſt paucos menſes, hyeme ſcilicet præterita, cruſtaceus & ulceroſus herpes capitis peripheriam operire cœpit, nunc fronti, nunc ſincipiti magis aut minus moleſtus, tandemque in occipite, in præſentiarum radicatus cum multiformi puſtularum eruptione, quæ licet aliquando minuatur, aliquando cum pruritu, & dolore (1) protuberet, attamen, quia nunquam penitus ſolvitur, timorem Patienti de non integre ſublato morbo incutit. Ob id ne in pejus ruat, lapſa jam præſenti hyeme, iterum curationem tentandam, morbumque radicitus tollendum in votis quis habere non poterit? Et licet quæ fieri poſſunt, facta jam multoties videantur, attamen quia rationi conſona poſthabenda non ſunt, æqua igitur judicii lance conſiderandum puto.

1. Specifica decocta fortaſſe Gallicum virus integre non edomuiſſe, atque in penitiſſimis viſcerum mæandris reſtitaſſe aliquas heterogeneæ naturæ particulas, quæ, data alicujus motus, aut procatharticæ cauſæ occaſione, in ſanguinem refluæ antiquas ærumnas ſuſcitare poſſunt.

2. Adhibitam panaceam, producto ſanguinis, & totius lymphæ colliquamento, per ptyaliſmum exitum exoticæ cruditatis molitam fuiſſe. Cumque, ſtante peculiaris hujuſce temperamenti diſpoſitione, ad capitis arcem quævis liquida inclinent, & etiam ante contractam labem caput laboraverit, hinc eſt quod ab elaſtica hydrargyri vi in motum poſitis, & inibi per omnes venas impetuoſe appellentibus liquidorum omnium undis, ſicuti in gingivis, palato, & jugulo, ita etiam in reliquis corticalibus partibus aliqua continui ſolutio producta eſt, quæ pediſſequam habuit fibrarum laxitatem, & glandularum inertiam; quare acres ichores hærent, novo indeſinenter commeatu aluntur, fermenteſcunt, ſuppurantur, exſiccantur, huc illucque ſerpunt, variaque exanthematum, & tenuium tuberculorum eruptione, puſtulatum occiput efficiunt.

3. Morboſam peculiaris idioſyncraſiæ ſymboleitatem ſyphili-

(1) *Verum, ſi quod eſt, quod mitigat eſt oleum rutaceum.* Gabriel Fallopius dum cap. XCIV. *de dolore Articulorum* ex lue venerea loquebatur.

dis virulentiam confirmaſſe. Etenim ſalacitas, plumbeus, luriduſque Ægri color, irrequieta ſalia, atrabilare ſubdominium id jam ſatis oſtendunt. Quare ſicuti flamma, aut fumus flammam allicit, & aquæ guttula in amplexus alterius guttulæ ruit, nil mirum, ſi nativis, & adventitiis aciditatibus in triſte conſortium nuptis, & læſionum momenta emerſerint, & concoctioni morbus reluctatus fuerit.

Quæ cum ita probabiliter ſint; nec in ærario Medico, quod ſciam, majora reperiantur ad Gallicam domandam luem ſpecifica, quam guajacum, ſalſaperilla, & mercurius, ſed multipliciter præparata, & ſubacta, reliquum eſt, ut ipſiſſimis remediis opus pertentemus, ſed diverſo modo adhibitis. Ratio autem, propter quam recidivus herpes clinicam opem in præſentiarum poſtulat, non aliunde ſane derivanda videtur, niſi ex hoc, quod autumno antea elapſo, ſpretis prope divini Hippocratis dogmatibus, panaceæ mercurialis uſu per partem affectam, per caput ſcilicet, evacuatus fuerit. Quamobrem potius, & contra adventante vere, eliminatis prius inteſtinorum ſaburris, lente per catharſim, & epicraſim exitus acidæ heterogeneitatis producendus, ſimulque muriaticum miaſma domandum eſt, ope pilularum Belloſte per menſem integrum alternis diebus ſumtarum; quarum quidem actionem ſecundum circumſtantiarum varietatem dirigere poterit adſtans Medicus. Ipſis vero deficientibus, illæ poterunt ſubſtitui, quæ Brixiæ in vico Capucinarum, in officina ſcilicet D. Petri Maſperoni, notæ probitatis Viro, parantur. Quas denique ſi ſub hoc etiam cœlo, ad Sebini ſcilicet lacus littora, ubi Æger inhabitat, efformare luberet, ſequenti modo, ſecundum formulam Bertaldi poterunt fieri ℔. mercurii ſucco limonum extincti ʒ. iii. aloes optimæ ʒ. ii. ß. rhab. ell. ʒ. i. ß. diagridii ʒ. i. agarici ʒ. ß. ſtyracis calamitæ, cinnamomi, macis, ſantal. citrin., ſalſaperillæ, ligni ſaſſafras ãa. ℈. i. mellis cum decocto ligni ſancti uſque ad evaporationem aquæ cocti, & deſpumati qm̃. ſat. miſſ. fiat maſſa. Doſis ℈. ii. circiter. His enim, addito præſertim ſuccino albo, optatæ valetudini via ſternetur, uno eodemque actu aqua antimoniali, ſed ſatis diluta, & in uſualem potum ſumta, peregrinos ſales, & viſcidas aciditates ſolvendo.

Ulterius vero, quia probabile eſt, poſt peractam curationem, adhuc tamen in liquidorum maſſa, & ſanguinis gremio muria-

muriaticum originarium germen ſubſiſtere, quod aliquando ab adhibitis remediis, licet neceſſariis, augetur, non paſta ad præſervationem a Paſchale Sveſſano compoſita, ſumenda eſt (1), ſed menſe Julio aquarum mineralium potationem recidiva ſalſedinis ſemina omnimode deſtructuram eſſe, confidimus. Ex his autem poſſunt ſeligi, quæ ex agro Patavino tranſvehuntur, *Virginis* dictæ, aut illæ ſubſtitui, quæ prope Hirmam in Brixienſi ſcaturiunt. Nec ſpernenda eſſet tepida balneatio. Ubi enim adeſt hypochondriorum ſiccitas, hepatis æſtus, & fibrarum omnium rigiditas, aquis opportunius remedium excogitari non poteſt, aut inveniri.

De parte occipitis affecta nihil hoc loco dicam; quandoquidem, ſublata remediis pharmaceuticis cauſa, ipſe quoque effectus tollitur. Quando tamen puſtulæ integre non evaneſcerent, tonſis prius in orbem ad tuberculorum, ſive exanthematum baſim capillis, adhiberi poterit ſequens unguen 2. mercur. dul. pul. 3. i. ſaccar. ſaturni, corall. rub. præp. ãa. 3. i. cum lacryma abietina, & ol. hypericonis qm̃. ſat. ducantur in mortario plumbeo ad conſiſtentiam linimenti; ſuperponendo ceratum diopalmæ. Novæ iterum argentariæ vitentur elecebræ, Deus adſit, & victus ratio.

HISTORIA XII.

Herbipoli Brixiam Auctori tranſmiſſa.

LUES GALLICA, ULCUS VESICÆ, CARUNCULÆ IN URETHRA.

31. *Patiens 44. annorum complexionis Phlegmaticæ ante 70. annos Gonorrhœam nactus, palliative ſæpe fuit curatus per mercurialia, ut Turbith. min. regimen ſudoriferum, cum decoctis ſolitis anteſcorbuticis. Remanſit tamen dolor urinam mittenti, & non obſervata diæta, per vitam alias ſedentariam auctus, ut nunc, a duobus annis non niſi cum ſummo dolore urina mitti poſſit, guttatimque defluat principio purulenta ad ſimilitudinem lactis, craſſa & mucilaginoſa, una cum ſemine naturali & ſucco nutritio. Vires proſternuntur, caro defluit, ventriculo officium concoctionis non rite peragente. Affectum ſumme promovit medici-*

na

(1) Libro, cui titulus: *De Morbo quodam compoſito, qui vulgo apud nos Gallicus appellatur*. Cap. VIII. Paſtam præſervativam præſcribit.

na Chymica ante 2. annos assumta ; utpote quæ plus minus duas libras ejusmodi albi liquoris elicuit , maximo cum dolore , spatio 10. horarum . Sputum viscosum , lympha crassa eiicitur ex ore , quandoque cum bilis particulis , quandoque post 5. horas ab assumpto cibo , chylo nondum perfecto , sed materia cruda . Siccitas oris continua , hæmorrhoides ante annum comparuerunt , & omissa per 2. annos venæ sectione , alias solita , a 3. septimanis iterum comparent , jam ter licet parum copiose , debilitant tamen , & tremorem artuum faciunt . In urethra caruncula nulla deprehenduntur ; nam candelæ ad ostia vesicæ sine impedimento truduntur , circa perinæum dolor profundus ab exulceratione glandularum prostatarum . Urina de die sæpius cum horrendis doloribus mittitur , & de nocte sine sensu guttatim , etiam non volenti , decurrit . Timent Medici febrim lentam ex inanitione : symptomata aliqua ab acidula ante annum sumta mitigata sunt , remanente semper eadem urina turbida & mucida albaque : recruduit nunc malum , neque , ut puto , eradicari poterit , nisi adhibitis specificis antescorbuticis , qualia instituis in tuo libello . Timent Medici suadere ejusmodi , ne D. Patiens omnino exsiccetur . Somnus D. Patientis est inconstans ; appetitus varius , abhorrens vinum , carnes , & cerevisiam ratione lupuli ; sola frigida placent & omnia refrigerantia . Vox raucedinem quandoque sonat , a mense frigus sentitur in extremis corporis de die ; de nocte in lecto ob plumarum calorem corpus incalescit , urentibus summopere plantis pedum & palmis manuum , cujus rei hæmorrhoides dicunt causam . Sudor tamen nullus , neque tussis ; ceteris , ut judicant Medici , intestinis principalioribus adhuc salvis . Malum insigne augmentum cœpit ab exercitiis matrimonial. habitis a decennio , ducta uxore . Semen cum succo nutritio sine sensu abit , nec amplius arrigitur ab anno .

Candela longitudinem digitorum 8. transversalium superans cum sensu immittitur , adeo ut conjecturæ sit locus , totum ductum urethræ vel vaginam esse exulceratam . Petitur consilium & instrumenta necessaria .

AU-

AUCTORIS RESPONSUM.

32. EXotici, & virulenti ſumme genii, conjectandum eſt, fuiſſe gonorrhæam, quam D. P. multis ab hinc annis contraxit, ſi impreſſa in ſeminalibus proſtatis labe, invitis ſpecificis, & rationalibus adhibitis remediis, dyſcraſiæ etiam fluidorum incitamento fuit, ideoque in præſens adhuc animalem corporis fabricam a venereo tabo laceſſitam, ac obrutam condolere debeamus. Quo ſane poſito, non demiror, quomodo tot ſymptomata emerſerint, nullaque unquam pax fida a ſubdolo morbo obtenta ſit. Etenim, cum perpetuus dolor urinam mittenti liquidorum accurſum ad partem affectam promoveret, & ſeminalis materiæ, nutritiique roris exitus ſpiritus ipſos ſecum veheret, univerſalium fermentorum debilitas, ſaliumque denudata aſperitas præſto fuere; unde exuſta bilis in ventriculum uſque diſcurrit, ſputaque tingit, vires deſunt, hæmorrhoidalia vaſa ab humorum acredine titillantur, & hiſcunt, vox rauca, ab adſtantibus denique Phyſicis febris lenta formidatur. Plurimum mihi faceſſit negotii peculiaris morbus in lotii tramite gliſcens, ubi cum nullæ carunculæ lateant, coniiciendum certo eſt, depaſcens ulcus ſerpere, quod abradenti canalium ſectione materiam fundat: in quo præſertim duo conſideranda veniunt. Primo, quod non immune eſt ab ulceris ſuſpectione ipſum veſicæ collum, cum noctis præſertim tempore, inſciente Ægroto, morboſe dehiſcat, ſinatque ſtillantem urinam defluere. Secundo, quod cum ſola urethra tot purulentias fundere non poſſit, reliquum ſane eſt, ut opinemur, ipſas aut a veſica ortum ducere, aut a morboſis glandularum proſtatarum cuniculis: quod quidem ſedulo inſpecta matula nos docebit. Si etenim ſanies in ipſa veſica lotio nupſerit, ægre ad fundum ſubſidet ob intimiorem cum urina miſcellam; ſi vero a ſola urethra, aut a proſtatis (præterquamquod perpetuo diffflueret, quia nullus ſphincter ejuſdem tranſitum præpediret) vix mictum ab urina ſeparabitur.

Hic autem liceat veluti per tranſennam, dubium, quod meæ menti inſidet, proponere. Fateor lubens & ipſe, ab expoſitis ſolummodo cauſis morboſam ærumnam poſſe pendere; verum quia aliquando idem effectus a gemina, & diverſa cauſa oritur, ſic ſedulo in erudita, & tranſmiſſa narratione animadvertens, quod horrendi ſemper dolores mingentem ſequuntur,

tur , perennis viget in perinæo dolor , morbuſque ſemper ſpecificis mercurialibus reluctatus eſt , dubitandi occaſionem nactus ſum , utrum veſicæ calculus ab invicem ferruminatis tartareis particulis auctus , præſentia incommoda pareret , aut antiqua confirmaret : quod quidem , & ſi citra præcedentem arenularum excretionem , fieri poſſit , attamen in ancipiti tantum propono , quoniam a magnis adſtantibus Viris opportuna facta jam fuiſſe pericula , confido .

Quæcumque ſint , modicum in hoc caſu emolumentum a ſyringa vermiculari ſperandum eſt ; quia non ægre advenienti urinæ facilitas admovenda , ſed potius ubertim ſtillanti hebetudo , & moderamen . Quid , quod ipſum veſicæ oſtium morboſe aliquando hians ſyringæ apicem difficulter ad ſui contactum ſineret , & purulentiæ , quæ a proſtatis defluunt , in obſtructo laterali urethræ foramine a ſyringæ parietibus retroactæ , ex violenta mora majorem putredinem nanciſcerentur ? unde topicis potius remediis urethræ , & veſicæ ulcus detergendum , atque ad conſolidationem diſponendum eſt , & , quod plus urget , univerſali quodam remedio , in id medica debent eniti molimina , ut liquidorum tollatur diacriſis , utque placidiores niſus in ſolidis omnibus reformentur , & vigeant . Laudo autem ſummam Adſtantium ſedulitatem in evitando hoc in caſu decoctum alexipharmacum *antigallicum* , quod ipſi *anteſcorbuticum* dicunt . Remedium etenim eſt , quod abſque ſudoris adjumento parum prodeſt , & cum ſudore conjunctum lacrymabiles peperiſſet effectus , cum jam nimis liquida omnia in urinam colliqueſcant , macieſque a ſiccitate formidanda veniat . Vis igitur remedii confœderata ſit , oportet , nutritivis particulis ; ita ut , dum ad domandam luem in viſcera ſerpit , balſamicum quoddam gluten refrigerantibus non exutum particulis , ſe convehat . ℞. rad. chin. ʒ. iii. rad. can. mont. ʒ. ii. lentiſc. e chio ʒ. ii. ß. ſantal. alb. ʒ. ß. inf. per hor. xxiv. in aqua agrimoniæ ℔. x. add. fol. malv. cichor. borag. tormentill. biſtort. hyperic. ãa m. ß. pull. exan. n. i. ranarum decoct. n. xii. lactis vaccini ℔. xii. ponantur oĩa in organis vitreis & ſ. a. deſtillentur . Data opera , exigua ad aquam , & lac proportione , medicamentorum ſeriem in hoc deſtillato volui impoſitam , ut non ſolum quinque circiter unciæ mane , & ſero ſumerentur , ſed in continuum etiam potum in prandio , & cœna verteretur ; hoc tamen diſcrimine , ut ſummo mane illi-

us uſum laudarem tamquam idoneum vehiculum pro ſequentibus pilulis ℔. ſalſaperill. ell. m. pul. ʒ. v. balſ. de copaya ʒ. ß. f. bol. xxxx. auro obducti pro decem vicibus, & ſic deinceps. Cumque potiſſimum quoad exulceratas partes mea ſpes in hoc balſamo conſtituatur, ſic externum etiam ejuſdem uſum enixe ſuadeo; unde opportunæ erunt injectiones mediis ſiphunculis in urethram inſtillatæ, ut inde ſcilicet ſalina acrium ichorum ex ulcere manantium ſpicula hebetentur, & terebinthinoſo ingenito glutine, caro, novaque epidermis reproducatur. Decernant ulterius Herbipolenſes Medici, utrum in principio, quo ſuavioribus opus tentandum eſt, ſequens poſſit mixtura congruere ℔. aquæ roſ. plantag. ãa. ʒ. iv. ocul. c. præp. thutiæ præp. ãa ʒ. ß. m.; an tranſitus ad majora faciendus ſit, hoc eſt ad aquam calcis vivæ, in qua mel roſatum, aut aloe hepatica fuerint infuſa, aut denique in re deſperata mercurius aureizatus, aut lacerta viridis, opportuno vehiculo iniicienda ſint; licet pro tempore ad horrida tollenda ſymptomata lac muliebre trudendum in urinæ iter veniat, totaque perinæi regio unguento roſato malvino illinienda. Diæta Medicis reſpondeat aphoriſmatibus. Syringæ vermiculares non mittuntur, tum quia in hoc caſu videntur non adamuſſim congruere, tum quia in præſentiarum in promptu non ſunt. Attamen earum ſtructuræ ſedulo incumbam, ut, ſapientiſſimis Adſtantibus Phyſicis iterum admonentibus, illico mitti poſſint. Deus adſit, & D. P. ſoſpitem exoptatæ incolumitati reſtituat, quam votis omnibus apprecatur.

Illuſtriſs. Sig. Sig. Prõn Colmo.

33. *CON molto obbligo ricevo la gentiliſſima riſpoſta di V. S. Illuſtrma con il ſuo dottiſſimo parere circa un caſo medico inviatole. Per ſoddisfare al ſuo deſiderio ſi accuſa con queſte righe il ricapito e l' approbazione del Medico ordinario. Il Sig. Paziente ſi trova tuttavia nel medeſimo ſtato, e ſi deve aggiungere al caſo ſpecificato: quod læſio illa in partibus genitalibus ante 5. menſes comites habuit tumores glandularum inguinalium, bubones venereos imitantes, qui intra octiduum iterum diſparuerunt. Urina, quæ corpore emittitur, tota eſt purulenta, & ſtante per ho-*

ram, ad fundum ſubſidet pus. Illa autem, quæ per noctem vel de die procumbenti in lecto abſque ſenſu effluit, coloris ordinarii, abſque ſedimento eſt, & per diem ſtans aſſumit colorem ſubrubrum, quod quidem ſignum exiſtimat Medicus calculi relaxationis renum. Jam ab aliquibus diebus utitur balſamicis pilulis ſeq. 4. gum. junip. ʒ. i. arab. maſtich. ell. ãa. gr. xv. rhabarb. optimi ʒ. iii. ſuccin. alb. præp. coral. alb. præp. cryſ. mont. præp. ãa. gr. xv. balſam. de copaya ʒ. ii. de ſuccin. gutt. v. miſc. & cum balſam. peruvian. q. ſ. f. ℔. ſive pil. ad ϑ. i. n. xv. Pro injectione eadem aqua, ac tua commendata fuit; pro potu autem ordinario ſequens decoctum: 4. radicum chin. in tal. conciſ. ʒ. i. ſalſaperill. ſuculent. & pingu. ʒ. vi. cinnam. acut. ʒ. iii. raſur. dent. hyppopoth. ʒ. iii. paſſul. min. ʒ. vi. inciſa m. d. ad ch.

D. Patiens ſe commendat ulteriori favori, utcumque ſe habet, extra lectum domum perambulat, ægre licet, dormit, ſed carnem faſtidit, & vinum atque olera, non niſi juſculis veſcitur, & diæta tenui. E per fine mi raſſegno

Di V. S. Illuſtrma

Wirtzburg 13. *Giugno* 1723.

Umilmo Divotmo Servitore
Giorgio Corrado-Sigler Secret. del Conſeglio Eccleſiaſtico, e Bibliotec. dell' Univerſità di Vvirtzburg.

OBSERVATIONES
IN NOVAM METHODUM CURANDI CARUNCULAS, ET FISTULAS URETHRÆ.
I.

34. VIginti excurrunt anni, ex quo methodus (1) noſtra pro curandis carunculis, & fiſtulis urethræ publici juris facta fuit; noſtrumque petit præſens ſumtum onus, ut quæ deinde obſervanda circa eandem methodum quotidianum Medici

(1) Exercitatio Medico-Chirurgica &c. Brixiæ Typis Jo: Mariæ Rizzardi.

ci officium produxit, ad praxim ſemper magis promovendam in medium afferatur.

Neque vero ſatis dicere poſſum, quantum in quavis, ſi poſt renes, urinæ ſuppreſſione vermicularis ſyringa (1) reſpondeat, tam ſi collum veſicæ, ejuſdemque ſphincter ab apoplectico inſultu, & paralyſi ſyderatus ſit, lapiſque internus, aut muci, & glutina os obſtruant, quam ſi meatus urinarius ab informi cicatrice corrugatus, aut a carunculoſis tuberibus, dummodo ſyringa tranſeat, impeditus ſit; & præcipue in illis caſibus, ubi Chirurgus non ſatis practicus vocatur. Tenſa ſiquidem communis & inflexa in ſummo apice ſyringa ægre per tortuoſam urethram penetrat, niſi magiſtra manus, & lumine ducto a D. Thoma Alghiſi (2), & perpetuis experimentis docta, ſciat ſyringæ apicem, poſt membri iter, ſuaviter ſurſum vertendo compellere. Ideoque Chirurgi, re infecta, cum Ægri damno diſcedunt; non quia morbus, aut impedimenta obſtent, ſed quia argenteus catheter bene contrectatus non fuit.

Contra vero vermicularis ſyringa, in cujuſvis Chirurgi manu ſit, per urethram facillime penetrat, inflexam meatus tendentiam obſecundat, ubique in veſicam fuerit adacta, facilius detinetur, labenti peni obtemperat, lotium deſcendit, uno verbo, Ægri ipſi ab illa minus abhorrent: quare hortarer Chirurgos, ut illam ſemper paratam penes ſe haberent.

II.

35. AD alteram vero noſtri inventi partem quod attinet, de ſyringa adaperti capitis (3), quæ actu mejendi lotium recipiat, & exportet, quin carunculæ, aut fiſtulæ humectentur, non nimis gratulandum mihi eſt, cum in praxi multæ emerſerint difficultates, nec ab aliis in diſſito cœlo Profeſſoribus accepta, in uſumque demandata, quod ſciam, fuerit. Ea ſiquidem, quæ in uno vel altero Ægro feliciter contingunt, in omnibus neceſſario accidant, conſectarium non eſt. Ob id quamvis rationi conſona methodus illa fuerit, ætati tunc noſtræ parcendum, tuncque bonus animus proximo juvandi æqui bonique conſulendus eſt. Semper idcirco libera, & parata mens ex quo maturuit, & ſaltem in ſcrutandis morbidæ naturæ myſteriis, poſita ſemper opera, lente profecit, quid in methodo

(1) Vide pag. 123. & Figuram V. Tab. I.
(2) In *Lithotomia*.
(3) Fig. II. Tabulæ I.

noſtra confirmandum, quid mittendum ſit, en publici juris facit.

Hic autem liceat primarium in Medica re præjudicium, ſimul ac remedium exponere. Homines Medici plerique non Ægrorum ſaluti providentes, ſed propriæ gloriolæ amore capti, aut in phantaſticis hypotheſibus expatiantur, aut de practica Medicina diſſerentes miracula canunt, ſibique concreditos Ægrotos optatæ ſemper incolumitati proprio marte, & virtute jactant reſtitutos; ſed ſilent, quando propria culpa ad plures demandati ſunt, juxta illud Viri Doctiſſimi Homoboni Piſonis Profeſſoris Patavini Diſſertatione IV. de regimine magnorum auxiliorum in morbis curandis: *ſæpe narrantur ſecunda, ſupprimuntur adverſa*: quod ſane præcipua eſt artis noſtræ ruina, cui hactenus conſultum non fuit; & ſuper quo argumento libenter viderem ſcribentem aliquem Clariſſimum Virum.

Dicite, quando malignam illam febrim in principio non cognoviſtis; dicite, quando china china nimis ſollicita ſanguinis deſpumationes diſturbaſtis; quando nupta opinione alterius conſilium ſpreviſtis; quando non prævisa criſi, non examinatis urinis, pulſuumque rythmo, vel ob comiſſionem, vel ob omiſſionem veſtram, Æger denatus eſt. Diſcite ab Hippocrate, qui a futuris, & alibi ſe deceptum fatetur. Qua ſane in re optime locutus eſt Cornelius Celſus de Medic. VIII. ubi addit: *Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa, poſteris traditur &c.* & ut ait M. F. Quintilianus Inſt. Orat. III. *Hippocrates clarus arte Medicinæ videtur honeſtiſſime feciſſe, qui quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt.* Diſcite ab Auguſtino, qui ſe retractavit, atque a F. Plempio, qui, ut ait Ramazzinus (1): *quam de ſanguinis circulari motu doctrinam evertere contenderat, ſolidis rationum momentis ſtatuminare conniſus eſt.* Uno verbo, diſcite utiles eſſe veſtro proximo. Sic enim ignavia ipſa non diſſimulata Medicinam docebit; atque infelicibus periculis præeuntibus, clinica fundamina firmiori talo reſurgent.

HISTO-

(1) In Orationibus jatrici argumenti pag. 185.

HISTORIA XIII.

LUES GALLICA, MELANCHOLIA CUM DOLORIBUS IN OBESO.

36. NOb. Comes quinquaginta circiter annorum, ex ſanis Parentibus genitus, habitus calidi humidi plethorici, anno 1715. in albam incidit gonorrhæam, quæ quamvis pro naturali habita fuerit, attamen ejuſdem, momento temporis, productio, & uberior fluxus ex virulenta ſyphilide ortum ſuum trahere, conjectatum eſt; quia & occaſio forſan polluta præceſſit, & deerat in opimo corpore muriatica illa liquidorum dialyſis, ex qua hujuſmodi notæ gonorrhææ ſolent pendere. Ejuſdem vero anni hyeme poſt varii animi pathemata, ſolo duorum menſium curriculo ſumme obeſus, & ſiticuloſus factus eſt; proindeque in promptu fuit aliqua reſpirationis difficultas, cum vel per plana inclinata gradiebatur, vel violentis motibus animatam machinam vexabat; nihilque magis Nob. Patientem de minus proſpera valetudine admonebat, quam quidam matutinis horis ventriculi ardor, cum ſubſequenti oris amaritudine, & ſalſedine, quæ tamen tepidis aquæ, juris, aut theè cyathis evaneſcebant. Verum dum anno circiter 1725. venationi indulgeret, nullis præcedentibus procatharticis cauſis, inopinata lipothymia & animi deliquio veluti percuſſus, pronuſque cadens, per ſemihoram ſupra ſolum quieſcere debuit, cum lucida tamen mente, ſed vorticoſo capitis motu, qui & terram moveri repræſentabat. Ad priſtina tamen & læta munia venationis integre reſtituto, iterum gonorrhæa, primæ ſimilis, cœpit fluere, una cum ardore circa penis glandem, in meatu urinario, & renalibus doloribus, cum aucta humiliorum artuum debilitate ſecundum varias temporum & circumſtantiarum viciſſitudines. Pedetentim inſuper inſculpta in urethræ parietibus corroſione, aliquæ defluere cœperunt micantes ad aliquot menſes pſeudo-menſtruæ ſanguinis ſtillæ, magis aut minus viſcidiores, ſecundum accidentale reſtitantis lotii in ſalebroſis laborantis urethræ interſtitiis, aut fluentis ſpermaticæ ichoroſitatis connubium. Et licet aqua ad gonorrhæam Quercetani, & balſamo de copaya, curatio fuerit pertentata, nihilominus per triennium perduravit; donec poſt magnam nu-

cium

cium juglandium recentium ingurgitationem feliciter ceſſit ; ſolumque aliquando remanſit catarrhalis filoſa materies ad fundum matulæ ſubſidens .

Anno 1727. bis iterum in lipothymiam , prima tamen mitiorem , cecidit , cum ſubſequenti memoriæ imminutione , & rheumatico dolore circa colli vertebras , omoplatas , & dexterum brachium , qui quidem in hiſce partibus per quindecim & ultra dies reciprocavit ; curatuſque fuit , uſu aquæ ſtibiatæ per quadraginta dies. Quare anno 1735. iterata fuit , ſimulque repurgatum corpus , aqua tetutiana , & autumnali tempore adhibitæ fuerunt pilulæ mercuriales Belloſte cum aliquo levamine. Attamen præterita hyeme , dolores in dextero humero , & brachio ſævire noviter cœperunt , auctaque in dies totius corporis , & præcipue abdominis , plenitudine , labefactata chyloſi , in præſens , quaſi dixerim, hypochondriacus factus eſt ; & quæ ipſum terrent , & vexare non deſinunt , ſunt quædam raræ cordis ſuffocationes , quæ ad capitis arcem undulant & aſcendunt : æſtuoſa , ſed levis , & ſubcutanea, tumoroſitas aut in ſcroto , aut in pedum talis emergens : durities latens , & chordæ ſimilis , quæ ex pectoris mucronata coſtiſque mendoſis dexteris incipiens , recte procedit uſque ad dextera inguina : quædam ad motum , non dicam , impotentia , ſed debilitas , præcipue ſi pedibus aſpera & inæqualia premit : fæcales exeuntes circa anum nocturno tempore reſiduæ ichoroſitates : lotii nunc tarditas , nunc alba cruditas , mox tartareum ſedimentum , reſpirandi difficultas cum vagis doloribus circa pectus : facilis faciei inflammatio , quoties collaribus gula circumdatur. Quibus quidem omnibus ad examen revocatis , conjectatum eſt, ab univerſali ſanguinis , & lymphæ lentore , atque ab acido venereo miaſmate canalium , utriculorum , & glandularum omne genus infarcta , & veluti obſtructa fuiſſe ; & ecce ex ſtagnante gelatinoſa lympha, aucta hiſce temporibus pinguedo , nerveorum tuborum compreſſio , cum ſubſequenti debilitate : minor ſpirituum animalium in corticalibus glandulis elaboratio ; unde animæ facultates effœtæ languent , & vitiata eſt in pelliceis & contractilibus fibrarum oſcillantium villis , vis elaſtica reſtitutionis : interjacentia liquida ſufficienter non urgentur , neque a debili cordis ſyſtole vibrantur ; ideoque ab interrupto fluidorum cum ſolidis æquilibrio, tot ærumnas pullulare , & indeſinenter ali , quivis in arte verſatus fateri debebit .

bit. Et licet domo exeat, itinera ſumat, ſeque affabilem amicis exhibeat, omniaque deſuper exarata vera ſint, ſed in gradu remiſſo, attamen ne majora evadant, & curationis ſpes imminuatur, medicæ indicationes eo dirigendæ ſunt, ut ſanguinis, & liquidorum omnium lentor, & viſciditas attenuetur, & diſſolvatur, vegetior ſpirituum animalium quantitas ſublimetur, organorum inertia, & pareſis roboretur, &, adapertis excretoriis emiſſariis, acidarum cruditatum ſarcina erumpat. Proximo itaque hyemali tempore, conveniens eſſe poterit uſus vini medicati cum radice aſſari, polipodii, viſco quercino, ſaſſafras, camepyte, ſalſaperilla, fol. ſennæ orientalis, mechoacanna, & ſimilibus, quibus craſſiorum humorum ſaburra poterit fundi, & exterminari. Adventante autem vere, præmiſſa ſanguinis miſſione ex cephalica, aut ex hæmorrhoidibus, & quandoque interjectis ad tolerantiam ventrifluis medicaminibus, iterum proponi poſſet uſus aquæ antimonialis, vel mercurialium, aut amborum. Cum enim ſint duo primaria in hiſce caſibus remedia, ſumme diluentia, aperitiva, epiceraſtica, poſſent lentas quiſquilias diſſolvere, & fibrarum elaterium reſtituere; at cum incaſſum uſque in præſens fuerint adhibita, timet Æger, ne non optatam opem afferant, & aliquis Medicus non modicæ famæ mercurialia nervoſo ſyſtemati, jam aliquatenus læſo, infenſa eſſe deprædicat. Mihi itaque liceat, Vir Sapientiſſime, in ancipiti hoc caſu tua oracula conſulere, ut, quæ pro ſalute Nob. Patientis meditanda ſunt, te præſide, executioni mandentur. Non ignoro, aloeticis, ammoniacalibus, diaphoreticis, & chalybeatis remediis poſſe opus pertentari, quibus pancreaticæ & meſentericæ glandularum coordinationes detergerentur; proindeque antemelancholicis, anteſcorbuticis ſuccis, puta cochlearia, beccabunga, naſturtio *aquatico*, trifolio acetoſo, hepatica craſſitiem ſanguinis ſolvi, ſalina ſpicula hebetari, & acidas lymphæ particulas obtundi; tandem aquis mineralibus activitate pollentibus, & ex ferrea non minus, quam vitriolica vena ortum ducentibus, curationem abſolvi. Quibus quidem omnibus magis prodeſſe poſſe tenuiorem victus rationem opinatur &c.

HISTO-

HISTORIA XIV.

LUES VENEREA CUM FEBRI CONTINUA.

An mercurialia adhibenda ſint.

37. ILuſtriſſimus Patiens annorum 26. temperamenti calidi, & humidi, habitus mediocriter carnoſi, coloris ſubobſcuri ad melancholicum vergentis, ſummeque obeſi, & podagrici Patris filius, decem ab hinc annis Gallicum ulcus in glandis ſummitate contraxit, quod in lacerato recenter fræno profunde inſculptum, appellentibus inibi fluidis venereum indidit ſeminium, ideoque eveſtigio animati automatis mechaniſmus ab exotico tabo fuit laceſſitus, cum dolore capitis, & exiguis tumoribus circa frontem ſubinde natis, atque febri horis præſertim veſpertinis ingraveſcente. Opportune tunc temporis emergenti morbo conſultum fuit. Etenim exhibito alexipharmaco decocto, atque elicitis ſubinde ſudoribus, venerea evanuerunt ſymptomata, Ægerque optatæ incolumitati fuit reſtitutus. Proximo anno ob novum commercium, nova pariter tabe pollutus fuit, atque hinc virulenta non minus gonorrhæa mulctatus, quam a calloſa *ſycoſi*, quæ per integrum biennium penis glandi affixa ſtetit. Specificis ex dulcificantium familia pilulis, terebintho, ipſiſque, in exigua tamen doſi, mercurialibus, tentatum fuit opus. At, vix extirpato ficu, virulentior iterum gonorrhæa contrahitur, quæ per quatuor indeſinenter annos omnigenis remediis reluctata eſt. Quo pariter temporis ſpatio, multis aliis ſymptomatibus, ab iiſdem cauſis pendentibus, obnoxius fuit, ideoque neceſſum duxerunt adſtantes Phyſici, aut emergentes febres refrigerantibus moderari, aut vagos dolores compeſcere, aut diureticis apozematibus, vias urinæ expiare, aut denique oxymelite B. Querc. cum dupl. falſa obſtructiones viſcerum naturalium aperire. Ægre tamen clinica, licet methodica, præſidia optato potuerunt eſſe juvamini. Quandoquidem repetita cum impura venere connubia ſopitum in ſolidorum mæandris Gallicum virus vivificabant, aut protinus in viſcera convehebant. Poſt hæc anno præterito, piletici decocti, a quodam empirico exhibiti, potui copioſe indulſit, deinde in vallem Camunorum ſeptentrionalibus ventis aperte expoſitam ſe contulit, ubi euchymo in dies cibo ſaginatus,

& ſuppreſ-

& ſuppreſſo non minus per urethram profluvio, quam ſufflaminatis univerſæ peripheriæ a rigida, & boreali atmoſphæra excrementis, lenta, & potius ſicca invaluit tuſſicula, quæ per quatuor menſes Nobiliſſimum torſit Juvenem; minuta, ſed continua oborta fuit febris, quæ adhuc lentiſſime tamen perſeverat, & ad quam extirpandam uſque adhuc incaſſum ceſſere medica præſidia. Poſt catharticorum uſum, aperitiva remedia nunquam ſatis meſenterium, pancreas, (ubi aliqua adhuc latet dolens tenſio) & viſcera naturalia potuerunt reſerare, & alexipharmacum decoctum in præſens admodum ſuſpectum eſt; menſe etenim præterito a tentato ejuſdem uſu omnia in pejus ruerunt; quare deſtillatum in balneomariæ ex ſpecificis lignis, ex emollientibus, & refrigerantibus herbis fuit adhibitum, a quo ſicca jam fibra humectatur, & hypochondriorum tenſiones aliquatenus emollitæ ſunt. Et licet aliqua immineat macies, viribus tamen adhuc pollet, & dolor, qui jampridem in maxilla dextera ſæviebat, jam abiit. Ne minima quidem affligitur agrypnia, bene veſcitur, ſolumque remanet lentiſſima, & continua abſque acceſſione febris ex habitualium genere, quæ ad Gallico-hecticam videtur accedere.

Notandum ulterius eſt, ab ineunte uſque adoleſcentia cordis palpitatione fuiſſe vexatum, adeo ut quovis animi pathemate, labore, itineribus &c. magna illico cordis arietatio perciperetur; quam nonniſi aut ſubſellio quieſcens, aut lecto decumbens poterat ſuperare; quæ tamen adhuc aliquando aucta, aliquando remiſſa perſeverat, licet, utrum diloricatæ arteriæ latitudini, aut polypoſæ protuberantiæ tribuenda ſit, mihi non ſatis conſtet. Coniiciendum propterea eſt, quod prope cordis thalamum, organica vigente ſolidorum læſione, ægra, etiam ante contractam labem, inſtitueretur liquidorum cyclophoria, nec cruor libero pede in orbem diſcurreret; unde nil mirum, ſi ab acido dein, & Gallico miaſmate copulatis in triſte conſortium ſanguineæ maſſæ particulis, opportuna anadoſis fuerit intercepta, & obſtructionum ſtamina pedetentim emerſerint. Addamus inſuper, quod cum gonorrhæa per urethram, injectionibus nunquam curata, certo portenderet, a penititioribus ſcatebris, capſulis ſcilicet ſeminalibus, ortum ſuum ducere, nemo non videt, quæ detrimenta a perpetuo genitalis colliquamenti effluxu pati debuit jam antea effœtus cruor. Apertum propterea fit, per integrum decenium humo-

ralis maſſæ periſtaſim a venereo aut novo , aut nunquam deleto tabo fuiſſe labefactatam , viſcerum clauſuras cruoris circulum intercepiſſe , atque a perenni ſpiritalis laticis ſtillicidio elumbem redactum fuiſſe fibrarum tonum ; unde jam penitus amiſſo æquilibrio , & effœminato ſolidorum mechaniſmo, auctior formidanda veniat liquidorum dyſcraſia. Antequam igitur lente depaſcens febris memorata ſymptomata aut ulterius accerſat , aut confirmet , tua ſapientiſſima oracula conſuluntur, Vir Illuſtriſſime , ut nobis Ariadnæum filum exporrigas , quod noſtras in hoc labyrintho dirigat curas , quodque opportunum aliquod alexicacon nobis , forſan cœcutientibus , indicet. Sepoſitis propterea indicationum , & remediorum ambagibus , id unum demiſſe optatur , utrum ſcilicet tuto pede ad mercurialia tranſeundum ſit . Quod licet faciendum & ipſe putem , quia ceteris omnibus remediis pertinax hæc febricula , hoc præſertim vere , reluctata eſt ; attamen , cum antiquus , ut dixi , cordis ſubſultus organicam labem demonſtret , & incœpta aliquatenus macies lymphaticorum , & ſeroſorum laticum penuriam portendat , quibus ptyſma , aut ſudor , abſque ſuſpecto exſiccamento promoveatur , & abeat ; propterea in unico Nobiliſſimæ Domus ſuperſtite an hoc ſit peragendum , in præſentiarum dubitatur , niſi tua accedant monita , niſi tua aſtipuletur auctoritas. Et quamvis non unguine , non hypotymiaſi , ſed mercurio dulci tentari poſſe opus crediderim (quoniam remedii olim adeo virulenti vim a chymicis tentaminibus apprime coercitam gratulamur) æquo tamen animo dubia , atque timores noſtros ferat tua humanitas atque ſapientia , facemque in hoc arduo diſcrimine præbere ne dedignetur ; dum interea Nobiliſſimo Patienti priſtinam valetudinem apprecatur , tibique ſua jugiter obſequia devovet .

MORBI EVENTUS.

38. ANtonius Valliſnerius , & Alexander Macoppe celeberrimi in Patavino Archigymnaſio Medicinæ Profeſſores , quibus tranſmiſſa fuit Hiſtoria morbi , una abſtinendum eſſe a mercurialibus juſſerunt. Profecto ſolidorum vitium cœpit crudelius increbreſcere , & ſanguinea ſputa in dies ſemper magis aucta , ſucceſſivam tuberculorum ruptionem , & corroſas violataſque vaſo-

vaſorum ſanguiferorum tunicas indicarunt, adeo ut brevi ſemper magis invaleſcente læſi pectoris ægritudine, ad plures iter facere debuerit.

OBSERVATIONES
IN LUEM VENEREAM.
I.

Ubi de ejuſdem eſſentia, & ſubjecto, deque cautelis neceſſariis in adhibendo mercurio.

39. IN primo Medicinæ faciendæ limine putaveram (1) luem (2) veneream (3) a multiformi ſeminum in utero miſcella, eorumdemque virulenta putrefactione, aut ab ulceroſorum exanthematum labe in internis rugoſæ vaginæ, vel uterini oſculi tunicis inſculpta originem ſuam nanciſci. Verum a praxeos experimentis edoctus in aliam abire ſententiam coactus ſum. Non ſemel quippe obſervavi, luem veneream nulla ſeminum multiplicitate, nulla phagedænica plaga in imis partibus latente, neque intrinſeca alteratione produci, ſed eſſe (4) peſtem ſui generis, præcipue in Americæ (5) inſulis a *Pacifico*, & *Æthiopico* mari, nec non *Magellanico* freto circumdatis, ſævientem, probabiliter anno 1493. (6) in Italiam propagatam, non a Tyberis tumefactione, quæ tempore Adriani VI. Pontificis Romani accidit (7), non ab aſtris & cœli ſtatu (8), vel ab eorum conjunctione (9), non a carnis humanæ eſu (10) (11), ſed a polluto contractam, & per contactum etiam ſummum & leviſſimum communicabilem, quæ tamen, ut reliquæ peſtes

(1) Cum Aurelio Minadoo.

(2) A Medicinæ incunabulis uſque ſæviſſe Gallicam luem, arguit Sebaſtianus Aquilanus non ſolum a verbis Hippocratis tertio Aphoriſmorum, particula XXII. ajentis: *Genitalium putredines non ſimplici abſolutaque ratione eveniunt*; ſed etiam Galeni, ubi refert ægritudines gentis Cranoniæ illis verbis: *Et pervenerunt in pudendis carbunculi*.

(3) Quam aliqui *Gallicam*, *Hiſpanicam*, *Neapolitanam*, *Curialem*, *Epidemialem*, aut *Indicam* dicunt.

(4) Ut placuit Nicolao Maſſæ in tractatu de morbo Gallico.

(5) Ulrichus de Hutten Lib. de Morbo Gallico cap. VI.

(6) Vide Bibliothecam Chirurgicam Mangetti pag. 12.

(7) Ut voluit Leonicenus, & Benedictus Victorius Faventinus cap. 2. dicentis: *Quo fit, ut nonnulli abſque coitu cum muliere fœda, & depravata in Gallicum morbum pervenire queant.*

(8) Ut Maſſa, Fracaſtorius, & Benedictus Victorius Faventinus.

(9) Scribit Joannes Maynardus Veronenſis cap. 1. de Nomine morbi Gallici &c.: *imminere* hominibus *morbum*, præcipue illis, qui *habent ſtellam ſcorpionis horoſcopantem*; & quando *mars poſſidebat locum conjunctionis, & ſaturnus in auge ſua oprimebat jovis ſtellam*.

(10) Ut Leonardus Floravant.

(11) Non *per ſolum uſum veneris immoderatum*, ut olim placuit Pompejo Sacco Parmenſi in Syſt. Med.

in principio plurimos ſcortatores depopulata eſt ; mox mitius elapſo ſæculo ſæviit , tandem in præſens quaſi funeribus parcit (1) (2) , & lentis ſymptomatibus animatam machinam vexat , niſi terram aptam , ſanguinemque ad acerrimam diatheſim jam diſpoſitum inveniat , vel minus cautum , qui & mulieroſus , ab inguine immundus , & paulatim emuſculatus principia ſpernat, & permittat , ut contagioſum virus in viſcera ſerpere , eademque depaſci poſſit . Qua de re non deſunt exempla nuper ex hoc morbo denatorum . Qui tamen cum fere omnes Hydrargiroſi fuerint curati , ratio a nobis in hoc capite poſtulare videtur, cuinam cauſa mortis , morbo Gallico ſcilicet , an mercurio , tribuenda ſit . At me tam ardua provincia terret ; deſunt pathologica cujuſcumque denati lumina : deſunt fugacis adhibiti argenti pondus , & præparationes : deſuntque extiſpicia , quibus omnibus major lux menti noſtræ corruſcaret . Illud utique reticere non debeo , plures vidiſſe vexatos in dies langueſcere , ſed non mori ; plurimos obſervaſſe hydrargyro curatos , inducias quidem , ac ſi ſani eſſent , obtinuiſſe , verum aut raucos & convulſos , aut ſyderatos fieri , aut ſanguinem vomere , & in pejus ruere (3) , & plurimos etiam extremum diem obiiſſe , & *pabulum ſane ingratum , & vix vermibus acceptum* evaſiſſe . Profecto tanta eſt irrequieti argenti activitas , mobilitas , uno verbo , agendi & penetrandi vis , ut in corpore animato commotis , & ſolutis (4) liquidis omnibus (5) , & præcipue lymphis , contra quoſvis naturæ motus , contra gummoſas oſſeas reſiſtentias viam , ſi non invenit , faciat ; violatiſque , tumefactis , & corroſis eſophagi , gurgulionis , & palatinis glandulis , & tonſillis , albam omnem graveolentem amurcam data opera expellat .

Hoc autem in opere quis non videt , undique everſas fermentationes ; huc illucque interceptum ſpirituum animalium influxum ; ipſamque cordis arcem tentatam ; paucis , fractum univerſale æquilibrium , itaut & ſyncopes , & lipothymiæ , & febres , & animi defectus in promtu ſint , ab extraneo hoſpite

(1) Vult Cl. Fracaſtorius , adveniente planetarum revolutione propria ſponte aliquando finem habiturum .

(2) Julius Palmarius de lue venerea lib. I. cap. 5. ſcribit , hunc morbum cum primum oriretur , tanta fuiſſe ſorditie , ut qui nunc graſſatur, vix illius generis eſſe putetur .

(3) Gabriel Fallopius cap. LXXVI. de Hydrargyro ait : *Si non ſanantur , & proritetur , & valentior fit lues* .

(4) Curatio morbi Gallici per diſſolutionem facienda . Siquidem media Anatome *vidit* Nicolaus Maſſa in cadaveribus ab hoc morbo denatis , *materiam albam viſcoſam panniculo & juncturis adhærentem* .

(5) Opinio Ettmulleri Pyrot. Rat. lib. 1.

te penitus inverſa , præcipue noctis tempore, totius (1) animalis œconomia : & quod pejus eſt , cum timore ne etiam poſt triginta annos recrudeſcat (2) (3) , & quin conſtet remedium , ſaltem certum , quo furens pharmacum evirandum ſit. Addamus , dictatoria poteſtate aditum ſibi quemcumque ſternere , ideoque ſi debiliorem partem , aut laborantem impetit , violatis fortaſſe , & divulſis ſolidis , jam actum eſſe. Addamus, frequenter actu curationis imminere ſuffocationis periculum ex tumefactis ulceratiſque larynge , uvula (4) , glandulis palatinis , & lingua , quam extra os protuberantem , & bis pugno majorem multoties vidimus ; infuſo per tubulum ichore nutritio , & cum metu ne aut fame , aut ſtrangulatus quis intereat ; ut non ita pridem contigit in N. N. amico noſtro extra Urbem prope Sebinum Lacum degente , qui admiſſo per tres vices mercuriali unguine , mox tumido & inflammato gutture , ad ſphacelum properante , e vita migravit. Addamus denique Hiſtorias bene multas reperti in cadaveribus fugacis argenti intra oſſium meditullia , intra medullas , & muſculorum interſtitia ; hac etiam obſervatione notatu digniſſima , quod quomodocumque fuerit ante adminiſtrationem elaboratum , ſcilicet in panaceam etiam aureizatam , & mille modis dulcificatam , in unguentum, in trociſcos per hypothymiaſim adhibendos ; nihilotamenminus ſemper mobile , ſemper fugax , & ad ſuam priſtinam naturam redactum in cadaveribus repertum eſt (5) . Addo ego : ergo ſemper ad nocendum aptiſſimum , præcipue ſi una in corpore lateant deleteriæ qualitates , ad veneni (6) naturam accedentes . Quamobrem ſemper ſumma cum circumſpectione in caſibus tantummodo majoribus , ne dicam deſperatis , adhibendus eſt .

Mer-

(1) Primarium luis Gallicæ diſtinctivum quando ſymptomata *affligunt magis in nocte* . Nicolaus Maſſa , lib. de morbo Gallico .

(2) Vide Sennertum Practicæ lib. VI. parte II. cap. 3. de Luis venereæ natura .

(3) Hercules Saxonia de Lue venerea cap. 2. refert , ſe curaſſe virum , cui tophi provenerunt anno vigeſimoquinto ab accepta lue .

(4) Ulceribus internarum partium apprime ſuccurrit ſuccus liguſtri , qui in oriente *cypros* dicitur , ſi eodem affectæ partes frequenter tangantur .

(5) *De venenis , quæ in humanis fiunt corporibus* , integrum libellum conſcripſit *Benedictus Patinus Medicus ac Philoſophus Brixianus* .

(6) Ut ait Homobonus Piſo in Diſſertatione IV. de Regimine &c. pag. 256. *oppido adverſante victoriam oppugnatoris ingenito pondere , & immobilitate nihil ab oppugnatis patiente* .

II.

Mercurius princeps remediorum .

40. POſt hæc ad trutinam revocata , ut cautiores ſint Tyrones in hydrargyroſi uſurpanda , tanto magis quia a priſcis (1) nulla lux nobis acceſſit , reticere non debeo , aliquando etiam mercurium principem remediorum eſſe , nec aliud vidiſſe in univerſa rerum omnium natura remedium , quod adeo valeat Ægrum aliquem , etiamſi infantem (2) , aut utero gerentem , ſi mulier eſt , (3) ab orci faucibus revocare . Vidi effecta miracula ; & quando paupertatem remediorum ſpecificorum (4) in Medicina condoleo , (quod haud raro accidit ,) laudare debeo non Medicum , ſed naturam , quæ hunc , vel illum feliciter curaverit , & tunc in mentem veniunt , atque in aciem compoſitæ apparent ante oculos arduæ curationes mercurio utiliter abſolutæ , quæ hæſitantem animum mirum in modum erigunt , & priſtinum amorem cum Medicina conciliant . Quoniam vero obſervationes noſtras in operis limine promiſimus , eas hic ſubiicio .

III.

Auctoris methodus .

41. PRimo nobis ſolemne fuit , quando potuimus , abſtinere ab irrequieto metallo , & præcipue in aſthmaticis (5) , quia res eſt plena periculi , & ubi agebatur de primo , & interdum etiam ſecundo morbi Gallici (6) gradu , ſemper ſalſaperilla , & guajaco opus tentatum fuit , ſed diverſo modo (7) , ſecundum infectionis , & temperamenti ſtatum , quod jam obvium eſt .

II. Feliciores curationes a mercuriali inunctione , a Jacobo Carpenſi olim inventa , fuiſſe executas . Quoniam ſic ab extra intus per totum corpus tranſverſum undique agens remedii vis tandem , ut primum ad oſſa pervenerit , nil ſupereſt , quod tactum non fuerit . *In-*

(1) Vide Dioſcoridem lib. V. cap. 70. Oribaſium lib. XIII. Avicennam lib. II. tract. 2. Gal. lib. IX. ſimpl. medicamentorum , qui vix mercurium adhibuerunt .

(2) Vult Leonardus Botallus , de Rat. curandæ Luis venereæ cap. 20.

(3) Nicolaus Maſſa , de morbo Gallico tract. 4. cap. 10. Gravidas mercurio curavit.

(4) Vide Quartam Diſſertationem noſtram nuper Typis Marci Vendrameni editam .

(5) *Aſthma ſuperveniens indicat morbum incurabilem* . Gabriel Fallopius cap. 24.

(6) Galli tamen morbum Gallicum *Partheno-pæum* dicunt , Germani *Mevium* , Indi *Paturſam* . Vide Plinium lib. XXVI. cap. 1.

(7) Hypocauſto interdum promovendus ſudor eſt. Quandoquidem in Japigia , Neapoli , Cretenſibus , Illyricis , & Salentinis Peninſulis, ubi aperti magis ſunt cutis pori , lues minus ſævit : quia *caliditas poros aperit , e quibus diffluunt vapores putridi* .

IV.

Inunctio mercurialis .

42. III. ACtis prius, quæ agenda ſunt, in tepido conclavi verſus meridiem, ſi fieri poteſt, Patientis manu molliter, duabus poſt cœnam horis, ſequenti mercuriali unguine tangendæ erunt partes, ſcilicet inguina, lumbaris regio, axillæ, cubiti, manus, circa talos, circa genua, omiſſis capite, pectore, thorace, ſpinali medulla, & renibus .

℞. Axungiæ ſvillæ non ſalitæ a pelliculis bene mundatæ, & aqua majoranæ lotæ ʒ. iv. merc. vivi ſucco limonum extincti ʒ. iv. butyri rec. ʒ. ii. ol. camomell., laurini, ligni ſancti, ſtyrac. liq. ãa. ʒ. i. m. f. a. f. ung.

Quibus quidem per triduum executis, obſervandum erit, commotos ab hydrargyro morboſos latices, quaſi dixerim, ignoto naturæ operantis magiſterio, per quæ emiſſaria ſeparari velint ; ibi etenim alliciendi ſunt . Cum autem frequentior eorundem excretio per ptyaliſmum ex imis faucibus & glandulis palatinis contingat, quæ duritie, inflammatione, exulcerationibus eodem tempore vexantur, ſic utiles erunt ablutiones oris ex lacte recenti, aqua hordei, lactucæ, decocto abſynthii (1), additis ſecundum exigentiam julepo viol. capill. veneris, aut melle roſ. ſimplic. ; &, caſu majoris exulcerationis, decocto roſ. rubearum, ſalviæ, & ſyrupo myrtino ; quæ pariter circa finem curationis utilia eſſe poterunt .

Adſtantis Clinici ſolertia vigilare debebit, utrum ſalivationis curriculum bene ac ſufficienter incœptum ſit, an adhuc ob expuitionis penuriam aliqua alia inunctio fuerit iteranda : quod ex morbi gradu, Ægri viribus, & exeuntis lymphæ quantitate coniiciendum eſt .

In ore geſtare debet aureum nummum, & argenteo cochleari os quandoque adapertum manutenendum erit, ut ſalivalis amurca felicius effluat .

Per totam curationem nec lintea, nec induſium mutentur . Abſtineat a purgantibus, & ventrifluis medicaminibus ; ſed tantummodo enematibus alvus ſubducatur .

IV. Panaceam, quam *mercurium dulcem* (2) dicunt, & quod idem ſemper eſt, licet mille modis, & technis palliatum, curatio-

(1) Decoctum abſynthii curat morbum Gallicum. Nicolaus Maſſa .

(2) Joannes Langius in lectionibus de materia Medica exhibet ʒ. ß. merc. dulcis pro vice.

rationem non adeo tutam reddere ; vel quia a ſtomachi fermentis involvitur ; vel quia per tubum inteſtinalem exit ; vel denique quia circa os , & ventriculum agit , nec adeo certo humiliora viſcera invadit , ubi reſtitare poſſunt latentis ſcortatoriæ labis ſemina . At inquiet fortaſſe aliquis cautiſſimus Tyro : nonne ſuavior eſt curatio medio *Calomelanos* , aut alia panacea decies dulcificata ? Reſpondemus , tot præparationibus tolli violentiam , ſed etiam potentiam , quæ in ſuppoſito caſu morbi adaucti neceſſaria eſt (1) .

V. De hypotymiaſi non loquimur , quoniam illa methodus , medio igne , actuandi metallum , & addendi calcaria currenti jam abolita eſt .

VI. Tota potius difficultas , ut in praxi obſervavimus , ſita eſt in quantitate adhibenda ; cum modica pars morbum non extirpet ; & magna , quæ in periclitante naſo , in oſſis ethmoidis jactura , ceterorumque nigredine & carie (2) , in nodis , gummatibus , alopecia , ſurditate , cœcitate (3) , rimis , epilepticis inſultibus , ſyncope condylomatibus &c. neceſſaria videtur , Ægrum interimere poſſit . Ut videri poteſt in operibus doctiſſimi Viri Homoboni Piſonis (4) , qui 1717. curationem tentavit medio *calomelanos* Riverii in Bartholomeo Adamo , ſed morbus recruduit ; hinc ſequenti anno curationem iterum debuit inſtituere : & ut videre eſt in Actis Phyſico-Medicis Academiæ Cæſareæ Leopoldinæ pag. 73. obſervatione XVI. Joannis Hieronym. Kniphofii *de Lue Venerea , poſt ſalivationem nova incrementa capiente* . Quare patet difficultas ; habitoque reſpectu ad morbi ſævitiem , ad temperiem , ad ſalivæ exitum , ad partem gutturis affectam inunctiones iterandæ ſunt ; quia , ut patet in Opuſculo Brixiani Auctoris Georgii Vellae ſæpe ſæpius *remanſit aliquis gradus putredinis , qui non complete potuit a pharmacis evacuari , aut ab unctionibus , & aliis remediis penitus mundari, & tolli* . Obſervando etiam monita Archibaldi Pitcarnii , laudantis hydrargyrum in borealibus regionibus ; guajaci , oxylapathi , bardanæ decoctum in auſtralibus .

In

(1) Gallica labes *nonniſi vehementibus cedit* . Aloyſius Luiſinus Utinenſis Medicus in tractatu de morbo Gallico apud Jordanum Zilettum .

(2) Vidus Vidius lib. II. cap. 18. vidit Barcinonæ militem a carie cranii epilepticum factum.

(3) Vide Sennertum Practicæ lib. VI. parte VI. pag. 234.

(4) De regimine magnorum auxiliorum in curationibus morborum Diſſert. IV. pag. 26.

V.

In Gonorrhœam :

43. SUb hoc cœlo parum diſtat, gonorrhœam virulentam contrahere , & flores caſſiæ , ſyrupum de althea emulſiones , ſalſaperillam , decoctiones diureticas , & balſamicas , fortaſſe ab agyrtis tantum , proh ſcelus ! contra leges , & cum rei domeſticæ augmento exhibitas (1), ſumere , tandem adſtringentibus, exſiccantibus eandem reprimere (2). Sed hac methodo, quamvis fortaſſe laudabili , morbus diu perſeverat , cum metu, quod ſtante interno contagio , hoc , vel illo momento , aliis etiam cauſis intercedentibus , interna liquida labem contrahant . Præterquamquod maximum etiam accedit præjudicium , ſcilicet ex fluenti ad menſes gonorrhœa abradi poſſe urethræ tunicas , internam epidermidem corrodi , carunculas ſuccreſcere (3), indurari , ulcuſcula (4) ſerpere , & quandoque *oſtracoſa* fieri, meatum urinarium corrugari , contrahi , ipſumque veſicæ collum a nunquam tollendo vitio labefactari. Decantata propterea utilitas a longa gonorrhœæ expurgatione , ut vulgus amat , ſuſpecta evadit ; & admirationes , quas olim habuimus in legendis operibus Sydenhamii (5) , pil. cochias , extractum rudii , reſinam jalappam , & diagridium ſuis Ægrotantibus perſcribentis , non tantum imminutæ ſunt , ſed una opinamur , quandoque in primis potiſſimum contagiis , in pudendagra , in robuſto corpore , in univerſalibus liquidis nondum pollutis , quandoque , inquam , purganti aliquo , etiam vi ſtimuli agente , ſpargyrico more per inteſtinalem tubum noxios virulentos humores eſſe expellendos ; aut ſaltem , potius tentandum , ut a violentiſſima illa ventriculatione , & imarum partium per artefactum , cathartica vi , teneſmum , convulſione , corrugatione , aut cito , aut citius per urethram , & per circumſtantes poros exprimatur & exeat contractum virus , ideoque per multiplicia proxima emiſſaria , & etiam per eadem , per quæ morbus advenerat , retrocedat .

(1) Ut apprime ad rem noſtram ait Gualterus Harris in Diſſertatione de lue venerea, ejuſque origine : *quis enim tam fatuus & inſulſus , quis tam illiteratus ardelio , qui non medicaſter in hoc morbo circumforaneus facile evadat ſine inſtituto, ſine ſumptu, ſine arte , qui non curationem luis, aut ſaltem gonorrhœæ infallibilē perfricta fronte polliceatur?*

(2) *Nunquam me deſeruit myrrh. tinctura cum aqua calcis vin. facta ad ℥. i. vel ℥. ii. de die aſumta.* Joannes Langius de Morbis ſexui virili propriis pag. 149. t. 2.

(3) Vide num. 34. ubi de Carunculis .

(4) Antiquum Gallicum gulæ ulcus, quod aliis remediis non ceſſerat, feliciter curavit Nicolaus Maſſa , lib. *de morbo Gallico* , ſpuma primæ decoctionis ligni indici .

(5) Proceſſus integri in morbis omnibus curandis .

VI.

Guajacum interdum mercurio activius .

44. ULrichus de Hutten guajaco (1) (2) curavit Ægrotos , qui mercurio in pejus abierant. Ob id, tempore curationis, per hydrargyrum ſemper decoctum (3), ſed dilutum , ex guajaco propinandum ; quia guajacum damni a mercurio illati etiam remedium eſt (4) , & inſuper continuo exhibendum lac (5), propterea quod Scythæ lactis potatores nunquam fere hanc ægritudinem paſſi ſunt (6) .

VII.

De remediis , præter guajacum , ſalſaperillam , & mercurium, veneream luem curantibus .

45. NIcolaus Maſſa lib. de morbo Gallico ait : *& multi interno ſulphuris uſu liberati ſunt ; a doloribus nempe , ulceribus , & gummis , ſine aliquo alio medicamine ulceribus appoſito.* Animadvertant propterea Practici. Non enim extra rationem eſt , ut , quod extra pſoram ſanat , internam etiam labem tollere non poſſit. Vide Poterium (7), & Ettmullerum (8).

Jacobus Cataneus cap. v. de curatione morbi Gallici ait : *uſus viperarum hunc morbum patientibus plurimas præſtat commoditates .*

Empiricus Hiſpanus Zepata in uſum ponit ſaponariam ; quæ etiam ab Euſtachio Rudio , & Sennerto eſt adhibita .

Si verum eſt , quod ſcribit Albertus Seba , radicem acori veri paluſtris (vel *ſanlay*) alexipharmaca virtute pollere , adhibitamque eſſe in *contagioſis morbis* ; cur & in lue venerea illius uſus executioni mandari non poterit ?

De Numidia , Libyaque hæc habet Fallopius cap. XXXVIII. *Scribit Scaligerus in libro , quem ad Gardan exerc. CLXXX. cap.* 19. *grandiorem juniperum , quæ cedrum maxime æmulatur , harrar vocant arabes , Afri nominant ettalch. Ejus medulla in Numidia can-*

(1) Magni facienda eſt obſervatio Bernardini Ramazzini in Orationibus Jatrici argumenti; qui luem veneream ſolo guajaco curavit .

(2) Contra Euſtachius Rudius lib. V. cap. 13. vidit *Ægros , qui ob hunc errorem , nimiam ſcilicet quantitatem ligni primis diebus adhibitam , in febrim inciderint* .

(3) Guajacum non ſemper ſudores movet, ſumtumque cum mercurio una iter facit .

(4) Morton pag. 70. Vide Martinum Lyſter in Exercitatione de lue venerea .

(5) Petrus Andræas Matheolus in opuſculo de morbo Gallico aliter ſentit .

(6) Vide Tractatum de morbo Gallico , editum Venetiis apud Zilettum pag. 11.

(7) In Pharmacopæa Spargirica ſ. 3.

(8) Tom. III. pag. 327. docet : *ſulphur eſſe mercurii antidotum* .

candida, in Æthiopia nigra, in Libia purpurea, qua in ſcobem comminuta dicuntur Afri Medici feliciſſimo ſucceſſu, vice guajaci, ad morbum indicum profligandum uti (1).

Denique purgantia proponit Hercules Saxonia (2), opiatam Fernelius, Antidotus aquam cardiacam, pulverem alexipharmacum Palmarius (3), aquam theriacalem Rondeletius, Aurelius Minadous theriacam (4); quam quidem & Viennæ in uſum poſitam fuiſſe in Aulico ægrotante memorat Brixienſis Medicus, olim celeberrimus Joannes Planerius Quintianus (5) (6).

VIII.

Cetera ad curandam Luem veneream ſpecifica.

46. RAbel laudat oleum vitrioli, & ambram griſeam cum ſpiritu vini; cochenilliam, & cantharides in gonorhæa Martinus Liſter, & Thomas Bartholinus (7); nec non ſaccharum ſaturni cum camphora Fridericus Hoffmannus; David de Planiſcamy arſenicum tam intus, quam extra; Rondeletius, & Cheſnau decoctum Sancti Ambroſii (8); Pena bardanam; Thermas Victorius, Turquetus de Mayerne pulverem ex carne bubula per fumum indurata, & ex baccis maturis hederæ arboreæ; Calat ptiſanam ſudoriferam; Alcazar cataputiam minorem ad ϑ. i.; Gilinus (9) cauterium in commiſſura coronali; Minadous (10) fonticulos; Cockurne injectiones in gonorrhæis; Rotrou pulverem liquantem ex regulo antimonii, & nitro purificato, vel pilulas alexiterias ex nucleis indicis, ſive granis tilli a putaminibus mundati; Benedictus (11) rheu Lithuanicum, & ſyrupum de pomis compoſitum Meſue.

(1) Vide Joannem Leonis in deſcriptione Africæ lib. X.

(2) De lue venerea cap. 18.

(3) De lue Venerea cap. 7.

(4) De theriacæ viribus in morbis a cauſa virulenta pendentibus, obſervandus eſt libellus Joſephi Valdanii, olim in urbe Brixia practicam medicinam facientis, & Excellentiſſimo Medicorum Veronenſium Collegio dicatus.

(5) *In Collegio* (apud Jacobum Vitalem edito 1574. Venetiis) quod Viennæ fecit *cum Doctoribus Regiis*; quem dum Æger alloqueretur ait: *aſſumſi etiam* 3. *i. theriacæ, ut defenderem me ab illo veneno morbi Gallici.*

(6) Quibus ruthæ etiam ſuccus addi poteſt, ſi verum eſt, quod refert Plinius lib. I., ſcilicet *Muſtellam* ruthæ eſu munitam, intrepide Baſiliſcum aggredi.

(7) Hiſtoriarum Anatomicarum cent. 4.

(8) Paratur ex *milio, paſſulis, & ficubus.*

(9) In opuſculo de Morbo Gallico.

(10) Cap. 38.

(11) Cap. 4.

IX.

Scriptores præcipui methodum curandæ Luis docentes .

47. PLura hac in re qui ſcire cupit , videat Afrodiſiacum Lugduni Batavorum apud Langerak , & Vereheek , & librum Londini a Thoma Harris nuper de mercurio crudo editum , nec non tractatum de morbis Venereis Auctore Joanne Aſtruc denuo recuſum cum additionibus ; in quibus ſicuti laudes erga noſtrum opuſculum de morbis Urethræ , & noſtra inibi meditamina corrigendæ ſunt , ita grates illi reddendæ , quod notando monuerit , me aliquid tunc aut improprie , aut parum latine ſcripſiſſe .

X.

Sævientibus doloribus , caute narcotica adhibenda ſunt .

48. ILlud inſuper ſupereſt animadvertendum , quod fuſa motaque ab intus agente remedio liquidorum omnium maſſa , tanto magis in debiliori aliqua parte aut jam læſa , aut quomodolibet vitiata morboſæ poſſunt virulentiæ ſuum pedem figere , cum fibrarum divulſione , & præcipue noctis tempore cum dolorum productione . Non niſi igitur extrema urgente neceſſitate opiata adhibenda ſunt , ne liquidorum favorabilis incœptus motus retardetur , criticæ ſeparationes ſupprimantur , & ſolidores vires , ad atoniam diſpoſitæ , fatiſcant .

XI.

Poſt mercurii uſum , quæ agenda ſint .

49. POſt curationem duo ſuperſunt facienda . Primo ſeri lactis , aut aquarum mineralium potus ad ſolvendas noxias particulas , quas ipſa fortaſſe remedia in corpore reliquerunt . Secundo , laudantur corporis exercitatio (1) , & quaſi dixero , motus vehemens , ſed ſecundum Galeni documentum : *cum lætitia , ut ſunt venationes* . Videatur ipſe in libro de Ludo parvæ ſphæræ , quo medio *multi ab ægritudinibus liberati ſunt* . Exprimitur enim quod noxium : *nutritio nervorum per motus fit* . Ut etiam ſupradictus Brixianus Auctor nitidiſſime oſtendit (2) .

HISTO-

(1) *Diverſa tamen ſecundum corporis diverſitatem* . Georgius Vella de morbo Gallico .

(2) Ibidem .

HISTORIA XV.

MELANCHOLIA, ATRABILARES SCORBUTICÆ AFFECTIONES IN NOB. MONIALI.

50. INtercidit, ideoque deeſt Hiſtoria morbi ab Auctore facta. Accedunt tamen tres Patavinorum Virorum conſultationes morbum explicantes, & remedia proponentes. Ex his abunde poteſt colligi, ſævientes tunc temporis in Veſtali nobiliſſima ægritudines, a virulenta, atque atrabilari dyſcraſia ſanguinis maſſam conſpurcante ortas fuiſſe; ideoque paulatim egerminaſſe morboſorum illorum ſymptomatum catervam, quæ ſcorbuticas, & frequenter in Clauſtralibus, melancholicas affectiones conſtituit.

CONSULTATIO

VIRI CLARISSIMI

ANTONII ALPAGO

M. P.

51. *DAlla eſatta informazione, che deſcrive gli varj incomodi di coteſta Illuſtriſſima Dama, sì facile alle diſperazioni, e timori, ſi ſcopre l' idea d' un' affezione malinconica incaminata a qualche grado di ſcorbuto, e ſe ſi riflette alle convulſioni ſofferte, a' mali interni di petto, con toſſe, benchè unita a ſputi tinti di ſangue, avrà ancor queſta avuto qualche coſa di ſpaſmodico, e d' iſterico; finalmente il tumore giuſtamente ſtimato, e medicato con ſoſpetto di carcinomatoſo, conferma la radice d' un male atrabilare. Tuttociò paleſa l' indole de' ſuoi fluidi, che peccano in una diſcraſia acido-acre, e che abbondano di ſieri acri, irritanti, e corroſivi, e che uniti a qualche viſcida, ma ſempre acre porzione, ſi ſono fiſſati nelle glandule mammarie, e circolando ora per le gingive, con la loro cauſtica quaſi natura fanno l' oſſervata abraſione. Quanto abbia ſofferto il genere nervoſo gravemente irritato, lo dicono le convulſioni patite; e benchè adeſſo non ſi rinovino, ben ſi può ſtabilire, che ſi filtri nel cervello un ſpirito degenere dalla ſua purità, ma più toſto turbolento, e tetro; onde ſi provano timori, ſi dà nelle diſperazioni, e ſi verifica il ſentimento d' Ippocrate:* Timor, & mœror abſque cauſa manifeſta melancholicum &c.

Sono

Sono ſempre difficili da ſuperarſi tali mali : non ſono però mortali , come per altro ſono contumaci ; e perciò non deve inquietarſi l' Illuſtriſſima Inferma , ſe non ſi riſolve con la preſtezza deſiderata ; ma con la prudenza e ſaviezza connaturali al ſuo grand' animo deponga l' apprenſione , e prenda ſenza timore di mali maggiori que' rimedj , che può ſomminiſtrar l' arte ſecondo la diverſità delle ſtagioni . E però nella Primavera ventura rinoverà un' eſattiſſima purga con l' uſo di blandi minorativi , qualche miſſione moderata di ſangue , ſughi , ſieri , e ſe ſi potrà tentare ancora l' uſo del latte , ed a ſuo tempo l' acqua di nocera , ſarà molto opportuno .

Per ora ſtando nella indicazione di raddolcire l' acrimonia de' ſuoi fluidi con diluenti , aſſorbenti , e paregorici , ſtimo proprio , che ponga in uſo il ſiero deſtillato unito alla gelatina d' avorio da prenderne un' ʒ. alla mattina , e ſoprabeverli una ℔. di ſiero , e inſiſta in queſto per il corſo di tutto l' inverno . Si ſerva ogni dieci , o dodeci giorni d' una preſa di conſerva di caſſia , e le ſoprabeva due ℔. di ſiero depurato . Avanti il cibo o mattina o ſera ſi loda qualche polvere famigliare fatta con margarite preparate , coralli , ed occhj di cancro , e queſta unirla con poca acqua di ſugo di boragine . Una volta o due la ſettimana qualche emulſione dopo cena fatta con ſemi freddi , qualche mandola , e pochi ſemi di papavero bianco , non ſarà inutile . Oltre queſti rimedj interni , continui qualche locale alle gingive , e come ſi approvano le coſe adoperate , ed antiſcorbutiche , così tra queſte ſi loda diſtintamente la tintura di lacca da toccare le parti eſcoriate .

Sento che l' Illuſtriſſima Dama pratica eſatta regola di vitto , onde in ciò non m' eſtendo , ſolo ſtabiliſco , che ſia neceſſario ſtar lontano da tutto ciò , che può fondere , o eſaltare la ferocia degl' umori inaſpriti , e però confermo la pratica de' diluenti , umettanti , aſſorbenti , e ſedativi , e tutto ciò hà del volatile , diſgregativo , e attenuante in queſto caſo mi pare ſoſpetto , e da adoperare con ſomma cautela . Queſto è quanto pongo ſotto i riveriti rifleſſi di chi attualmente aſſiſte l' Illuſtriſſima Dama , che con tanta virtù ſin' ora è ſtata ſervita , e con prudenza ſaprà preſervarla per l' avvenire , e regolarſi ſecondo l' eſiggenza .

CON-

CONSULTATIO
VIRI CELEBERRIMI
ALEXANDRI MACOPPE
Pub. Prim. in Patavino Archigymnasio Medicinæ Professoris.

52. *LA semiabrasione con rossezza delle gingive, che infracidiscono alle radici dei denti in più luoghi, con espressione di liquore bianchiccio dalli medesimi, e 'l lungo e doloroso prurito, ora insorta nella Nob. Dama N. N. dopo convulsioni, tosse aspra, con tintura di sangue nello sputo, febbre continua, tumore glanduloso nella mammella con dolori lancinativi, per il passato sofferte, è un prodotto dell' istessa intemperie nativa biliosa sulfureo-salina della Dama, ch' ora induce nelle fibre membranose delle gingive una atonìa per la violenta distensione, divulsione, ed irritamento delle medesime, sicchè interrotto il moto libero del sangue nei minutissimi e copiosissimi vasi della membrana, ne siegue il rossore; dalla separazione di qualche parte sieroso-linfatica ne trassudi espresso il liquore bianco; dal pugnimento il doloroso prurito; e dall' elasticità rilassata della fibra la flaccidezza, per l' un' e l' altro stato morboso proclivi a passare in escrescenze, erosioni, emorragie, corruzioni, ed altri epifenomeni d' un vero scorbuto.*

In questo caso due sono i scopi curativi, attemperare l' universale bilioso, e restituire il tono alle fibre membranose delle gingive. Al primo nella corrente stagione si può provedere con l' uso di qualche blando repellente, e sarà la conserva di cassia del Donzelli ad ʒ. i. presa ogni otto o dieci giorni, insistendo nell' uso de' diluenti, involventi, e leggiermente figenti: e sarà un circolato di pollo, di rane, o code di gambaro, rad. di rose d' acetosa, e acetosella, rasura d' avorio, semi di meloni, e zucca, foglie di trifoglio fibrino, e fiori di papavero erratico, con pochi grani di macis cont. miss. q. s.: e ciò si pratichi sino all' entrante primavera, in cui si potrà determinare una dieta o lattea, o calibeata, o diaforetica, secondo lo stato della Dama. Alla seconda intenzione gioveranno le colluzioni, o dentifrizj con la tintura di lacca del Mynsicth, ovvero con l' acqua di rose, spirito di vino ãa ʒ. ß., spirito di vitriolo retific. q. sat.

S' aggiunghi una corrispondente regola, secondo la savia direzione di chi ha la fortuna di servire la Nob. Dama; a cui &c.

CON-

CONSULTATIO
VIRI CLARISSIMI
GRASSINI CANTARINI
Med. Phyſ.

53. *GL' incomodi diverſi , ſebbene di vario aſpetto ne' pregreſſi anni ſofferti , e le reliquie d' alcuno d' eſſi non per anco ſuperate , e quello che di preſente travaglia la Nobiliſſima Dama Monaca , riconoſcono la ſteſſa origine , ed unica ſe gl' aſſegnerà la cauſa , l' inquinamento della maſſa ſanguigna , e particolarmente delle linfe , acido-acre , anco ſalſo , e con qualche lentore , diſcraſia più facilmente introdotta e per il natio temperamento , ed abito deſcritti , e per la ſua Monaſtica vita . Tali improporzionati principj nel fine appunto del ſecondo ſettenario di ſua età , tempo nel quale ſuole la natura principiare i ſuoi periodici tributi , reſo l' inteſtino , e fermentativo moto dei fluidi più alterato , maggiormente queſti ſi ſono eſaltati e diſuniti , e col ferire varie parti ſentienti e membranoſe e nervoſe , han promoſſe l' accennate violenti ſpaſmodiche concuſſioni , che furono come epilettici inſulti , per conſenſo però , come ſi può credere dall' utero ; poi la toſſe ferina molto contumace , con l' eſito pure de' ſputi cruenti , ſucceſſivi o per ſtrangulazione d' alcuno de' piccioli vaſi , e come per eſpreſſione da convulſivo loro ſtringimento , o per l' acredine mordicante , e quaſi corrodente dello ſteſſo ſangue , o per l' un' e l' altra inſieme . Porzione di queſti ſieri depoſta , o arreſtata in glandula d' una delle mammelle , e non prontamente riaſſorbita , causò la tumefazione , ed il dolore ; e con ragione era da temerne qualche non buon progreſſo in una tale diſcraſia acida , e come vitriolico-atra de' liquidi , ſe non foſſe ſtata preſervata con addattati , pronti , e continuati rimedj ; ne reſtano però tutt' ora l' impreſſe , e mai affatto eſtinte reliquie , per la condenſazione contratta dalla mora , o dalla terreſtreità , e inſito lentore delle linfe medeſime , dacchè anco è poi accaduta l' edematoſa gonfiezza delle gambe . Da ſimile acore infenſo fluente alle gingive , ne ſeguì da un' anno in quà la flogoſi , il prurito , e l' abraſione , con l' eſito , comprimendo , d' un' icore che ha del ſanioſo , ſe non è legittimo pus , che facilmente potè alterare la molle ſoſtanza delle gingiue ſteſſe , rilaſciarle , e corroderle . Sintoma , è vero , de' principali dello ſcorbuto ,*

buto , che ſolo però , ed in queſto grado , non baſta per conſtituire tale il preſente affetto , mentre mancano gl' altri tanti patognomonici ſuoi ſegni , dinota bensì , e conferma la concepita acrimonia acida , e ſalina , che maggiormente contaminando la maſſa tutta de' fluidi , potrebbe poi divenirne un completo , e legittimo ſcorbuto.

Per ciò con ragione nella pertinacia di queſto ſintoma , perchè almeno non s' innoltri con peggior progreſſo , anco in queſta rigida ſtagione ſi penſa a provvedervi . Unico ſcopo ſarà il frenare , e raddolcire gl' eſaltati acidi , con aſſorbenti involuenti , e precipitanti, ed al carattere ſcorbutico opporſi con ſuoi ſpecifici .

A queſto fine , laſciando per ora i troppo acuti ſcioglienti , m' appiglierei preſentemente ad una decozione in brodo magro di vitello o pollo , di radiche di bardana , e di china , ſantali citrini , raſura d' ebore , con fiori di gineſtra , d' aquilegia , di bellide , e d' hipericon , e foglie di fumaria , taraxaco , cochlearia , o naſturtio acquat. , meliſſa , ed acetoſa , aggiungendovi anco alcune rane , e cancri di fiume . Di queſta decozione ben eſpreſſa ne pigli ℥. vii. in circa la mattina , ed altrettante anco la ſera , in proporzionata diſtanza dal cibo , premettendovi la mattina polveri di madriperla , coralli , occhj di cancro prep. , e ſimili ; e continuare 30. ed anco 40. giorni . In queſto tempo ne' ſuoi cibi qualche cucchiaro di gelatina fatta di corno di cervo , d' ebore , e radice di cina , con ſiropo di coralli ben preparati .

Per topici frequenti abluzioni con decotto di ſantali , roſe , fiori d' aquilegia , piantagine , menta , e beccabunga , e calibearlo . Così pure applicare ſpeſſo tintura di lacca del Mynſicht . Talvolta polveri di maſtice , coralli , c. c. uſto , irrorate con poche goccie di ſpirito di cochlearia , e appoggiarle alle gingive corroſe .

In queſte preſcrizioni mi conterrei nella corrente ſtagione , riſerbandoſi a miglior opportunità lo ſcieglimento de' maggiori rimedj, calibeati , acque termali , ed altri ; e il nuovamente tentare l' uſo del latte almeno cotto , ſecondo la riuſcita de' ſopranotati , e lo ſtato , in cui ſi troverà allora la Nobiliſſima Paziente , ch' unita all' ottima regola di vitto , in cui già ſi contiene , ſoſterrà il ſuo grande ſpirito con la maggior coſtanza , e fiducia di buon' eſito , che D. O. M. concedi .

HISTORIA XVI.

MELANCHOLIA, VENTRICULI MORBOSA AFFECTIO CUM PUSTULIS SUPRA LINGUAM.

54. ÆRyſipilatoſus ab infantia capitis tumor, ortæ difficultates in prima menſtruorum eruptione cum aurium murmure, ſuccedentibus in adoleſcentia viſcerum obſtructionibus, & febri interdum cum horripilationibus aucta, ſicuti ſubitaneas ſanguinis miſſiones poſtularunt, ita pedetentim labefactata animali œconomia in ventriculi rugis, & plicis ſenſim ſine ſenſu glutinoſa amurca depoſita fuit, quæ inibi ob loci aptitudinem, hærens, & inſculpta, ſemperque a gaſtricis, pancreaticis, & bilioſis ſuccis in motum poſita, accedentibus forſan in victus regimine aliquibus erroribus, ſtomachi dolores producit, iiſdemque tractu temporis vigentibus cauſis, auxit, & quaſi dixerim firmavit. Nil itaque mirum, ſi tribus & ultra ab hinc annis poſt chalybeatum, & abſynthio medicatum vinum, peculiaris quidam acidus ſapor, & ichor ad laryngem, ad palatum emerſit cum enaſcentibus levibus papulis, rubeiſque exiguis puſtulis circa linguæ radicem, quæ nunc magis, nunc minus conſpicuæ ſunt, ſed ſemper uſque in præſens perſeverant cum diverſa ſaporum exaltatione, adeo ut & amarum, & acidum, & ſubdulce (1), nidoroſum, acutum viciſſim, & ſemper perſentiat, & citrangulorum ſuccum in ore geſtare, ut ipſa refert, videatur. Quia vero ſalſaperillæ decoctum, cichorei, & boraginis ſyrupi, nec non malorum apianorum ſuccus, theè, ſuccolata, aqua roriſmarini præteritis annis incaſſum fuerunt adhibita; quinimo poſtremis hiſce menſibus cœperunt interdum micare ſuper linguam flava quædam veſtigia, quæ interdum evaneſcunt, vacuo ventre ſæviunt flatus, ægre loquitur, quando acidum exaltatum eſt, ante menſtruationem magis conqueritur, fluentibus vero melius ſe habet, inteſtinorum difficultas ſemel tantummodo in hebdomada relaxatur, cribri-

for-

(1) Rationi conſona, & in praxi utilia ſunt quæ meditatur, & exponit Petrus Antonius Michelottus, dum viveret, amicus noſter, de quadam ſcilicet Matrona ſalivam dulcem, ſaccari ad inſtar per octo menſes expuente: tandemque ope *eryſmi*, *trifolii fibrini*, *hyſſopi*, *enulæ campanæ*, *ſeminum cucurbitæ*, *melonum*, *centaurii minoris*, *abſynthii*, *rutæ hortenſis*, *nitri ſuccinati*, *tartari calybeati*, (*nec non ſoluta interdum alvo catapotia*, *aloe ſuccotrina*, *gummi ammoniaco roſarum ſucco ſolutis*) reſtituta eſt. Quamvis poſt decem menſes redierit dulcis ſaliva. Johannes Brogius & Salom. Reiſelius.

forme narium os quandoque obſtruitur , ita ut coryza mulctari videatur , & ciborum inappetentia præſto eſt , cum pravo per œſophagum halitu , & urgentibus animi pathematibus , omnia exacerbantur , in præſenti favorabili temporis conſtitutione excitatur ars medica , ut ad priſtinam incolumitatem acquirendum remedia inſtituantur .

Te igitur non morabor , doctiſſime Alghiſi , in calido Nobiliſſimæ Patientis deſcribendo temperamento , in examine ætiologiæ & habitus non nimis obeſi , ſed potius macri , atque ætatis circa juventutem conſtitutæ , neque ſubdolæ utilitatis , quæ poſt cibum apparet ab aliquatenus domito , ſed non victo fermento , atque ab impedita plicarum attritione , quæ jam tibi nota ſunt ; multoque minus divertam in tot ſymptomatum ratione inveſtiganda aut reddenda , & quia Minerva non docetur , & quia ſolo linguæ intuitu ab albidiuſculæ adhærentis amurcæ ſupra extimam ſuperficiem exiſtentia arguendum eſt , ſupparem morboſam materiam in rugoſa ventriculi tunica magis radicitus implantari , omneſque circumlatentes acinos , & carunculas eſſe ab eadem infarctas , fœdatas , & trulliſſatas , & ecce pepaſmi vitiati , ſtomachi dolores , anorexiæ , & ventriculationes ab impedita chyli præparatione , totque reliquis circa labefactatam hæmatoſim effectibus , qui deſcriptæ ægritudinis cauſa ſunt .

Eo itaque dirigenda erunt clinicæ artis præſidia , ut linguæ ſuperficies , & ſtomachi cavitas abluatur , detergatur , corrivantes inibi fermentacei ichores ſolvantur , & in excretorios tramites deriventur , bilis temperetur , habitoque reſpectu ad viſcera , ad uterum , mæandri , & glandulæ omnes ab infarctibus liberentur , & aperiantur , reſtituta ſanguini , & ſpiritibus elaſticitate .

Neque vero in hoc caſu aut Patiens , aut Medicus ſibi ſuadere debent , diram hanc affectionem non poſſe in ructuoſum Hippocratis morbum abire , multoque minus illico a ſumtis pharmacis feliciter convaleſcere , ſed pedetentim ſalus , ut ipſe auguror , recuperanda eſt ; ideoque uterque enixam aſſiduam debent dare operam , non purgantibus validioribus , quia ſuſpectis , non ſanguinis miſſione , quæ nullum alias juvamen attulit , niſi nova occaſio urgeat , aut emmenalogia magis vitietur , ſed puro , & ſimplici caſiæ flore , alternis diebus in exigua quantitate , Rediano more , ad longum tempus , ante cœnam

ſumto , ita ut felicius abeat , & tranſeat matutinus tepidiuſculus hauſtus ſeri lactis depurati , aut ipſi ſubſtituendo decoctionem theiformem, in qua bullierit radix hellenii, aut *tantzo*, quam a Chinæ urbibus nempe *Cinau* , & *Canton* nuper tranſvehunt (*ad bilis acrimoniam temperandam remedium probatiſſimum*), aut denique tantillum aquæ tetutianæ. His omnibus , aut aliquo ex his, per menſem deterſis ab infarcienti mucagine ventriculi rugis , & protinus adapertis gaſtricæ ſcaturiginis hiatibus, nec non reſeratis chylolymphicorum canalium ordinibus, ad vegetabiles, quaſi ad anteſcorbuticos ſuccos, tranſeundum eſt, in quibus vim aperitivam , & deobſtruendi magnus præ ceteris detexit Baglivus. Licet enim Patientis viſcera abdominalia tactui non nimis renitantur , attamen ubi melancholicum prudentiale abundat , & ubi chyloſis labefactata eſt, in penitiſſimis ſolidorum mæandris lentorum ſtaſes pertimeſcendæ, ex quibus & hæmatis orbis præpeditur , & fermentorum inertia augetur. Trifolium propterea acetoſum, fumaria , ſonchus , hepatica , ſcabioſa , beccabunga , cochlearia , vel mixta , vel ſolitaria ſemper in ſuccum depuratum elaborata, vel decocta, opportuna eſſe poterunt, addendo jus pullæ , aut columbæ turriculæ, ne nutritio deficiat. Tandem ardente ſirio, claudenda curatio aquarum mineralium potatione : & licet ubi detergendum , ubi aperiendum, montanæ ferreæ indicatæ ſint, attamen incœpto jam a ſupradictis remediis opere , ad univerſale temperamentum reſpiciendum eſſe, ſatius ducerem ; ideoque laudarem, ſeligendas eſſe Patavinas , minus quidem pollentes , ſed ſuaviores , mitiores , & nutritioni non noxias. Poſtremo ſolertiſſimus Adſtans obſervabit attente , an *placenta catagamber* ex foliis atque fructibus arborum Areck extracta , quæ venalis proſtat ſub nomine terræ Catechù (1), ſtomachi fibras valeat roborare, & utrum balneo tepido aquæ dulcis allectis , & raptis ad peripheriam ſuperfluis lymphis , & laxatis circa ambitum ſolidorum momentis , tanto minor eſſe poſſit ad ſtomachi affectam regionem liquidorum concurſus ; & utrum viperinum libamen , ſed ſatis ſolutum , & B. M. elaboratum, langueſcentia primæ digeſtionis ſolida poſſit erigere , & ad priſtinam incolumitatem revocare .

HISTO-

(1) Vid. de ea J. B. Chomel Hiſtoire des Plantes 4. edit. tom. II. pag. 452.

HISTORIA XVII.

MENSTRUORUM IMMINUTIO, GESTATIONES LABORIOSÆ, AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

55. JAm tibi innoteſcunt, erudite Profeſſor, morboſæ affectiones, quibus egregia mulier præteritis annis divexata fuit, teque non latet, ipſam humidi, & calidi temperamenti ex Veneto ad Brixianum aerem tranſductam, menſtruorum tarditati, & cholicæ affectioni, uſque ab ineunte adoleſcentia, fuiſſe obnoxiam, ob quas cauſas reſignata multoties vena, & adhibitis per integrum annum rhabarbarinis, ſufficienter quidem elapſa, ſed anno 1723. ſuæque ætatis decimonono nupta, mille ærumnas in primo geſtationis curriculo paſſa eſt, non ſolum quoad ventriculum, & ima viſcera cum frequenti vomitu, uvulæ & tonſillarum inflammatione, ſed etiam quoad totius corporis peripheriam ſalſa impetigine obductam, qua, poſt excluſionem fœtus mox emortui, liberata eſt. Et licet ſecunda conceptio felicior fuerit, femellamque adhuc viventem ad perfectæ maturationis terminos geſtaverit, nihilotamenminus & ſuffocativæ convulſiones, & cholici inſultus in promptu fuere, quæ iterum ſanguinis miſſiones, oleum amygdalarum dulcium, & longam medicaminum adminiſtrationem poſtularunt. Subinde poſt aliquot annorum valetudinem, 1734. cruſtaceo totius faciei, & externi gutturis tumore operitur, cum veſiculis atrum, & obſcurum ſanguinem fundentibus, adeo ut, exeſa cute, in aliquibus locis depilata remanſerit. Acceſſerunt inſuper ſiniſtri brachii ad motum impotentia, hyſterici, & convulſivi inſultus, capitis dolores, coryzæ, ſemperque aucta catameniorum imminutio, demum Februario 1737. ventriculi dolor, & ardor, tractis in conſenſum pectoris mucronata, & diaphragmate, Patientem indeſinenter vexare cœperunt, cum amaris per œſophagum exhalationibus, emaciatione, & perpetua alvi ſiccitate, quæ adhuc (licet adhibita fuerint balnea, & mineralium aquarum potus) perdurant, cum deſcendentis arteriæ pulſatione, obſtructionibus ſub ſiniſtro hypochondrio, tactui renitentibus, coſtarum mendoſarum elevatione, matutina præſertim ſpuitione acris lymphæ, reſpirandi difficultate, & majori arteriarum ſubſultu, quoties aut per plana inclinata aſcendit, aut ventriculum cibis

im-

implet. Quibus quidem omnibus ſi interdum accedant aut ſolitariæ vitæ cupiditas, inferni borborygmi, aut moleſta circa pylorum in genuflexione ſenſatio, cur mirabimur?

In dubium interim vocari non poteſt, ex menſtruorum imminutione, & alvi ſtypticitate, procatharticis fortaſſe cauſis, animique mœrore conſpirantibus, ſanguinis maſſam indefinenter conſpurcatam fuiſſe; proindeque in toto fibrarum, & glandularum genere congeſtis acidis cruditatibus, nata hinc inde fermentatione, in muriaticam, & ſumme virulentam indolem abſceſſiſſe, ex qua & pinguedinoſi roris conſumptio, gaſtrici fermenti acor, ſtomachales rugas irritans, & ventriculi ardores, & dolores conſtituens, enata ſunt. Unde nil mirum, ſi tanta morboſorum ſymptomatum viciſſitudine conflictata veluti & attrita natura, pedetentim clauſis excretoriis incerniculis, obſtructio humiliorum viſcerum, aortam comprimens, emerſerit, cum fermentiſcibilium liquidorum ex diverſi genii particulis reſultantium proprietas ſatis pateat; ſcilicet actu, & poſt ebullitionem alia & præcipue ea, quæ acris, acidæ, irrequietæ, ne dicam atrabilaris ſunt indolis, ſublimari, ventriculum, & caput lædere, & ſpiritibus animalibus nupta convulſiones ciere; reliqua vero tamquam caput mortuum in viſceribus deponi, ubi ſcilicet aut nativa partis debilitas, circumſtantium partium preſſiones, & momenta, vel denique gravitatis lex, aut mechanica canalium poſitio occurrit.

Ideo præcipuum medicæ artis conſilium erit, ut ventriculi ardor temperetur, dolores miteſcant, obſtructa viſcera aperiantur, ſalinæ cuſpides hebetentur, acres particulæ diſſolvantur, catameniorum, & alvi laxitas ſervetur. In hunc autem finem, adventante vere, ſanguinis miſſio ſummopere laudanda venit, præcipue ex talo, nec in hoc fonte ſpernendi clyſteres, fomentationes, pediluvia, & balnea ipſa æſtatis tempore, quæ & rationi conſona, & præterito anno utilia probata ſunt: ori quandoque ventriculi emplaſtrum de cruſta panis, aut oleum maſticinum aptando. Laxatas vero in ſiniſtro latere coſtas roborabit viperina pinguedo. Circa univerſalia: ad inteſtinalis tubi abſterſionem promovendam ventrifluo iterum medicamini ſemper ſuccedere debebit larga tepidiuſcula potatio aut juris paſſulati, aut aquæ nucerinæ, quæ pariter debebunt eſſe familiares, dum pilulis ammoniacalibus, aut tinctura martis Lemery duodeni, pancreatis, meſenterii, & chylolymphicorum canalium ſemitæ aperiuntur, & latentia obſtacula removentur: quod ubi per aliquot

quot dies peractum fuerit, præmiſſis pilulis Bertaldi *ad educenda menſtrua* (1), illico ſumenda conſerva boraginis a Joanne Langio (2) in menſium ſuppreſſione quammaxime laudata; ac proinde liquidorum acredo demulcenda matutino hauſtu vegetabilis decoctionis ſonchi, cichoreæ, polipodii, agrimoniæ, marrubii, & naſturtii aquatici per viginti dies; mox per æquale tempus ſubſtituenda ptiſana ex avena Anglica, radice chinæ, ſantalo albo, & raſura eboris. Ventriculi dolores moderari deberet nocturnus uſus emulſionis ex amygdalis, ſeminibus frigidis, & papaveris albi. Nervoſæ convulſivæ affectioni ſumme opitulabitur tinctura ſuccini, & bezoarticum joviale. Menſtruale tributum ſollicitabit crocus, ſabina & borax Veneta, aut allii ſuffimenta (3), ſicuti fæcalem apparatum, extra tempus purgationis, per epicraſim urgere poterunt pilulæ Plebani Sanctæ Foſchæ. Abſoluta purgatione, lac non nimis laudatur ob acidum ejuſdem genium, & caſeoſum lentorem ventriculo, & viſceribus infeſtum, potiuſque ſubſtituendum erit ejuſdem ſerum depuratum, aut deſtillatum, & aquarum mineralium potus, ſed methodice ſumptus, vitatis montanis, ſeligendo Brixianas Milzanelli, ſed tantummodo pro regularis potationis medietate; ubi etenim mediis ejuſdem inſitis effluviis de data porta, ejuſdemque felici tranſitu conſtabit, Nucerinus latex opus perficiet.

Hiſce auxiliis, quæ qualiacumque ſint, ſapienti conſilio aſſidentis, & dirigentis Bonaleæ ſubiiciuntur, optatam valetudinem obtinendam eſſe, ſperandum eſt: quod ſi non contigerit, ad mirabile in hiſce ægritudinibus alexicacon confugiendum, ſcilicet ad Germanicam cereviſiam, quotidie pro potu uſuali ſumptam. Diætetica ratio analeptico victu reſpondeat.

HISTO-

(1) ℞. Pulverem antidoti Hæmagogi ʒ. ii. trociſcorum de myrrha ʒ. i. ß. granorum ſabinæ n. triginta, rubiæ, dictami albi, pulegii, ſeminum rutæ, ſyrup. de artemiſia qm. ſat. f. maſſa doſis ϑ. ii. ad ʒ. i.

(2) Tom. II. pag. 152.

(3) *Suffito allio fœminarum ſecundas evocari, Hippocrates auctor eſt.* Plinius Valerianus de Re Med. IV. 17.

HISTORIA XVIII.

PASSIO HYSTERICA SPASMODICA HYPOCONDRIACA IN MULIERE.

56. NObilis Mulier annorum circiter triginta temperamenti calidi, coloris ſuboſcuri, aliquam in pubertate menſtruorum imminutionem paſſa, decem ab hinc annis in febrim continuam incidit, quæ per duos menſes perduravit; deinde variis perpetratis in victus regimine erroribus, ſævaque ingruente dyſenteria, cœperunt nocturnæ præſertim ſuffocationes cum metu mortis etiam citra manifeſtam cauſam. Hiſce acceſſit effera diarrhæa, cum alborum vermium exitu, in cujus fine apparuit fluor albus uterinus; unde (neſcio quo conſilio) ex applicatione hirudinum ad venas ſedales ſemper in pejus abiit. Familiares ſemper ſubinde habuit borborygmos in ventriculi regione, cum doloribus capitis per intervalla recurrentibus, & crurum debilitate non minus in mingendo, quam in itinere. Poſt hæc duriuſculus tumor in mamma dextera apparuit, qui media per papillam expurgatione feliciter ſolutus eſt. Tandem tribus ab hinc annis nupta, adhuc ſterilis, eveſtigio febricitans, dum ſomnum capere inclinabat, illico in promptu erant gulæ inflatio, & renum dolores. His ſtantibus, purgatio inſtituta fuit medio extorſorio pharmaco primas vias laxante, una cum ſanguinis miſſione, cichoraceis &c. Sed violentiſſimis 1732. animi pathematibus obruta, menſtruali expurgatione iterum ſuppreſſa, cum linguæ intumeſcentia, cordis ſuffocationibus, totaque ſanguinis dyſcraſia, & deliquiis, in magnam cecidit ciborum inappetentiam. Vere itaque annorum 1733., & 1734. ad æſtatem inclinante, iterum purgationes inſtitutæ fuerunt, cum iteratis ſanguinis miſſionibus, non minus ſecta vena, quam cucurbitulis, & hyrudinibus, longo uſu pilularum rhabarbari, & chalybis, & viperini etiam decocti. Autumnoque præterito, poſt potationem aquarum Hirmenſium cum felici tranſitu, ſed ſine fructu, per decem ſolummodo dies ferre potuit uſum lactis aſinini, ob auctum in ventriculo acorem, qui quotidie augebatur. Cum autem proxima præterita æſtate, ptiſana cum ſalſaperilla, avena, & radice chinæ fruſtra fuerit exhibita, & ſanguis ex pede potius ſenſibiliter, abſque labe apparuerit, ſic tot laceſſi-

ta

ta non minus morbis, quam remediis, Patavina oracula conſulere, opportunum duxit.

Quæ autem in præſentiarum ſuperſunt, & deſæviunt incommoda, ad quorum extirpationem ars Medica ſollicitatur, præcipua ſunt albi fluoris pertinacia, quæ ſecundum vitæ regimen, aut circulantium humorum dyſcraſiam, nunc magis, nunc minus exaſperatur, cum quadam convulſione, & priſmo ad gulæ baſim, alvi ſtypticitate, & renitenti ad tactum duritie non minus in ore ventriculi, quam hepatis & hypochondriorum productionibus. Accedunt urinæ albicantes, & poſtremis duobus menſibus aucta menſtruorum imminutio, cum cutis ardore, & frequentibus per elapſam æſtatem ſudoribus, cum corroſivo etiam ſcorbutici miaſmatis circa gingivas charactere, qui tamen evanuit; reſtitantibus renum debilitate, palati lentore, lipopſichia &c.. Quæ omnia, ut vera fatear, viſa fuere Brixianis Clinicis hypochondriacæ non minus, quam melancholicæ affectionis teſtimonia, eaque non minus ab univerſali liquidorum impuritate, & heterogeneis innatantibus particulis, quæ aut ſtagnando, aut ſtimulum efficiendo, nocerent, pendere; verumetiam a confirmata ſpirituum animalium ataxia, itaut ad animæ lararium, & cordis thalamum, uno verbo, ad partes affectas veluti concitati, & commoti, impetum facerent; & ecce convulſiones lypothymiæ, ſtrangulationes &c.: In aliis vero viſceribus, & præſertim ventriculo, rupta proportionis, & encyclici momenti lege, deficerent, motuſque fermentationis, digeſtionis, pepaſmi, ſeparationis vitiaretur.. Hæc omnia an comitem habeant aliquam organorum inertiam, itaut de fibrarum laxitate, & villorum oſcillantium debilitate dubitandum ſit, conſulti oraculi judicium eſto: cum id præſertim ſuadeat non minus morbi contumacia, quam ex pubertate ad juventutem, quaſi dixerim, nunquam experta ſalus. Cum autem in arduo hoc diſcrimine tota indicatio in eo præſertim ſit ſita, ut fluidorum motus, & æqua periſtaſis, atque ſolidorum vis abſque ſtimulo reſtituantur; mens erat in præſens, ſecta per momentum ſaphena, non ad evacuationem, ſed ad motum cruoris promovendum, fermenta omnia vivificare uſu per aliquot dies aquæ ſtibiatæ; proindeque poſt æquinoctium præmiſſo pulvere Baglivi ad aciditatem removendam, lac aſininum denuo experiri, ſed chalybeatum, cum martialia in hiſce caſibus palmam præripiant.

CONSULTATIO
VIRI CELEBERRIMI
ALEXANDRI MACOPPE
In Patavino Archigymn. Publ. Prim. Pract. Med. Profess.

57. *Hysterica spasmodica passio, simulque melancholico-hypochondriaca, qua post diversi generis ærumnas, a pubertate ad proximum juventutis terminum latas, Nobilis. Matrona afficitur, nec non menstruorum imminutio, ac post initas tribus ab hinc annis nuptias adaucta, ac subsequens uterinus fluor nunquam integre cedere nescius, videntur esse sibi invicem causæ, ac sedem habere non tantum in uteri vitio, sed totius, nimirum utriusque liquidi arterioſi, ac nervoſi. Etenim excluso sanguine secundum totum ab arteriis lymphaticis lateralibus vasorum uteri, ob ejus crassitiem, spissitudinem, ac lentorem, & admissa tantum ejusdem ichorosa, serosa, ac lymphatica parte pro ut tenuiori, eaque in uteri cavitatem, ac glandulas, & lacunas vaginales expressa, exoritur catameniorum defectus, augeturque albus fluor; cujus diuturnitate consumptis partibus volatilibus, chylosis, ac balsamicis ipsius sanguinis, atque in ipso exaltatis salino-acidis inquinamentis, ac nervoso latici commixtis, atque universo nervorum systemati infensis, haud mirum, si lypothymiæ, suffocationes, strangulatus, ceteraque hystericæ convulsivæ affectionis symptomata supervenerint, comite, & adaucta menstruorum imminutione, atque uterino profluvio: quod cum in hoc casu videatur habere rationem urgentis symptomatis, ac potissima sterilitatis causa, & ne in dies ejusdem materiæ adaucta acrimonia, solutiones continui in utero, ejusque partibus inducat, compescendum, aut saltem demulcendum est, non quidem incrassantibus, ac stypticis adstringentibus, sed attenuantibus, ac rarefacientibus sanguinis crassitiem, ac densitatem; attemperando ejusdem, ac nervoſi laticis spasticam aciditatem, blandis emmenagogis, promovendo menstruorum effluxum, ac firmando uteri, totiusque systematis nervoſi compagem, ac tonum. In hunc finem licet efficacissima remedia, ab omni artis ærario petita, irrita fuerint, & sine juvamine pertentata; nihilominus quia rationi consona, posthabenda non sunt, ac potissimum ea, quæ suarum partium pondere, parvitate, volatilitate, ac specifico contextu, valent sanguinem commi-*

minuere, ejuſdemque acida ſalia abſorbere, ac retundere: inter quæ primo ſeſe offert, juxta mentem præſtantiſſimi Profeſſoris aſſidentis, uſus aquæ ſtibiatæ in uteri fluore, non ſecus, ac in virulentis gonorrhœis emendandis, ſiſtendiſque utilis; ideoque commendandæ, pro ut ſummum diluens, epiceraſticum, ac blandum diaphoreticum, ac diureticum; cujus vires augeri poterunt calcibus metallicis, ceruſa antimonii, marte diaphoretico, additis primo ejuſdem matutino hauſtui; præmiſſa tamen ante ejus uſum venæ ſectione ob menſtruorum immixtionem, & levi primarum viarum abſterſione pilulis tartareis rhabarbaratis Bonty, vel de ammoniaco Quercetani, ad alvi laxitatem ſervandam, ſubinde repetendis; abſtinendo a validioribus catharticis, ne hyſterica ſpaſmodica ſymptomata exacerbentur. Mox tranſitus fiat ad dictam chalybeatam, per ipſum chalybem in ſubſtantia, ſi ſtomacho arrideat, vel in extracto, aut tinctura, ſimul cum decocto parvæ pullæ, aut columbæ turriculæ, & herbarum anti-melancholicarum, atque anti-ſcorbuticarum temperatarum; interjecto ſubinde, ſævientibus hyſtericis ſymptomatibus, ant-hyſtericorum uſu, nimirum triphera magna, tinctura granorum acte, meliſſæ ſpiritus, caſtoracea, ſuccinata, atque opiata juſta doſi propinata. Tandem tonico-nervina balſamica paginam omnem adimplebunt, hac pilulari forma. ℞. gum. elemi. galba. myr. caſtor. ãa. ʒ. ii. ſacc. alb. coral. rub præp. ãa. ʒ. iii. balſ. ſulphur. therebint. q. ſ. m. f. pil. dent. a ʒ. ß. ad ʒ. i. matutinis, aut veſpertinis horis, ſuperbibendo decoctum theiforme fol. filipend. lamii, bellidis floris albi. Huic methodo recta victus ratio reſpondeat, in qua non damnandus veneris uſus, quo liquidum nervoſum in uteri partes uberius derivatur, in quibus inquilinos humores exaltat, acidos temperat, viſcidoſque attenuat; quæ tamen omnia ſubiiciuntur ſapientiſſimo judicio experientiſſimi Profeſſoris, pro incolumitate Nob. Matronæ; quod faxit D. O. M.

HISTORIA XIX.

A præclaro Medico N. N. Venetiis Brixiam Auctori transmissa.

HYSTERICA SPASMODICA CONVULSIVA AFFECTIO.

58. *LA Nobile N. N. di macchina corporea proporzionata, di fervido bilioso temperamento, sommamente apprensiva, e subitanea, d' indole al sommo generosa, amica delle virtù, e delle scienze, ha sin' all' anno dieciasette goduta una costante salute, e dacchè cominciò la comparsa prima dei fiori; corsero questi con esattissimo metodo, e negli tempi sempre opportuni, e nella quantità sempre mediocre, e nella qualità pure lodevole. Mai si sono rilevati infarcimenti, almeno sensibili, ne' visceri naturali, nè mai v' è stata apparenza alcuna di sanità cagionevole.*

Corre il quinto mese, dacchè in circostanza d' usare d' una non ordinaria violenza risentì tanto, e tale turbamento nell' animo, che per quanto v' abbia travagliato per possedersi, e reggersi intrepida all' interno concepito tumulto, non gli è riuscito di superarsi senza la sua pensione, e quanto gravissima! Fu forza, che dall' animo passasse al corpo l' assalto, e che proporzionalmente introdotto il disordine ne' spiriti, mezzo immediato per portare l' attacco al sistema nervoso, vennero a suscitarsi suffocazioni uterine, spasmodiche convulsioni negli arti, tremori di capo, clamori, ansietà nei precordj, e questa cruccioſa a segno di cercare con violenza di lacerarsi le vesti, e morderſi perfino le carni. Ordinariamente una qualche respettiva stupidezza n' è la foriera, che continua ancora per qualche intervallo, tutto che affatto sgombrate le irregolari violenze; presente però sempre a se stessa, ed è spettacolo, e spettatrice del gravissimo insulto. In vicinanza agli esborsi consueti, acquista la malattìa qualche grado solamente di maggiore insistenza; per altro passato il primo mese, in cui solo rade volte è succeduto l' incomodo, fattosi in seguito abituale quasi in tutti i giorni per ben tre mesi continui, comparve ora più, ora meno feroce; rispettando però sempre l' ore notturne, perche forse nell' indispensabile necessità di riposo a risarcimento del sofferto travaglio, non risente l' animo tutta la forza dell' afflitti-

ve

ve impreſſioni. Corrono in circa venti giorni dacchè gode per la prima volta il vantaggio d' eſſerne affatto libera, non oſtante che abbia da qualche tempo intrapreſa la Religioſa oſſervanza, forſe non tanto confacevole a cagione de' cibi.

L' uſo dell' emetico replicato; quello per molti giorni della kinkina, del Winteneno, della Valeriana, e cinaprio ſono ſtati i preſidj dell' arte praticati, da chi ebbe in all' ora l' onore d' aſſiſtere alla cura.

Omeſſi gli ſopradetti rimedj, come di poco frutto, ſi preſe l' eſpediente d' eſtrargli un' pò di ſangue dal piede, preſcrivendogli poi l' uſo di qualche emulſione, per indi poi venire ad una cura metodica nella proſſima futura ſtagione.

La regola di vivere che ſi uſa nella Religione, ove la ſuddetta Giovane dimora, ſi è, il veſtire abito di panno eguale del tutto a quello de' PP. Carmelitani ſcalzi, con ſotto una camiſcia di lana, che mai ſe ne ſpogliano, ſe non in caſo di malattìa, con queſto di più che vanno calzate fin' a mezza gamba: dormono in un letto conſimile a' detti Religioſi; cioè ſopra un Pagliaccio con le ſue coperte di lana. Non levano al matutino, come fanno queſti, ma dopo cena d' un' ora ſi ritirano nelle ſue Cellette per un' ora, ove per quel brieve ſpazio, ſe vogliono, ponno dormire; dopo di che vanno in Coro a ſalmeggiare per quaſi tre ore; d' indi s' inviano al ripoſo, quale dura ſei ore intere ſenza intermittenza in tempo d' eſtate, e l' inverno ſette ore; perche nella ſtate hanno il ſollievo di poter dormire un' ora dopo il mezzo giorno.

Tutta la Quareſima ſi fa d' oglio, così pure l' Auvento; nel reſto poi dell' anno uſano il butirro ec., fuori che le Vigilie comandate, e Santi del lor' Ordine.

Sia ancora in rifleſſo, che la Fanciulla è nata, ed allevata in aria purgata, e ſottile, ed il Monaſtero di Murano, ove or ſi ritrova, è ſituato in aria aſſai groſſa, eſſendo poſto in una Iſoletta del mare, mare però che ha poco fondo; onde l' eſtate, maſſime nel calo che fanno l' acque, rende l' aria più denſa, ed al ſommo fetente.

AUCTO-

AUCTORIS RESPONSUM.

59. MOrboſa ſymptomata quinque ab hinc menſibus in Nobiliſſima Veſtali delicatæ indolis, & calidi temperamenti enata, poſt violentiſſima animi pathemata, & tranſitum a ſubtili ad maritimum, craſſumque aerem, poſt penitus immutatum diæteticum vivendi regimen, ſpretis tranſeuntibus mundi deliciis, & amplexo religioſo vivendi ordine, videntur, non excluſo ſanguine, præcipuam ſedem habere in ſyſtemate nervoſo. Etenim quoad externam præcipue cauſam, cum, incipiente hyeme, iter & mutatio aeris facta fuerint, ex corrugatis cutaneis ſuperinduſiis, coarctatiſque partium omnium poris, tranſpiratio præpedita fuit, ideoque accedente Veneti aeris pondere, & gravitatione, ſemper magis verſus centrales partes repercuſſis effluviis, & recrementitiis ichoribus, qui per miliares glandulas ſecerni utiliter conſueverant, morboſa ſtamina pedetentim in ſanguine gliſcere cœperunt, quæ deinde ab immutatis, & præcipue oleoſis eduliis aucta, internas intexendo cauſas, & ſanguinis dyſcraſiæ conſpirando, tandem tumultum in univerſalibus ſpiritibus excitarunt; aut ſi jam ab animi pathematibus erat excitatus, auxerunt. Sicuti propterea ex torquendi modo, & ex artuum convulſionibus, & eorundem vibrationibus eveſtigio retractis, capitis tremoribus, præcordiorum anxietate, totque improviſis, aliiſque interdum, prævia ſtupiditate, ſubſultibus, & violentiſſimis motibus, hanc eſſe ſpaſmodicam hyſtericam paſſionem ſtatuendum eſt; ita ratione morbi, temporis, ætatis in pubeſcentis adoleſcentiæ flore vigentis, & quod magis eſt, ratione alacritatis, & aptitudinis, dubitandum ſummopere, uterinum fermentum peculiari modo exaltatum, & protinus vivificatum, atque a ſalino aeris marini genio ad ſummam acrimoniam perductum, ſupradictas cauſas vel augere, vel confirmare. Quandoquidem tam in morbis, qui ad multum tempus quieſcunt, Ægris æque ſe habentibus, quam in iis, qui reſurgunt, contra patientibus, arguendum eſt, cauſam ſignanter alicubi latitare.

Quoniam vero mirandum nobis non eſt, ſi hactenus non curata, non convaluit (adhibita namque remedia palliativæ coactæ quidem medelæ, non curativæ intentioni ſatisfecerunt) ideo ſemper magis augetur ſpes optatæ ſalutis, morbo inducias in præſens ſponte faciente, Nobili jam Patiente marino aſſue-

facta

facta cœlo. Itaque in proxima favorabili temporis conſtitutione, ubi ſaluberrimi, & leviores zephiri perflabunt, eo collimare debebunt Jatricæ facultatis molimina, ut bilis calor temperetur, fervida viſcera humectentur, ſanguinis dyſcraſia corrigatur, irrequieti ſpiritus compeſcantur, & imæ concamerationis glanduloſæ lacunæ ab irrequieto viru expurgentur, remediis illis, quæ ſuarum particularum contextu valeant ſalia abſorbere, nervorum compagem, & inferna emiſſaria laxare, ut faciliori reddito hæmatis orbe, ichorum ſtaſes avertantur.

Quapropter obſervatis tactu viſceribus (quia interdum obſtructiones ſunt effectus, non cauſæ morborum) præmiſſo levi cathartico, & miſſo ſanguine ex ſaphena pedis, & ad examen revocata galaxia, hæmatoſi, nutritione, & ſolidorum reſiſtentia, ulterius diſcutiendum eſt, utrum in cruoris, vel lymphæ ductibus viſcidiuſculus lentor prædominetur, ex cujus fermentativa acrimonia irrequieti ſpiritus ſublimentur. Tunc enim indicata eſſet aqua leviter purgans, & aperiens ex fol. ſennæ, liquiritia, avena, & paſſulis corynthiis, ad reſerandas glandularum difficultates aptiſſima. Sin vero ex roſeo ſanguinis colore, ex macreſcentia, & perenni ſpirituum dialyſi adſint indicia nimis auctæ liquidorum diatheſis, tunc ad ſuccos herbarum tranſeundum ex fumaria, taraxaco, additis floribus cheiri, calcatrippæ, cyani, & ſimilibus, ſuperaddendo decoctionem vituli, aut parvæ pullæ; intercalatis tamen diebus ejuſdem hauſtui præmittendo chalybem in tinctura, aut ſubſtantia, pro ut magis arridebit: interim laudando veſpertinis horis decoctionem tepidam fol. bellidis majoris, filipendulæ & continuum potum ſeri lactis deſtillati.

Ad compeſcendas ſpaſmodicas, hyſtericas exacerbationes, quæ actu methodicæ curationis contingere poſſunt, ſummopere laudanda veniunt antinervina, ſuccinata, caſtoreata, pacativa, narcotica, ipſaque opiata, ſed urgente neceſſitate, habitaque ratione circumſtantiarum, ne criſes ſupprimantur, aliqua ſolidorum inertia producatur, & lentores in penitiſſimis viſcerum mæandris obſignentur. Emulſiones itaque ex amygdalis, ſeminibus frigidis, ipſiſque, ſi lubet, papaverinis, oleum amygdalarum dulcium, caſtoreum, corallia rubea, electuarium diaſcor. Fracaſt. balſamum orientale, laudanum liquidum Sydenhamii, & ſimilia, aut diviſim, aut ſimul, & ad ſtomachi tolerantiam concinnata, ſupradictis indicationibus ſatisfacient; donec,

adven-

adventante ſirio, præſto ſit aquarum Patavinarum potus, non ad ſummam plenitudinem bibitarum, ſed prout ventriculus, & ad tranſitum promptitudo, aut difficultas poſtulabunt; curationem perficiendo balneo, aut ſemicupio tepido aquæ dulcis. Vinum ſuſpectum eſt. Durante curatione, adſit diæta, & victus ratio. Vitet interim Patiens acida, dulcia, pultacea, odoroſa, aromatica, ſalſa, oleoſa. Linea ſubtili tela cooperiat carnes, aut ſaltem renes, & pectus, ita ut, poſt acquiſitam incolumitatem, regularis iterum obſervantiæ præcepta poſſit feliciter ſubire.

HISTORIA XX.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, MANUS ET CRURIS TREMOR, SPUTA SANGUINE TINCTA.

60. EXimia mulier mediocriter carnoſa, temperamenti calidi, juvenilis adhuc ætatis, & ſex ab hinc annis nupta, e veſtigio utero gerens, & feliciter enixa, iterum concepit, ſed per quadraginta tantummodo dies: etenim immaturam fœmellam emiſit; abſque tamen notabili noxa, dum tertium fœtum ad perfectæ maturationis terminos geſtavit, & peperit. Poſt hæc dum noviter novæ geſtationis incommoda, & ſigna in dies augeri viderentur, repente, nulliſque inſtantibus procatharticis cauſis, octava Novembris 1734. laxata uteri compage, carnoſæ pluries ſubſtantiæ exitus apparuit, pro mola ab adſtante nutrice habitæ, poſtque quintum diem moſchoſi odoris effluvio percita, proindeque alto ſopore decumbens, in lipothymiam, & animi deliquium cecidit. Ex cruribus etenim verſus cordis thalamum aucto ſanguinis motu, & copioſius ad caput delato, rupta pericycloſis lege, & ſuffocationes in promptu fuere cum ſtrangulatu, & globo ad gulæ baſim; accedente inſuper quadam impotentia ad motum in dexteris artubus, & opprimente pondere circa ſiniſtrum coſtarum latus. Quæ quidem poſtrema incommoda, licet cordialibus epithematis, caſtoreo, & ſimilibus in uſum poſitis, miteſcere viſa ſint; attamen nunc magis, nunc minus adaucta ſecundum circumſtantiarum varietatem, Nob. Patientem vexare non deſinebant. Cum autem adſtantes Clinici nuperis hiſce annis bis vix incœpto geſta-

ſtationis opere abortientem (1) obſervaſſent, & acidulæ Darfi non minus, quam venæ ſectio in brachio, aut altera in leviſſima quantitate ex manu incaſſum fuerint adhibita, iterum aquarum Maſini potationem laudarunt; & quidem cum aliquo levamine non ſolum quoad morboſa ſymptomata, ſed etiam quoad optatum generationis opus; etenim poſt quintum a potatis aquis menſem, concepit, & decimaquinta Auguſti perfectum, & optime efformatum maſculum in lucem emiſit. Verum puerperii decima, ſufficienter diffluente uterina expurgatione, dum non ſolum e cubiculo, ſed e domo exit, violentis animi pathematibus excitata, ablutiſque manibus in vino albo, importuna febri afficitur, cujus paroxyſmi in dies exacerbati, tertianarium rythmum obſervabant, uſque ad octavam, qua die febris feliciter ſoluta eſt; eodemque circiter tempore cœpit & alvi fluxus ad multos dies, cum aliquibus cruoris tincturis, parique paſſu contra catameniorum fluor imminutus eſt. Quod quidem an flore caſiæ, rhabarbaro, & chinæchinæ per prophylaxim adhibitæ, an vero naturæ motui tribuendum ſit, nec adſtanti vallis Camunorum Medico, nec Nobili Ægræ ſatis conſtat. Interim licet lactationi conſulto indulgeat, viſoque menſtruo ſanguine ante quadrageſimum a partu diem, ac propterea ſemper modico circa quinquageſimum, attamen antiqua ſymptomata aliquando adhuc revireſcunt, circa infimi ventris viſcera criſpaturæ reſurgunt, vitales functiones interdum effœtæ languent, in dextera parte crus debile, manus tremula, ſputa filamentoſis ſanguinis particulis quandoque variegantur, ſeque ſuffocari aut ſentit, aut timet, ubi vita producitur. Ob id non immerito eximii Profeſſores, hyſtericam paſſionem ſimulque melancholico-hypochondriacam hanc eſſe, crediderunt. Verum quia non morbi cognitio, ſed ſola remedia ſanant, ut ait Baglivus; & cum omnia uſque in præſens aut ſolummodo incœpta, aut pertentata, irrita fuerint, in id dirigenda erunt artis molimina, ut, ratione duce, alia atque alia tententur. Et primo autumandum eſt, ob innatam, & ab utero matris contractam calidiſſimam viſcerum temperiem, atque ob acidam gaſtrici fermenti dyſcraſiam, nimis forſan feliciter, licet voraciter, inchoato pri-

(1) Circa abortus facilitatem legi meretur diſſertatio Celeberrimi Platnerii de Thoratibus ſec. 3. pag. 8. ajentis: *Elegantiores venuſtati magis, quam proli ſervandæ ſtudentes, intumeſcentem ventrem, & quod tum ſurgentis uteri mole angustatum eſt pectus valentius, & quidem immanius ſæpe conſtringere, tandemque miſeram prolem ante legitimum partus tempus infeliciter elidere.* Inde *corpuſculum tenerum, molle, deforme, ac monſtroſum fieri &c.*

mæ concoctionis opere, per adaperta, & hiscentia meseraicorum, & chyliferorum canalium oscula pleno gurgite nutrientem massam in sanguinem devolvi; cumque mediis tantummodo pluribus circuitibus, cruoris dotes subire possit, hinc est, quod non æqualiter respondentibus excretoriis emissariis, & post vigesimumquintum annum paulatim occalescentibus, & veluti solidatis fibrarum, & contractilium canalium ordinibus, progressivus sanguinis motus pedetentim interceptus est. Hisce addamus, occasione nuptiarum promotam climatis mutationem; scilicet ex meridionali Gargnani plaga, euris, & zephiris Benaci lacus perflata, ad septentrionalem borealibus, & nivibus expositam transiisse, unde major glandularum, & oscillantium utriculorum rigiditas, minor per cutis poros, & peripheriam transpiratio. Addamus insuper summam ad mærorem, & tristitiam proclivitatem, cui si accesserit nimius ciborum apparatus, quivis in arte versatus fateri debebit, facillime emersuram acidarum cruditatum sarcinam, sanguinem infici, & lentorem pedetentim in tota liquidorum massa suscitari: ex quo, tanquam primario fonte, exarata desuper symptomata progerminant. Augetur difficultas; quia profunde in glandularum omni genere latere debet visciditas, & intercedente acido embammate, heterogenearum particularum coalescentia; quæ præter continui solutiones, quas potest inferre, ut videre est in sputis sanguine variegatis, & erysipilatoso auris sinistræ tumore, una cum febri postremis hisce diebus enato, sola auctrix est hysthericarum affectionum. Coalescens enim lentor in fermentationem, fermentatio in acredinem, sanguini, & nervis inimicam, desinit. Ob id quoties scena agitur circa uteri claustra ejusque ligamenta, prompte per sexti paris nervos, & hypogastricas arterias, ad vitales, & animales partes hysterica undulatio sustollitur; sin vero prope cordis arcem, aut in glandulis corticalibus, non longe ab animæ larario, facillime dein ex spirituum animalium perturbatione, morbosa pathemata per corporum striatorum processus in humiliora viscera, artusque omnes confluunt, & exaltantur. Idcirco medicæ artis opus, & votum erit, ut viscidæ cruditates ad sympepsim promoveantur, stomachi acidum dissolvatur, sanguinis lentor attenuetur, solutisque gelatinosis, & concrescentibus humoralis massæ particulis, solidorum vis elastica reproducatur.

Ad remedia vero quod attinet, quæ ex Chirugico ærario depromi possunt, precipuus curationis cardo in sanguinis missione

ſione videtur conſiſtere, de qua uſque in præſens nimis parce actum eſt. Duplici autem tempore poteſt executioni mandari, intra ſcilicet, vel extra gravidationem. Actu geſtationis intra quartum, & ſeptimum, juxta magni Senis monita, & ſecundum circumſtantiarum varietatem, ſalvatella manus ſecanda eſt; habitoque reſpectu ad ſanguinis qualitatem, quantitas limitanda. Reliquo vero tempore & precipue poſt hyemem, ſi occaſio favebit, non tantummodo cephalica, ſed etiam pedis vena aperienda erit. Quo medio laxata univerſaliter fibra, & in axim nitentibus arteriis, & glandulis, facilior emerget ſtagnantium inchoroſitatum expreſſio, quæ a præterfluente ſanguine abreptæ, per ſecretoria incernicula facilius poterunt ſeparari. Vigentibus vero fibrarum abdominis rigiditate, vel hyſtericis inſultibus, imponatur regioni umbilicali galbanetum Paracelſi, aut camphora cum ſucco amygdalarum dulcium ſoluta, aut oleum cumini, camomillæ, de ſuccino, & ſimilia.

Præmiſſa dein primarum viarum abſterſione, ſale Anglico amaro, piluliſque rhabarbaratis Bontii, mox ad laxitatem alvi ſervandam, repetendis, ſubſtituenda erit diæta chalybeata. Quibus e voto executis, mollibuſque exiſtentibus imis viſceribus, iterum aquarum Maſini potus pertentari poterit. Quoties vero hyſterica ſymptomata reviviſcerent, illico occurrendum, ſed vitatis narcoticis, quæ ſanguinis motum intercipiunt; vitatis impetum facientibus, quæ ſpiritus animales in orgaſmum excitarent. Ob id ſeligendum erit bezoarticum Joviale vehiculo aliquo exhibitum, cum decoctione ſcilicet florum paralyſis, meliſſæ, bellidis floris albi, imperatoriæ. Victus ratio, exulantibus animi pathematibus, reſpondeat.

OBSERVATIONES
IN HYSTERICAM MULIERUM PASSIONEM.

I.

61. ABſque lanceola, Medicus ad curandas hyſtericas affectiones, ſimulque ſpaſmodico-convulſivo-hypochondriacas, non accedat. Hoc enim auxilio, Hippocrates (1) Stidumeam, Stimargi famulam liberavit; & Galenus (2) idem utiliſſimum deprædicat. Addo ego, iterum, atque iterum uſque ad animi

(1) In quinto *Epidemiorum* particula ultima. (2) In 4. Acut. 25. 24. 82.

mi deliquium poſſe fieri ; quoniam hac ſola operatione, opportuno tempore, & loco executioni mandata, multas vidimus reſtitutas .

Non tamen indiſcriminatim hoc agendum eſt, ſed quando Medici tyrones, quos tantum hoc in opere alloquor, ad curationem hyſtericæ mulieris vocantur, illam vident nunc in lacrymas, nunc in riſum effundi ; nunc timore, nunc ira, nunc zelotypia, milleque animi pathematibus torqueri ; & vel tumorem rotundum ſuper umbilicum apparere, a cibo inflari, & cum ſpirandi difficultate, aut vocis interceptione, utroſque lumbos dolere ; vel infimas partes extenuari, & cum fuſco colore, ægrotantem eſſe virginem, andricam, atretam (1) (2), viduam, aut atocam (3), viroſam, interdum rubicundam, circa fauces ſtrangulatam, violentiſſimis extorſionibus contractam, convulſam, maniacam, pica, & malacia laborantem, urinamque limpidam, & cryſtallinam (4) mingentem : paucis, amiſſo ſenſu, motu, & abolito pulſu ad, conſumatam uterinam ſyncopem perductam, & quaſi mortuam (5), tunc eandem, cum Galeno (6), hyſterica paſſione, & præfocatione laborantem, uterariamque eſſe, pronuncient ; ſed ad tollendas hallucinationes diſtinguant .

I. Num intercedente plethora, & cacochymia, violentiſſima præfocatio a ſanguine menſtruali, quandoque retento pendeat .

II. An affectio melancholico-hypochondriaca dominetur .

III. An denique a ſemine, aut ichoribus acerrimis, indolis vitriolicæ (7), aut ovulis, folliculis, & veſiculis lymphaticis (8) in utero corruptis, & nervoſum precipue ſyſtema irritantibus, uteraria ſit .

Quæ quidem tres ejuſdem morbi differentiæ praxim apprime illuſtrant, pro Therapœa recte inſtituenda ; non enim tumultuarie in unaquaque agendum .

Pri-

(1) Vide Joannem Chriſtianum Langium T. III. pag. 531. ejuſmodi ægritudinem deſcribentem .

(2) Hippocrates in primo de *Morbis Mulierum* particula 17. inquit : *Affectionem hanc iis maxime accidere, quibus nulla res eſt cum viris*. Idipſum confirmante Galeno, in primo *de humoribus* com. 19., & in 6. de *Locis affectis*. Quibus documentis nil addimus, niſi multoties, etiam in mulieribus viro junctis, vidiſſe affectiones hyſtericas, ſed rarius, & minus violentas .

(3) Sterilem ſcilicet, quæ docente Hippocrate de *Fœminarum morbis* lib. I. pag. 142., *citius, & periculoſius laborat* .

(4) Vvlt Sydenhamius in diſſertatione epiſtolari pag. 450. eſſe primarium affectionis Hyſtericæ ſignum .

(5) Vide Albertum Bottonum, de *morbis Mulierum* cap. 44., artificium noſcendæ vivæ, aut mortuæ deſcribentem.

(6) VI. de *Locis affectis* .

(7) Vide Franciſcum Redi in *Conſultationibus* pag. 56.

(8) Vide Valliſnerium Tract. *de Generatione*.

Primus caſus ille eſt, in quo ſanguinis miſſio & laudanda, & iteranda; quippe quæ illico plenitudinem vaſorum tollit, tenſionem emollit, impedimenta removet, & priſtinam laxitatem ſolidis conciliat. Quæ quidem ægrotatio poteſt ab utero pendere, precipue ſi menſtrua deficiant. Sed poteſt etiam Ægras torquere, quin uterus laboret, & paſſio hyſterica dici mereatur.

In ſecundo propoſito caſu, præcipue ſi deſit ſanguinis plenitudo, menſtrua fluant, fluente forſan & albo liquamine, excarnis ſit Ægra, ſemper querula, ſemper infortunia ſibi ominetur, nunc amore, nunc odio adſtantes proſequatur, vitiata cum continuis borborygmis chyli officina, viribuſque langueſcentibus, oleum & operam perdes, ſi venam reſignabis (1), & anthyſterica remedia male perdes; quia aliquando in hiſce caſibus inſons etiam uterus eſſe poteſt. Et hic fortaſſe, ſi bene Auctoris (2) mentem aſſequor, fuit ille caſus, in quo laudandus venit uſus lactis.

Tertius caſus ille eſt, qui vere meretur dici paſſio hyſterica, & uteri præfocatio; quia in utero ſcena agitur, & ab ipſo omnia damna progerminant.

Neque vero ob fibroſam uteri ſubſtantiam, ejuſdem cum nervoſis partibus conſenſum exarabo: non venas, arteriaſve præparantes hypogaſtricas deſcribam: non ſextum par nervorum a cerebro provenientium diramationes; cum ſatis conſtet de ejuſdem cum toto corpore conſenſu; atque hinc omnem labem, ocyſſima undulatione, remotas etiam partes, ictu oculi, poſſe impetere. Videantur ſuper hac re ſcripta magnorum Virorum. Legatur aureum opus celeberrimi Sydenham. (3), ubi graphice deſcripti habentur morbi omnes, quos ſimulare, &, ut melius dicam, efficere poteſt uterina præfocatio.

II.

Hyſterica affectio tam Gravidarum, quam Puerperarum: obiter de quodam conceptu in Tuba Fallopiana.

62. DE præfocatione uterina, fœminas prægnantes, aut puerperas vexante, majora non addo, quia raro accidit. Silendum tamen non eſt, in alterutro caſu toto cœlo oppoſitas

(1) A qua nos etiam in Hiſtoria XVI. pag. 82.
(2) Sydenham. in diſſertat. epiſtolar. pag. 476.
(3) Ibidem pag. 448.

tas esse indicationes. In primo enim salvatellæ ictus, specifica, pacativa, narcotica, si lubet, quæ fœtum non exturbent, adhibenda sunt. At in puerperii curriculo catameniorum exitus promovendus, humores ad inferiora invitandi, extrahendi, allectandique sunt, ut partes principes oscillare possint; imminutaque fluidorum resistentia, morbosæ ataxiæ, convulsiva symptomata in systemate nervoso cientes, mitescant.

Sin vero errante natura, ovulum in tubis fœcundetur, & mechanica impedimenta illius augmento, atque partus tempore, ejusdem transitui obstent, & *ex* compresso, irritatove *utero morbi contingant*, revera non video, quid Medicus meditari, quidque agere debeat Chirurgus, ut mater patiens servari possit. De hoc legendi Auctores sunt, lumenque a rebus natis, & præsertim ab extispiciis mutuandum est. Videantur Godofredus Gulielmus Mullerus (1) *de Fœtu monstroso in tuba Fallopiana dextera concepto, hujusque rara structura*, & clarissimus Antonius Vallisnerius (2) plurimos casus referens fœtuum in tubis productorum: inter quos animadvertendum, historiam Catharinæ D. Pompeii Bardoli uxoris a Brixiano Professore D. Fabritio Terzi-Lana, Vallisnerio transmissam, fuisse quidem verissimam, sed errores scriptos esse circa mariti, & Chirurgi cognomina. Primum enim non Bardoli, sed Brognoli est, non Rubini, (3) sed Buffini Angeli secundum. Multa insuper fuisse in descripto tubali conceptu observata, quæ a Vallisnerio (non satis fortasse ab epistola Fabritii Terzi-Lana edocto) omissa fuere: quæque D. Joannes Andreas Buffinus amicus noster, anatomicis, & chirurgicis præceptis in Patavina urbe imbutus, nobis retulit, & vidit in Paternis schedulis, & notis; & ut melius intellexit a vivente adhuc conjuge. Nempe quod toto gravidationis tempore, in dextero semper latere venter, & ad novem menses intumuit: quod consueto tempore sævierunt per horas quadraginta dolores, quod aquæ partum legitimum præcedentes effluxerunt: quod inde lac in mammis concrevit, suppurationem produxit, & nunquam ulla pars fœtus ad uteri osculum, aut vaginam apparuit: quod inde mulier post triginta dies tetrum, gravemque

(1) In Actis Physico-Medicis Academiæ Cæsareo Leopoldinæ Carolinæ Volum. V. pag. 511.

(2) Delle vova delle Femmine Vivipare Parte II. cap. XVII. pag. 256.

(3) Quod falso etiam scriptum est in Jo. Dominici Santorini Histor. de Partu solido feliciter ex ano extracto, ad Illustriss. ornatissimumque Virum D. Carolum Franciscum Cogrossium in Patavino Lyceo Medicinæ Professorem.

que cœpit efflare ſpiritum, virulentis deſcendentibus per vaginam expurgationibus; poſtque annum tantum fuiſſe ſui corporis fœtorem, ut adſtantes naſum ſtipando quaquaverſum fugitarent: donec poſt multorum annorum quietem per ſponte nata, ut Valliſnerius refert, non longe ab umbilico, foramina, oſſiculorum congeries, ipſumque cranium extracta fuerint; matre per duodecim ulterius annos incolumi ſupervivente, tandemque ob pleuritidem extremum diem obeunte.

III.

Ubi agitur de cauſis, & remediis hyſtericæ affectionis ſecundum Antiquos.

63. PRæter varios torquendi modos, qui in utero poſſunt exaltari, multifarie poteſt etiam ipſe laborare. Poſſunt in eodem ſuccreſcere cancri, ſcirrhi, ulcera, excreſcentiæ, ſphaceli, & mille alia, ut videre eſt, præ aliis, in Bibliotheca Chirurgica Mangetti (1), cui &c. Sed ad rem noſtram de illis agendum, quorum cauſa in utero latet, ſed exaltata, & ad ſummam virulentiam, & nocendi activitatem perducta, tot ærumnas in motum ponit. Sed heu! quot in hac tantum ſpecie metamorphoſes, quot indicationes ſibi invicem oppoſitæ, quot larvæ, quot irrita remedia? Laudant veteres, & præcipue Hippocrates, ut cauſæ in utero præſertim, & reliquo corpore exiſtentes, *grumoſæ*, *fruſtulentæ*, *rhomboideæ*, *carbunculoſæ*, *tenebricoſæ*, *fuſcæ*, *aſperæ*, *acres*, *turbulentæ* ſubtrahantur, purgationibus, vomitoriis, fomentationibus per infundibulum (2) ex marathrite, ſi lubet, ſubductis; item balneis, exercitationibus (3) circuitus, & exitus pravorum humorum ſollicitetur; ut hyſtericæ lapſanam elixam comedant, merum bibant, nitrumque rubrum, cuminum, & reſinam inferius apponant; laudando inſuper marrubium, porrum, phagineam glandem tritam, ſemen atriplicis ſylveſtris cum melle &c. artemiſiam, anemones, album nigrumque veratrum. Sed cum hæc quaſi omnia in præſens non uſu veniant, coniiciendum eſt, ob modicam ipſorum utilitatem in exilium miſſa fuiſſe.

In

(1) Ubi uteri morbi 337.
(2) Hippocrates de *Fœminarum morbis*.
(3) Et præcipue *equo vehi*.

IV.

In remedia chalybeata .

64. MEdii vero Ævi ſcriptores poſt Galenum culpantem vapores malignos venenatos , ad modificandam viroſam ab utero auram , vel ad acidum auſterum (1) ſolvendum , vel ad pacandos ſpirituum animalium ſubſultus , multa conſarcinant , & aptant ; ſed qua utilitate , Medici , ſed magis Ægrotæ ſciunt . *Extremum* , & *magnum* chalybeatum vocant medicamen ; ſed adhuc non conſtat , num ſolitarium (2) , num purgante aliquo actuatum , adhibendum ſit . Quod tamen utroque modo fieri poteſt ; ſique propria vi tranſit , ceteris e voto reſpondentibus , purgans mitti poteſt . Sin vero cum inteſtinorum difficultate quieſcat , calorem inducat , bilis accendatur , chyloſis , cum hæmatoſi deficiat , ejuſdem ſtaſes cathartico removendæ ſunt ; & mille laudibus extollenda ejuſdem virtus , & pollentia in chloroſi , ſeu febre alba mulierum , & imi ventris obſtructionibus , in quibus de facto palmam ceteris quibuſcumque remediis præripit , nec ejuſdem farinæ morbos curari poſſe ſine chalybe , pro certo habemus .

V.

In Bezoar Jovis .

65. PRæſertim poſt edita clariſſimi Baglivi opera , invaluit mos ſub hoc cœlo , bezoarticum jovialè præſcribendi , nullaque uterino vitio laborat , aut laboravit , quæ illud non ſumpſerit . Sed nemo Medicorum , quod ſciam , ſcit , num effectus ſecutus , & obtenta ſalus ab illo proficiſcatur : quod de chalybe in chloroſi , quaſi jure jurando , poſſumus aſſerere .

VI.

Specifica .

66. DE ceteris vero ſpecificis (3) , puta floribus camomillæ , aſa fœtida , galbano , ſpiritu ſalis ammoniaci , urinæ , oſſium , camphora , ſuccino , myrrha , aut etiam ad narcoticam naturam accedentibus , triphera magna , caſtoreo , el. diaſcor-

(1) Opinio Sylvii de le Boe .
(2) Vide Sydenham .
(3) Multa remedia ſpecifica externa ad domandam præfocationem uterinam proponuntur a Franciſco Redi in ſuis *Conſultationibus* pag. 93. Tomo 6.

ſcordeon Fracaſtoreo, pil. de cynogloſſa, laudano liquido &c. plura non ſubdo. Nec ignoro, mancam eſſe Medicinam, niſi præſto eſſet opiatorum promptuarium, quod ſane ubi omnes ærumnæ effectus ſunt ſpirituum animalium ataxiæ, magnum ferre poterit auxilium.

VII.

Sydenham corticem peruvianum proponit.

67. NEc diſplicet monitum clariſſimi Sydenhamii (1) uſum corticis peruviani ſuadentis; tum quia ipſe Sylvius de le Boe multa aromatica præſcribit; tum quia admirabilis cortex, ſi univerſam liquidorum omnium fermentationem pacat; ſi talem novitatem & vigorem ſolidis, tertianario rythmo vexatis, conciliat, ut abſque evacuatione, abſque criſi, abſque ſudore, & quod mirandum, abſque Ægroti ne minimo quidem ſenſu, cauſiſque morbi omnibus adhuc intra viſcera exiſtentibus, ſalutem afferat, cur, non poterit & hanc in ſpiritibus, aut utero latentem feliciter, & ſalubriter coercere? Vigilent propterea Practici, remque ſemper magis quotidiana experimentorum ſollicitudine illuſtrent, nec de Humana Republica unquam deſinant bene mereri.

Denique in curatione hujus morbi tota medentis animi contentio verſari debet circa cauſas, ætates, anni tempora, & lædendi modos. Ait enim Valliſnerius (2): *V' è ancora dell' occulto, e del non ben capibile in così prodigioſo lavoro.* Ideo ſubdit ſententiam magni Præceptoris, ajentis: *Eum autem, qui iſta probe tractare volet, primo quidem a Divino Numine initium ſumere oportet, poſtea naturam tum mulierum dignoſcere.*

O HISTO-

(1) In Diſſertatione Epiſtolari.

(2) Tractatu de *Generatione*.

HISTORIA XXI.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, VOMITUS, BORBORYGMI, CRUDITATES, OESOPHAGI CONTRACTIO.

68. PAtiens annorum 47. temperamenti calidi, & ſicci, ex Parentibus hypochondriacis genitus, in infantia per menſem lacte noxio nutritus, in ætate annorum undecim frequenti labiorum oris fluxione, & protuberantia vexatus, deinde ubi, etſi pinguis, ad decimumſextum annum pervenerit, cœpit hypochondriacas affectiones cum gulæ ſtrangulatu, & eryſipelatoſo tumore in genu dextero pati. Mox adveniente Auguſto, auſtera quædam aciditas ventriculi rugas vellicare, cum frequentiſſimis vomitibus materiæ varii coloris, ad cujus curationem aliquod pertentatum fuit juvamen, mediis purgantibus, & ſanguinis miſſione. Nihilominus prævaluit ciborum inappetentia, cum quadam ventriculi debilitate. Sed motu venationis ſtomachi morboſa ſymptomata videbantur miteſcere. At radiis ſolaribus diu expoſitus, repente valida febri correptus eſt, miſſione tamen ſanguinis quatuor diebus ſoluta.

In ætate vero annorum decemocto, cum ſtudiis ſollicite incumberet, iterum, & quidem crudeliter ſævire cœperunt convulſiva, & ſpaſmodica ſymptomata, præcipue circa œſophagi radicem, ventriculum, & hypochondria, quæ per intervalla exacerbabantur; ſed adveniente ejuſdem anni autumno, medio venatu, & itineribus, aliquatenus iterum quieſcere viſa ſunt.

Occaſione dein ſtudiorum Mediolani degens, rabida ſcabie operitur, cedere neſcia, quinimo in dies vireſcente, productiſque ad extimam cutim in corporis ambitu tumoribus, chirurgicæ etiam manui ad multos dies reluctantibus, vel quia muriaticum ſcabiei miaſma ad ſummam acredinem pervenerat, vel quia naturali, ſalinæque dominanti idioſyncraſiæ nuptum, junctas ſibi dabat manus ad morbi augmentum. Quinimo uno eodemque tempore cum ad ſpiritualia exercitia ſe dederit, hypochondriacis affectionibus denuo vexatus, ipſa omittere debuit, & bene convaleſcens, atque nutritus ad Patavina ſtudia ſe contulit.

Secundi vero anni curriculo variis perpetratis in victus regimi-

gimine erroribus, præcipue in abuſu vini ſpiritus, ab adaucto in viſceribus calore, & ab æſtuantibus hypochondriis ſoluto nutritivo rore, atque attenuatis balſamicis particulis, corpus aliquatenus areſcere viſum eſt; & cum ad Patriam pervenerit, conſulto ad Darfienſes acidulas ſe contulit; quibus tranſactis cum aliquo etiam levamine, accedente ſemper utili autumno, quaſi dixerim convaluit, uſque ad trigeſimum circiter ſuæ ætatis annum, licet hoc medio tempore & innumerabiles perpetrati fuerint circa diætam errores, & ab impura venere Gallicam luem contraxerit, cum virulenta in primis gonorrhæa, quæ ſtibino decocto, (eoque ſuccoſo, & fervido ob ſollicitæ ſanationis deſiderium) tractata, dein abſque ardore ſub ſimplicis relaxationis nomine, ad duos circiter annos perduravit.

Diuturna inſuper mentis agitatione vexatus, multiſque negotiis implicitus, ſalinaque in liquidis aucta dyſcraſia, forſanque vi ſtibii nimis acuti in motum poſita, hypochondriorum borborygmi in promptu fuere, cum frequentiſſima expuitione ſolum humectante, & ventriculi ardoribus, præcipue tribus circiter a paſtu horis, non ſine aliquando circa anum dolore ab internorum hæmorrhoidalium vaſorum irritamento. Quæ poſtrema incommoda aut vere, aut ante hyemem exacerbabantur, quinimo aliquo admiſſo in ſex rebus non naturalibus errore, præcipue poſt graviora animi pathemata, denuo vireſcebant, adhucque in præſens Patientem vexare non deſinunt.

Tunc tamen temporis, anno ſcilicet 1722., poſt potationem aquarum virginis Montertoni, varia ulterius pertentata fuere remedia, rhabarbarum ſcilicet, caſia, laxantes, & aperitivi ſyrupi; quæ omnia, quamvis ſine levamine viſa ſint in motum poni, attamen hoc attulerunt emolumenti, quod caprinum lac ventriculo amicum, & acceptum fuit, itaut morboſa omnia ſymptomata quieſcere viſa ſint; quod tamen denuo repetitum, aut ab omiſſa prævia purgatione, aut ab anni tempore non correſpondente, aut denuo urgentibus animi pathematibus, nullum levamen attulit, quinimo ſtomachus illud ferre non potuit.

Obſervato victus regimine, melius ſe habebat, ſolumque per longa intervalla de ſtomachi aciditate, ardore, & borborygmis querebatur.

Anno demum 1731. ex violentiſſima animi agitatione denuo apparuere ventriculi vomituritiones, & ardores, itaut ab œſo-

phagi contractione compreſſis tracheæ fibris, nervorumque propaginibus diverſo modo modificatis, reſpirandi difficultas emergeret, ſympathica tamen, & dependens; exhauſto etenim ventriculo, & quieſcente, quieſcebat.

Uſus cereviſiæ tenuis potius profuit, & potatio aquarum Maſini per tres annos morbi ſaltem augmentum domuit. Hæmorrhoidalia inſuper vaſa, eaque externa, & interna ſanguinem, & ichorem fundere cœperunt cum aliquo etiam levamine, itaut, extillante ſanguine, melius ſe habuerit.

Tandem 1735. vireſcentibus denuo ſtomachi cruditatibus (1), ardoribus, & vomitu etiam ciborum, cum carnis conſumptione, melius ſe habuit, uſu cujuſdam conditi ex conſ. abſynthii, lilior. convall. conf. hyac. trociſ. ſimpl. ſpec. diarod. Abb. aromat. roſ. corall. rub. & ſimilibus; itaut ſuccedente viperini decocti uſu per 20. dies autumnali tempore, ad ſanitatem per integrum annum perductus videretur.

Sed 1736., quamvis veris tempore iterum curatio viperino decocto inſtituta fuerit, vel quia continua mentis agitatione vexatus, vel quia continuo autumnali tempore viperinum medicamen iterum repetitum non fuit, nihilominus & in præſens ab importuna expuitione aquoſi ichoris, & vomitu (2), præcipue a prandio, nunc alicujus reſidui alimenti, nunc vinoſi ſaporis, nunc flatuum continuo, & quaſi dixerim, indeſinenter vexatur, itaut gulæ ſtrangulatus, ventriculi convulſiones, hypochondriorum æſtus ſemper in promptu ſint.

Hæmorrhoidalia vaſa fundunt humores ſeroſos, ſanguineos: uno denique verbo, læſa eſt illa *concoctio*, quæ *auget*, *corroborat*, *incarnat*, *aſſimilat*, *& diſſimilia facit* (3).

Interim hæſitant adſtantes Medici, an lac, aut viperinum decoctum, vel tenuis cereviſia iterum, adventante vere, in uſum ponenda ſint, num vero aliquod aliud alexicacon, quod a Patavinæ urbis Profeſſore ſperant &c.

CON-

(1) Quæ ſecundum Hecquet in novo Medicinæ conſpectu pag. 56. *viſceribus repagula parant, & mille moleſtias afferunt*.

(2) Vomitum interdum ſedabat Anglus Hippocrates, ubi de Febri continua anno 1661. &c. aqua menthæ ſtillatitia, nec non catulo vivente Ægrotantis ventri appoſito.

(3) Hippocrates: Lib. de Alim. n. 1.

CONSULTATIO
VIRI CELEBERRIMI
ALEXANDRI MACOPPE
Publ. Prim. in Patavino Archigymnasio Medicinæ Profess.

69. *CUm symptomata fere omnia, accuratissime ac doctissime exposita, in egregio Viro consistentis ætatis, temperamenti calidi & sicci, hypochondriacis Parentibus nato, noxio lacte nutrito, ab ineunte ætate, & successivis ejusdem mutationibus ad hunc usque diem, vertantur circa abdominalia viscera, nimirum œsophagi strangulatoriæ constrictiones, stomachi convulsiones, vomitus cibarii, ac humorales varii, inappetentia, ptyalismus, cruditates, aciditates, ardores, hypochondriorum æstus, borborygmi, hæmorrhoidales sanguineo-ichorosæ excretiones, per intervalla, statisque temporibus sævientia, ac recurrentia, ob nunquam penitus intermissos mentis labores, animique pathemata, videntur esse hæreditariæ, atque acquisitæ hypochondriacæ spasmodicæ affectionis constitutiva phænomena. Etenim ob innatam dyscrasiam melancholicam, vix transacta pubertate, labefactato primæ concoctionis opere, minusque comminuto chylo, ac sanguine, congestisque cruditatibus acidis, primaria non minus, quam secundaria liquida, nervosumque laticem inquinantibus; hisque lentore, atque acredine salino-sulphurea distrahentibus, aut irritantibus sanguifera vasa, cavitates, ductus, nervosos tubulos, fibrarumque omne genus, œsophagi, stomachi, atque intestinorum; haud mirum, si in iisdem partibus, spasticæ contractiones, recensitis symptomatibus stipatæ, incœperint invalescere, medicaminum quidem usu subactæ, sed passim, vigentibus iisdem procatharcticis causis, recrudescentes, nunquam integre sublata fluidorum acredine, firmatoque solidorum tono. Quamobrem ne refractarius morbus consenescat magis, neve magis naturalia viscera obsideat, aut ad mentis arcem ascendat, pro ut passim contingit in melancholicis, atque hypocondriacis morbis, qui a mentis, animique affectibus incipiunt, ac in mentem desinunt, melancholicis succis in atram bilem conversis; eo artis tentamina dirigenda sunt, ut acida acrimonia attemperetur, inquinata liquida edulcorentur, spasticæ contractiones laxentur, nerveisque solidis eutonia restituatur. Cum autem ad assequendos hos fines, inter plura instituta remedia, compertum sit, magis contu-*

lisse,

liſſe circulatum viperinum, lacteam diætam, cereviſiæ, & acidularum temperatarum potum, merito quæritur juxta adagium, quæ juvant, repetita ſanant, *quænam ipſorum nunc temporis ad uſum revocata, tandem poſſint, optatam opem afferre. Verum cum refractarii morbi quandoque viſi ſint cedere inſuetis remediis, experientia, & ratione duce inſtitutis, liceatque in eorum curatione, Celſi monitu, alia, atque alia experiri; idcirco haud incongruum erit, ad alterius generis ant-hypochondriaca auxilia confugere; nimirum ad anti-melancholicos, & anti-ſcorbuticos vegetabiles ſuccos, chalybeatam diætam, acidularum vitriolicarum martialium potum, & ſtomachica amara, temperata, corroborantia; quatenus hiſce omnibus diverſo modo acidi ſucci abſorbentur, invertuntur, ſubiguntur que, inertes fibrarum elaſticitates, atque oſcillationes eriguntur, atque firmantur. Itaque proſequente vere, leni præmiſſo eccoprotico, lenibuſque attenuantibus, ac digerentibus, tartareis, lixivioſis ſalinis, aut ſaponaceis per aliquot dies repetitis, ſimul cum blande laxantibus, excluſis quibuſcumque validioribus catharticis, fiat tranſitus ad ſuccos depuratos fumariæ, naſturtii aquatici ãa ʒ. i. ß. tinct. ſal. tarta. ʒ. i. decoct. in jure pul. fol. meliſ. ſonch. beccabung. ſem. citr. ʒ. vii. dilutos: quibus per decem dies propinatis, leni purgatione repetita, inſtituatur diæta chalybeata, in qua ad acidum perdomandum validiſſima eſſet limatura martis, niſi temperamentum calidum, & ſiccum, ſtomachi ardor, hypochondriorum æſtus, ac fortaſſe fibrarum rigiditas obeſſet. Quapropter tutius erit, tincturis martis, ſucco pomorum, aut aurantiorum elicitis, vel magiſterio martis a Mynſicht, uti, decoctione theiformi calami mont. veronicæ, ſcord. abſynt. pontici fol. ac cort. cit. ſimul aſſumpta, xx. aut xxv. dierum curſu. Mox ſuccedat ſtomachicorum corroborantium uſus, inter quæ tinctura eſſentialis abſynthii, potu Theè, vel Coufè diluta, fortaſſe ceteris præſtabit; uti etiam elyxir ſtomachicum amarum temperatum, conſervæ abſynthii ſeu opiatæ ſtomachicæ anno* 1735. *adhibitæ, aliquo levamine, analogum. Methodus hæc ſervetur, donec, adventante ardente ſirio, præſto ſit acidularum vitriolicarum martialium potus, quibus nullum præſtantius diluens, aperiens, dulcificans, ac corroborans in hypochondriacis affectionibus auxilium. Quibus feliciter epotis ſuccedat diætetica methodus, analeptico victu, equitatione, exulante quocumque mentis labore, triſtique phantaſmate; hæcque omnia dirigenti, atque emendanti præſtantiſſimo Profeſſori, ejuſque judicio ſubiicit &c.*

O B-

OBSERVATIO
IN MORBI EVENTUM.

70. SUpradictus Æger ſola decoctione viperina, in vaſe circulatorio elaborata, priſtinæ ſaluti feliciter reſtitutus eſt. Qua de re, ubi fibrarum vigor excitandus, viſcerumque fermenta inſtauranda ſunt, ab hoc remedio Medici practici non diſcedant: addendo radicem ari, utpote magnum ſtomachicum.

HISTORIA XXII.

ASTHMA IN JUVENE TRIGINTA ANNORUM.

71. SI Nob. Adoleſcens eximiæ matris ſortem ſecutus, in primævo ætatis flore anhelatione laboravit; ſi algida accedente hyeme, poſtremis præcipue annis tuſſes, reſpirandi difficultates, & viſcidæ expuitiones in promptu fuerunt; ſi denique hiſce fere ſemper acceſſit raucitas cum ſtrepitu, & ſtertore, & erecta interdum cervice, ſtandi neceſſitate, ſtatuendum eſt, expoſitum morbum ultra dyſpnoeæ gradum, ad aſthmaticam affectionem accedere, quæ latine *cantum* (1) ſignificat: hancque ab utero contractam, & tractu temporis confirmatam, ita tamen ut non de organico ſolidorum inſpirationi, & expirationi inſervientium vitio, ſed de aliqua ſaltem mala conformatione dubitandum ſit. Num vero per adapertas arterias ſanguis violentiori impetu, aut patentiori aditu in pulmones introeat, quam quod per venas poſſit refluere; num in bronchiis, ut Galenus (2) docet, aut internis aſperæ arteriæ parietibus catharrhalis ichor exprimatur, & adhæreat; num in externis aliis, & pulmonum productionibus, interdum pleuræ, ſterno, vel diaphragmati vitioſe adnatis, aliqua lateat pareſis, & debilitas; num utriuſque lobi veſiculæ aut aliquæ, aut omnes ichore infarciantur pituitoſo, tenaci, acidiuſculo, ita ut oſcillandi neceſſaria promptitudo perierit, non ſufficienter conſtare videtur, quia in morbis pectoris diagnoſis eſt difficillima. Quando tamen conjecturæ ſit locus, attenta univerſali Patientis temperie ad calidum, & ſiccum vergentis; attento dominante viſcerum abdominalium æſtu, & fibrarum omnium ſiccitate, probabile eſſet aſſerere, quod, vel labefactata chyli officina, & a poſtre-

(1) Canit *Aſthma* malumque revelat. (2) De difficul. Reſp. 10.

poſtremo verſus Venetam urbem itinere commoto ſanguine, atque ab aliquibus meracis potionibus ulterius excitatis efferæ bilis principiis ; vel ab aliquo frigidiuſculo aere corrugatis, & clauſis cutis poris ; vel denique parce fluentibus imis excretionibus, nec ceteris emiſſariis opportune, ut par eſt, reſpondentibus, & ſuppreſſo, ut nobis retulit, naſi muco, atque pituita, auctæ pedetentim in tota liquidorum maſſa viſcidiuſculæ icho-roſitates in pulmonum parenchymate decumbere debeant ; ſcilicet ubi major debilitas, ubi minor reſiſtentia, & aſthma partim ſiccum, partim humorale efficere ; quod veteres a perenni deſtillatione a capite dicerent, nos vero a vitiato inter fluida, & ſolida æquilibrio ; hoc eſt, quia præter malam partium conformationem, ſanguis, qui a vena cava per venam arterioſam ad pulmones, ſerum, lymphæ omnes, quæ ad ipſos, ad ipſorum lobos, veſiculas, ad laryngem, ad glandulam, cum Ettmullero, pituitariam, ad intercoſtales muſculos ; uno verbo, ad omnia reſpirationis inſtrumenta deferuntur, craſſioribus catharrhalibus maſſulis ditatæ ſunt, quam quod glandularum cavitates, tubulorum, utriculorumque ſpatia admittere poſſint : & ecce ſtaſes, compreſſiones, concretiones, interdum ex fermentatione acquiſita acredine, nervos vellicantes, laborioſi anhelitus, ſtertores, tuſſes, & mille morboſa thoracis ſymptomata, quæ abeunte ſole, & noctis tempore ſæviſſime revireſcunt ; cum timore etiam, ne irradians ſpirituum influxus circa eandem pectoris regionem quodammodo præpeditus ſit ; morbuſque convulſivus dici mereatur.

Quoniam vero abeſt febris, & œdema pedum, optatuſque regularis viget pulſuum rythmus, viſcerum abdominalium emphraxes, quas adſtans Clinicus obſervaverat, rhabarbarinis jam ſolutæ feliciter ſunt, reliquum eſt, ut medicæ artis præſidia partem affectam reſpiciant, & agant, ut, quoniam ſolidorum morboſa proportio immutabilis eſt, & *eouſque vivamus, quouſque reſpiramus*, nulla interpoſita mora, ſaltem quoad fieri poteſt, lentores non producantur, producti attenuentur, per ima emiſſaria deducantur, illaque in uſum ponantur remedia, quæ ſpecificam vim in pectore exerant, & totum corpus dulcificando, & refrigerando nutriant.

Diſplicet ſummopere, quod poſt exactum tempus potationis aquarum mineralium, medicina paretur ; quia, ut vera fateamur, ſpes noſtra in illis præcipue Patavinis collocata eſt, ſi

cali-

calidiuſculæ bibantur, additis & balneis (1); ſed de his in poſterum.

Neque vero, quæ vitanda ſint, in medium afferre animus eſt, cum doctiſſimus Vir curationi præſideat; jamque ſciat, quovis purgante, emetico, & quocumque alio, vi ſtimuli agente, & vel intus, vel extra nobilem Ægrum cruciante, optatam curationem potius poſſe retardari.

Sanguinis miſſiones jam tentatæ ſunt, cum parvo juvamine; quare attenta etiam Patientis debilitate, iterandæ non ſunt, niſi difficillima denuo inſtet anheloſa reſpiratio (2).

Ad promovendam narium expurgationem utilis erit intruſio olei amygdalarum dulcium, aut pulveris ex majorana, & ireos (3). Inunctiones pectori admotæ ex pinguedine anſeris, aut gallinæ, ex cœpis ſub cineribus coctis, ex unguento pectorali; abdomini vero & pubi cum omentis vituli, poſt fomentationes medio lacte peractas, ſummopere laudantur, & pedum lotiones, clyſteres, & omnia, quæ inferius fibram laxant, erunt admodum utilia; cavendo a veſicantibus, & fonticulis, quia corpus exſuccum eſt.

Manna, flores caſiæ, ol. amygdalarum dulcium implent omnem paginam pro tollenda inteſtinorum difficultate in hoc Ægroto, aut ſimul, aut ſejunctim, ſed raro, hoc eſt, tantummodo quando res poſtulabit. Morbos enim pectoris curatos catharſi raro vidimus. Incœptus dein lactis uſus, quamvis ipſo Hippocrati (4) placuerit, ſuſpectus nobis eſt, ob caſeoſas maſſulas, atque aptitudinem ad acidum ſubeundum, quæ augere poſſunt impedimenta in pulmonum compage; potius laudarem illud bullitum, aut aqua dilutum, aut in ſerum redactum, & Bagliviano more ſalſaperilla alteratum. Præſcriptum propterea decoctum a nobis oretenus in conſultatione Salodii peracta, ex radice helenii, aſſari, polipodii, marrubii albi, liquiritiæ, paſſularum, in columbo turriculo incluſis, adhuc confirmo; proboque pilulas Morton ex ſulphure, millepedibus, ammoniaco, & balſamo terebynthinato, potumque frequentem in die calidum theiformem ex hedera terreſtri, pulmonaria, capill. veneris, jujubis, hyſſopo, pulegio, & ſimilibus.

(1) Hippocrates Balnea laudat in pulmonis ægritudinibus.

(2) Hippocrates in *6.* epidemiorum laudat ſanguinem miſſum ex venis ſedalibus, tam ad curationem, quam ad præſervationem.

(3) Ait Sylvius tollendam narium obſtructionem.

(4) Lib. II. & III. de Morbis.

Reluctante hiſce remediis morbo, adhucque perſeverante, potiſſimum in temporis conſtitutione, ſemper hiſce morbis adverſa, non ideo curationis tentamen, arduum in ſenibus tantum (1), derelinquendum eſt, ſed nova iterum excogitanda, atque exhibenda, ſemper tamen ratione duce, habitoque reſpectu ad vires, ad temperamentum, atque ad effectuum, & circumſtantiarum ſyndromen, & ad infallibile illud principium, quod ſicca corpora, tempore curationis, humectanda ſunt: quod quidem in caſu præcipue noſtro neceſſarium ducimus, ſi totum, ſi partem affectam ad examen revocamus. Ob id, vel aqua deſtillata ab herbis pectoralibus, vel aqua limacum, vel jure lumbricorum terreſtrium, vel mulſa hordeata diluta, vel aqua florum raparum (2), ſuperaddito oxymelite, ſi lubet, ex melle Hyſpanico, & aqua pulmonariæ parato, aut cortice *Jubaba Peruviano* (3), aut ſyrupo de liquiritia, ſaltem bis in die viſcera humectanda ſunt, potiſſimum quando auctus ſtertor cum ſibilo exiſtentiam catharrhalis amurcæ inter bronchia, & aſperam arteriam portenderet. Sin vero ex convulſione potius Patiens laboraret, aut papaverinis, aut electuario diaſcordeon Fracaſtorii, aut emulſionibus ex amygdalis, & ſeminibus frigidis, nervorum ſyſtema pacandum eſt; ſed caute, ne ichorum, licet modicorum, excreatus, & exitus perturbetur; ſin denique ex denegato ſpirituum influxu, tinctura ſuccini corticalium glandularum fermenta, & languens vigor eſſet erigendus, & vivificandus; ideoque ſecundum ſymptomatum exacerbationem curatio dirigenda, & immutanda, quod a ſolo Adſtante fieri poteſt. Medicus enim vir horarius, & nauta eſt.

Auctores laudant ſyrupum ex fol. tabaci, branca urſina, & ſapa, ſal prunellæ, ſtibium diaphoreticum, mercurium dulcem, pruna damaſcena, aut Provinciæ in vino dulci cocta; ſuccos depuratos, & per manicam, aut arenam trajectos; conſervam botridis, aut violarum, addito pulmone vulpis præparato (4). At plura non addam. Temporis enim, & temperamenti conſtitutio modicam potius, & circumſpectam poſcit remediorum adminiſtrationem. Id unum animadverto, ea, quæ executioni mandabuntur, magis profutura, ſi ab animi pathemati-

(1) Ibid. de Difficul. Reſp. 10.

(2) Joſeph Lanzonus curavit crepidarium aſthmaticum raparum decocto. Vide *Ephemerides Germaniæ*, obſer. LXII. T. 1.

(3) Ab Alberto Seba in *Pulmonum infarctu* ſummopere laudatur.

(4) *In pulmonis vitiis pulmo vulpis ſiccatus, & tritus* ſummopere laudatur a Joanne Franciſco Ulmo Medico Brixiano: *De iis, quæ in Medicina agunt ex totius ſubſtantiæ proprietate*.

matibus alienus (1) præſcriptam ab Ordinario diætam, cum regulari ſcilicet prandio, & modica cœna (2) obſervabit, atque ruſticanum aerem experietur (3).

HISTORIA XXIII.

ASTHMA POST VULNUS HUMERI, CUM FEBRI CONTINUA, ET SPUTIS CRUENTIS.

72. ILluſtriſſimus, & Excellentiſſimus N. N. decem & novem ab hinc annis vulnus accepit. Ictu ſclopeti explosa introibat plumbea glans ſummitatem anteriorem humeri dexteri; ex ſummitate pariter partis poſterioris egrediebatur, itaut latitudo duorum digitorum tranſverſalium cutis foramina introitus, & exitus diſcontinuarent. Fractum fuit ſuperficialiter os humeri (libero tamen manente brachii motu ob illæſam humeri internam protuberantiam, quæ cavitati homoplatæ alligatur) & ſolummodo procraſtinata fuit curatio, uſque dum omnia extracta fuerint oſſis fruſtula: quo feliciter abſoluto, ſana cicatrix inducta eſt. Abſit itaque conjectura, atque propoſitio nobis ad examinandum tranſmiſſa, quod antiquum vulnus partibus thoracis anheloſa reſpiratione nunc laborantibus, aliquam labem vel ſuppeditet, vel communicet; dum præter notabilem diſtantiam a pectore, ratione ſitus, & vulneris, quod intima penetralia non tetigit, non adeo cum parte affecta proclivis cum pulmonibus datur vaſorum continuitas, ut præſentis morbi fomes poſſit nuncupari. Profundius igitur expiſcanda venit ſævientis aſthmatis cauſa. Origo Italâ, vivendi ordo Germanus, non parum conjurante militari exlege diæta, internas concoctiones læſerunt, biliſque particulas nimis actuarunt; quare circumquaque ſuperbientibus acrimonioſis ſalium

(1) *Quem enim latet, triſtitia, mœrore &c. dominante, nunquam non niſi cum ſuſpiriis, ac gemitibus, & prout vulgus loquitur, ex imo quaſi & profundo pectoris aerem duci.* Joannes Langius in diſputationibus de Reſpiratione læſa pag. 184.

(2) Quidquid in contrarium *Reverendiſſimo Joanni Cardinali Morono* ſcripſerit Bernardinus Paternus Salodienſis, qui de prandii, & cœnæ reſpectiva quantitate agens ait: *Sed id tanquam veriſſimum affirmare, longe videlicet ſalubrius eſſe, veſperi plura, ac validiora alimenta ſumere, quam mane.* (Epiſt. Patavii excu.). Quod quidem dogma licet a Brixiano Auctore productum, candide tamen fateor, ſuas habere difficultates, nec ſemper, nec in omnibus eſſe exequendum.

(3) *Debet itaque Aſthmaticus ſequi bubulcum, quando terram arat, & incedere per ſulcum, ſive viam ab aratro recenter in terra factam, & aperto ore reſpirare aerem, ſive halitus nitro-ſalinos, ac ſulphureos a recenter ruptis terræ glebis prodeuntes.* Baglivus lib. I. pag. 68.

particulis, conſpurcata cœpit lympha tenuiſſimos pulmonum lobos impetere, tuſſiſque nunc humida, nunc convulſiva progigni. Hujuſce indolis ſanguinem oſtendunt non minus febriles paroxyſmi, quos paſſus eſt uſque in præſens, quam ſputamina cruenta, eroſionem capillaris pulmonicæ diramationis manifeſte oſtendentia. Quare nil mirum, ſi venæ ſectiones, medicamina, & poſtrema ſecundum medica præcepta vivendi methodus, parum tulerunt juvaminis; quandoquidem tota fluidorum maſſa acerrimo pollet genio, portioneſque aduſtioris materiæ ſtant profunde pulmonibus inſculptæ, quæ uſque dum a fermentatione diſtant, nulla convulſio, nullum pulmonum irritamentum, nulla tuſſis, at novo, quamvis exiguo adveniente ſucco, renutritæ, & in motum poſitæ, antiquas producunt exacerbationes, & cum anheloſa, & difficili reſpiratione, convulſiva efficiunt irritamenta. Sicuti in poſterum a purgantibus, & a venæ ſectione abſtinendum, ita blandis pectoralibus, & diureticis inſtandum, ut ſalium cuſpides obtundantur, viamque urinæ regiam acris ſeroſa maſſa reperiat, & ſeligat. Præmiſſis igitur omni mane bolis ex terebynth. veneta in aq. nympheæ lota, addito ſale ononidis, ſuperbibendum jus pulli, in quo bullierint maculoſa, pulmo. ſanicula, alchimilla, hyrundinaria, anagallis aquatica. Poſt prandium quotidie utatur infuſo herbæ Theè calide ſorbillato, facto in aqua cucurbitæ, vel fragariæ ad. ſpermate ceti, ſaccaro fino ãa ʒ. i. pro qualibet vice. Hæc ſuggerebam pro ſalute tanti Equitis, tot de cauſis mihi ſemper recolendi. Adſit Omnipotens, quem fauſtum humillimis precibus apprecatur.

HISTORIA XXIV.

ASTHMA, SPUTUM SANGUINIS, AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

73. VIr ſexagenarius ex Patre ſano, & Matre orthopnoica ortus, temperamenti calidi, & humidi, amiſſis duobus fratribus pectoris morbo olim laborantibus, ubi ad quadrageſimum ſuæ ætatis annum pervenerat, ſuſcepto tempore hyemis Venetias itinere, coryza correptus, moxque poſt reditum in patriam, magis crudeliter mulctatus, cum aliqua

qua reſpirandi difficultate, tuſſi, & exitu catharrhalis materiæ in hypochondriacam, prudentialem tamen, affectionem incidit. Poſt hæc ſeptem circiter ab hinc annis, cum levi tuſſi, aliqua ex improviſo per diapedeſim emerſerunt ſanguinis ſputa, quæ dein ſeroſiora facta, venæ ſectionem multoties poſtularunt: ſed nihilotamenminus poſt aliquot annos, & poſt hæmorrhoidalis expurgationis ſuppreſſionem, elapſo Octobri dolor in latere obortus eſt, ſanguinis miſſione ſedatus; ſed inconſulto ſeptentrionali (1) aeri expoſitus ſummam contraxit reſpirandi difficultatem, adeout paulopoſt accedente febri, catharrhali viſcida expuitione, anorexia, hypochondriorum æſtu, & inteſtinalium flatuum inſultu, cum pertinaci alvi ſtypticitate, aſthmatica (2) affectione detentus videretur.

In arduo hoc, etiam ob invaleſcens frigus, rerum ſtatu, expiatis primis viis, miſſoque ſanguine, morbus, ejuſdemque cauſæ ab adſtantibus Medicis ad examen revocatæ ſunt, ut pro aptanda therapœja conſtaret, num ſola fluida peccarent, num ſolidorum etiam vitium accederet, ex quo thoracicum primarium viſcus labefactaretur. Quia vero ex perenni ad pectus deſtillatione, ejuſdemque per tracheales ductus, cum tuſſi, exitu, de liquidorum affectu conſtitit, neque ulla unquam pulſuum inæqualitas, aut intermiſſio, & in omne latus ſupine, horizontaliter decumbebat, abſente etiam in cruribus œdemate, cenſitum fuit, nullum latere potuiſſe tuberculoſæ, aut cujuſcumque alterius organicæ conformationis vitium; ſed ſævientem tunc temporis ægritudinem ortam fuiſſe a liquidorum omnium verſus pulmonares veſiculas appulſu, itaut & divulſis fibris primus dolor, & infarctis glandulis reſpiratio difficilis cum ſibilo, & gravamine emerſerint: non excluſis tamen circa affectus concauſas ſpiritalis arcis corrugatione, & ſtrictura a brumali aere producta, nec non nativa forſan valvularum inertia, & vaſorum laxitate, vel anguſtia, & in axim niſu, itaut diſcurrentes humores inibi ob minorem reſiſtentiam, aut majus impedimentum quieſcere, ſtaſeſque efficere debuerint.

In ipſa tamen adverſa hyemali ſcilicet temporis conſtitutione, diluentibus pectoralibus, & balſamicis pilulis, & ſyrupis domito feliciter morbo, licet in præſentiarum bene valere videatur, tria tamen remanent, quæ medicam opem poſtulant.

Nem-

(1) Nec mirum, ſi ſpirante borea, vel in hypocauſtis aſthmate plectuntur. Helmontius.

(2) *Ætatem conſtantem agentibus aſthmata.* Hippocrates lib. III. Aphoriſmorum.

I. Nempe ſuperſtes totius pectoris anguſtia, itaut quovis itinere, labore, & præcipue per plana inclinata aſcenſu, frequens anhelitus in promptu ſit, ſeſſione, & quiete evaneſcens.

II. Facillima lymphaticæ catharrhalis materiæ productio, atque a toto cruore ſeparatio, itaut etiam citra non naturales cauſas, aut pectus, aut caput frequenter opprimatur, ut evenit elapſo menſe, in quo ex perenni fluxione infarctis, tenſis, & dolentibus maxillarum ligamentis, dentium alveolis, ne dicam radicibus, de ipſorum extractione jam agebatur.

III. Denique affectio hypochondriaca, cum ſemper aucta flatuum productione, melancholico etiam ſubdominio accedente, adeout vel majora timens, vel de priſtina valetudine deſperans, propriam temperiem frequenter criminetur.

Ob id cum nativam ſolidorum conſtitutionem immutare arduum ſit, eo dirigere putabant Brixiani Profeſſores artis conatus, *primo*: ut, producta in ſolidis elaſticitate, attenuaretur craſſiorum humorum amurca, ſicque liberiori pede & ſanguis, & liquida omnia inter bronchiales fiſtulas, & pulmonum veſiculas diſcurrerent. *Secundo*: ut præpediretur ſeroſæ deſtillationis ſoboles, aut ſaltem per conſueta excretoria, aut nova adaperta emiſſaria corrivaretur; opus curationis dein perficiendo conſiliis; hoc eſt, ut ſolitudinem, & quoſcumque mentis labores vitet, ſocietatem amet, hilarem vitam ducat, & primarium remedium in ſemetipſo quærat.

Et urgente morbo, atque ad præſervationem, ſemper laudanda ſanguinis miſſio. Senectus enim adhuc viridis eſt, neque alio modo produci poteſt ſubitanea, cum pectoris levamine, ad partes inferiores derivatio; & imminuta liquidorum quantitate, ſanitas magis in tuto erit, pollebunt ſolidorum momenta, faciliuſque tollentur æquilibrii difficultates: quod quidem utrum ab hæmorrhoidibus exequendum ſit, an potius (ob affectum ab hypochondriaca paſſione lien) *ex vena, quæ eſt ad annularem digitum ſiniſtræ manus*; de quo olim tot quæſtiones inter Veronenſes, & Brixianos Medicos obortæ ſunt (1), conſulti oraculi judicium ſit.

Ad attenuandum vero lentorem, proximo Septembri ſerum lactis præſcribi poſſet, aut deſtillatum B. M. factum ex appro-

(1) *Duæ Quæſtiones Medicæ, altera: utrum in lienis affectibus ſecanda ſit vena, quæ eſt ad annularem digitum ſiniſtræ manus, ab Excellentiſſimis Viris Joſepho Valdanio, Hieronymo Feroldo, Aloyſio Mundella, & Bartholomæo Gajono tractata. Altera &c.. Patavii ad inſtantiam Petri Antonii Alciati MDLXVII.*

propriatis etiam vegetabilibus, diluentibus, pectoralibus, hepaticis, antiſcorbuticis, intermixto ſemper balſamicorum uſu, ut ſolidorum potentiæ reviviſcant; & quia nimis longa neceſſaria eſſet medicaminum adminiſtratio, ut tolleretur in origine catarrhalis lymphæ proventus; forſanque incaſſum etiam adhiberetur, reliquum eſt, ut ſaltem effectui provideatur, balſamica illa, & præcipue terebyntinata ſeligendo, quæ diureſim poſſint promovere.

Adeo enim in caſu noſtro neceſſaria evadit extra corporis peripheriam noxii hujuſce ſeri ſeparatio, ut de fonticulo in brachio imprimendo, licet ætas, & ſuſpecta liquidorum dialyſis obſtent, etiam a Profeſſoribus magni nominis muſſitatum ſit.

Attamen cum agatur de tanto Viro, de Eccleſia, deque urbe noſtra optime merito, neque ſupradicta, neque tot alia excogitabilia remedia tædioſe refricantur; neque ad uſum revocabuntur, niſi togata Patavina adſtipuletur auctoritas, a qua, poſt Deum Optimum Maximum, magnum aliquod alexicacon pro ſalute Nobilis Patientis expectat, ſuumque obſequium addit &c.

HISTORIA XXV.

ASTHMA, CACHEXIA, HYDROPS INCIPIENS.

74. VIſcidorum lentorem a naturali dominante acido, & venereo miaſmate confirmatum, alias eryſipilatoſos tumores in cruribus induxiſſe, nunc vero in pulmonum parenchymate, ejuſdemque glandularum productionibus ſuas particulas depoſuiſſe demonſtrant, tum difficilis reſpiratio, tum ſibilus, & ſtertor quoties ad altiora progredi occaſio fert; ideoque non minus de aucto jam per intervalla aſthmate, & univerſali cachexia, verumetiam de hydropis principio, nobis pertimeſcendum in præſens ſit. Cum autem viſcerum principalium vitio id productum videamus, atque annoſe ſpleneticus fuerit, & in hepate, & pancreate renitens durities ſentiatur, cum aliqua deſcendentis arteriæ pulſatione, coniiciendum eſt, ex violentiſſimis animi pathematibus, fermenta omnia ſuis acti-

vita-

vitatibus orbata fuiſſe, ideoque ſanguinis encyclicum motum præpediri, chyli aptationem tolli; nerveoque ſucco ſpiritibus effœto, oſcillans fibrarum elaterium in dies evaneſcere: quod clare innoteſcit ex ſuperbienti in utroque genu, & pedibus œdemate (1), cum vaſorum lymphaticorum ruptura, hydropem minitante (2), etiam poſt peractas purgationes, & ventriflua medicamina, cum bilioſis dejectionibus, aliqua ſiti, & urinæ diminutione. Medicæ propterea indicationes eo eſſent dirigendæ, ut ventriculi acidum corrigatur, inteſtinales quiſquiliæ diſſolvantur, lymphatici laticis tarditas ad motum, ad loca excretoria ſtimuletur, viſcera obſtructa aperiantur, additoque ſolidis omnibus robore, liber commeatus, & circuitus in ſanguine, & fluidis reformetur, & vigeat. Syrupus de ſpina cervina aliquot foliis ſennæ actuatus, inteſtina mundando, viam ſternet aliis remediis. Omni mane præmittatur bolus ex extracto gentianæ, ſcolopendriæ cum guttis vi. ſpiritus fuliginis, cui ſuperbibat ʒ. iii. circiter aquæ ſtibiatæ, additis x. granis ſalis ex thecis fabarum, aut volatilis urinæ. In prandio quotidie utatur decoctione radicis enulæ, ariſtol. rotundæ, raphani ſylveſtris, pulegii, centaureæ minoris, calami aromatici, vitatis quæ nauſeam movent. Vinum medicatum ſit cum abſynthio, citrach, corticibus fraxini, ulmi (3), & chalybis limatura, aut infundatur in doliolis tamariſci; emplaſtrum tabaci, aut malagma Apollophanis, aut ex ſtercore caprino Oribaſii (4) cruribus applicetur, aut arena maris.

OB-

(1) Quod Nicolaus Vveiſſius curabat *fotu ſtraminis carui, mox ſicci, mox aqua fervente irrorati, & lateribus coctis probe calefactis ſuperſtrati.*

(2) Seri extra ductus collectio plurimi ſemper facienda eſt; quia ex quiete putreſcit, & ipſa viſcera etiam præcipua corrumpit, & reddit aquoſa. Cujus rei teſtimonium nobis exhibent Opuſcula in Actis Eruditorum Lipſienſibus inſerta T. I. pag. 467. ubi hæc proſtant a Medico Brixiano obſervata. *Excerpta ex actis novæ Academiæ Brixienſis &c.* Deinde *pag.* 474. *num.* XXIX.

Hydrocephalon in ſubſtantia medullari cerebri.

Excellentiſſimus Doctor noſter Bernardinus Tombinus, hydrocephalicum puerum poſt duos vitæ annos extinctum, in præſentia nonnullorum Medicinæ Doctorum diſſecabat; cumque nullum læſionis ſignum appareret, neque extra, neque intra cranium, quinimo neque in ipſa corticali cerebri portione, obſtupuerunt omnes; donec tandem cerebri cortice aperto, tota medullaris ſubſtantia (ut idem Tombinus prædixerat) corrupta, & in aquam converſa apparuit.

Inſolitum hoc naturæ portentum, cum forſan a nemine unquam fuerit obſervatum, noſtris Actis inſerere non incongruum duximus, ad hoc ut ii, qui hæc noſtra legerint, cauſas diligenter inquirant, quarum cognitio novum fortaſſe lumen aliquod Anatomiæ, vel Medicinæ conferre poterit.

(3) Erneſtus Gottholdus Struvius & auctoritatibus, & experimentis innixus pro hydropicorum curatione laudat cortices ulmi. Vide Acta Germaniæ Vol. III. pag. 70.

(4) Cap. XVIII.

OBSERVATIONES
IN ASTHMATICOS.

I.

Externa remedia quando adhibenda.

75. ANimadvertendum, num anheloſa reſpiratio, ſano exiſtente pulmonum parenchymate, aut & ipſo una laborante, pendeat præcipue ab infarctu, quandoque ob lunæ motum, & anni tempora (1) fluxionario, aut quocumque alio vitio muſculorum *ſerratorum* in poſtica ſuperiori, & inferiori parte exiſtentium, aut in *levatoribus* coſtarum Stenonis, aut *cervicalibus* Diemerbrocii. Tunc enim externa remedia perbelle conferre poterunt, inunctionibus, fomentis, frictionibus, cucurbitulis (aliqui addunt inuſtiones, ſcarificationes), quibus mediis adhærentia internis vaſorum parietibus obſtacula removeri poterunt, anguſtiæ tolli, & languens fibrarum, & ſolidorum vigor ſubſtineri: quod facile a Tyronibus cognoſci poterit, ſi actu reſpirationis ſcapulæ elevabuntur, ſtertor in internis bronchiis non audietur, aliqua in muſculis tenſio aderit, cum doloris ſenſu, actu preſſionis conjuncta.

II.

Purgantia, & vomitoria interdum adhibenda.

76. QUamvis nos cum multis ſuſpectam, aut parum utilem notavimus catharſim; nihilominus, cum, facem præferente Helmontio, in praxi viſa fuerint aſthmata extorſoriis curata pharmacis, non negamus, poſſe & in ventriculo exiſtere cauſam ægritudinis, hancque aut vellicatis nervorum paribus reſpiranti organo communicatam; aut enormi inflatione diaphragma, & ſuperſtantes pulmonum alas comprimentem; aut depravato chyloſis magiſterio informem amurcam ſanguini tribuentem, & ecce ejuſdem ſtaſes (2), & reliquorum humorum concretiones (3) in bronchiis, atque in tota veſicularum

(1) Ut notat Ettmullerus.

(2) Quæ non adeo difficiles ſunt, ſi ipſe ſanguis, in ſtatu etiam naturali interdum quieſcit, ut in Epiſtola *ad Abbatem D. Guidonem Grandum de cauſa muſculorum motus* agens, ait doctiſſimus in Patavino Gymnaſio Matheſeos Profeſſor Joannes Polenus: *Porro ſanguis, qui pervenit in ventriculum cordis ſiniſtrum, quando in eo eſt, in quiete veluti eſt.*

(3) Ex quibus *obeſitates* illæ oboriuntur, quæ Ægros jugulant. Vide Vvilhelmium Bernardum Nebelium.

rum propagine. Quare patet, & purgantia (1), & vomitoria (2) aliquando eſſe adhibenda, ut olim Timæus (3) in ſene, reliquis remediis fruſtra uſurpatis, feliciter executioni mandavit (4).

Porro cum videamus a pulverulento aere (5), a vaporoſis effumationibus, & potiſſimum a commotis cubilium plumaceis illico turbatam atomorum, & minutiſſimarum particularum, acerrimam indolem redolentium, congeriem, media inſpiratione, nervorum, & fibellarum ſyſtema irritare, convellere, & diverſo modo modificare, itaut anhelitus ictu oculi efformetur, caducumque pulmonum in promptu ſit, ob irritationem ſpaſmodice contractis vaſorum productionibus, & finibus, impedito ſanguinis commeatu; ſtatuendum certo eſt, nec reciprocum ſpirandi motum ſemper a lenteſcente pituita intercipi, nec in ejuſdem morbi curatione illa deberi omitti remedia, quæ valeant ſpirituum animalium tumultum compeſcere, ſolidorum corrugationes emollire, nerveaſque propagines homogenea balſamica mulcedine oblinire.

III.

Aer medicatus in aſthmaticis aliiſque pectoris morbis admodum utilis.

77. QUia vero per ventriculum, per meſentericos ductus, uno verbo, per ſanguinis ambages ægre remedia, & refractis viribus, atque imminutis, ad thoracem, ad partes affectas perveniunt, laudanda ſummopere eſt methodus, qua olim Venetum Patritium, quaſi conclamato pectoris morbo laborantem ſanatum audivi, nempe effumatione in conclavi anguſto inſpirata, ex balſamo orientali, vulgo *dalla Mecca*, ſupra ignem projecto. Quæ ſane medendi methodus cum illico ad partes affectas perveniat, atque ab Auctoribus magni nominis celebretur, ſignanter in praxi obſervabunt Clinici, num in uno, vel altero ſulphur, millepedes, belzoinum, folia roſarum, myrrha, flores pectorales, papaverina, gummata, ſaccharum, aut quodcum-

(1) Quibus Poterius opiata addit.

(2) *Vomitoria juvant in aſthmate humorali.* Baglivus in Lib. I. *Praxeos Medicæ* pag. 67.

(3) Lib. III. cap. 13.

(4) Vide Rulandum in Theſ. Med. pag. 103. & Hoefferum in Herc. Med. Emetica proponentes, ut media illa ſuccuſſione, ſtagnantes amurcæ, quæ aliis remediis reluctatæ ſunt, e voto exprimantur. Inter quæ laudantur *nicotianæ ſyrupus, deinde ſuccus expreſſus radicis ireos noſtratis a* ʒ. ß. *ad* ʒ. *ii.* quibus Heurnius ſubſtituit *vinum emeticum* ex *helleboro albo*.

(5) In quo multoties *ſal ponticum* adeſt. Dolæus pag. 186.

cumque aliud thymiama pro re nata, & pro conficiendis ad usum trociſcis, addenda ſint : hac tamen lege, ut incidentia in aſthmate humido, nervina in convulſivo, balſamica vero, & ſpecifica in phthiſico ſtatu adhibeantur (1).

IV.

Vitra pro aeris medicati ſuffitibus.

78. REvera medicati aeris, ſuffituumque uſus invaluit, ita-ut venales in Venetæ urbis officinis proſtent vitrei tubi in flexura lati, gracileſcentes in extremitatibus, per quarum unam liber purus aer ingreditur, atque innovatur, & per alteram in ore Ægri, aut prope nares poſitam ſorbendo trahitur. Quare cum in declivi latioris tubi flexura, in bullientem aquam demerſa, orientale balſamum, aut qualiſcumque alter medicamentoſus liquor poſitus ſit, ex mechanica neceſſitate reciprocans tranſienſque aer alterari, & induere debet illas vires, quæ huic, vel illi morbo latenti opitulari poſſent.

V.

In aſthmate ſympathico pectoralia parum utilia.

79. PRo obſervationum coronide addere etiam lubet, quod in anhelitus curatione videndum etiam eſt, num morbus eſſet ſympathicus, quo caſu bechica, pectoralia omnia in puteum jacta eſſent. Scilicet ſi ab utero, ſi ab obſtructis hypochondriis, ſique ab affectione fortaſſe ſcorbutica, in ſanguine deliteſcente, ſpaſmodicæ pectoris anguſtiæ penderent. Quamobrem, facto morboſæ ſyndromis examine, laboranti viſceri remedia aptanda, & ægritudo curanda eſt in origine.

(1) Suffitus præcipue in phthiſicis adhibendos memorat doctiſſimus Vir Carolus Franciſcus Cogroſſius Profeſſor Patavinus in diſſertatione epiſtolari ſecunda, quam pro ſumma ſua humanitate nobis direxit; ubi hæc proſtant. *In ſomma ſi vede quì apertamente l' induſtria del Santorio, che ſapeva trarne profitto dalli ſtromenti, e dalle macchine della Fiſica, concioſſiachè col medicar anche l' aria, s' ingegnava di portare a dirittura il rimedio ſu le interne offeſe parti del corpo, e ſegnatamente ſu i bronchi, e ſu le veſcichette de' polmoni, la dove per la ſtrada battuta del chilo i rimedj o non vi giungono, o a grande ſtento in folla con altri ſughi, ed umori, che li ſnervano, o domati, e ſminuzzati, ed infranti, o interamente cangiati vi arrivano.*

VI.

Remedia aſthmaticum affectum curantia .

80. AD remedia (1) quod attinet, jam penes auctores prope immenſa extat ipſorum farrago. Quoniam vero in Præfatione promiſimus in medium laturos ea, quæ vel arrident nobis, vel in praxi noſtra profuerunt, dummodo Æger ex aſthmate gibbus (2) non ſit, en illa parva habe. ℔. rad. enulæ campanæ, ſalis prunellæ gumm. ammoniaco ſoluti ãa. ʒ. ii. flor. ſulphur. ſtyb. diaphor. ſpec. diaireos ãa. ʒ. i. cum melle ſquillitico qm. ſat. f. electuarium. Optimum præcipue in obeſis, habituſque plethorici. Item laudatur mercurius dulcis (3), ſyrupus de rapis, de nicotiana, de ſucco raphanorum. Carteſius commendat aquam theriacalem camphoratam. Paracelſus illam panis porcini. Ettmullerus (4) vina medicata ſquillitica. Scholzius ſudores. D. Michaelis ſuccum bellidis &c. Tabernæmontanus decoctum Botryos (5).

HISTORIA XXVI.

FEBRIS HECTICA IN MULIERE.

81. NObilis Mulier annorum vigintiſex, temperamenti calidi, & ſicci, albi coloris, raræ texturæ, ortaque ex Patre bibaci, levi apoplexia olim ſiderato, & Matre, cui carcinomatoſus in mammis tumor mortem attulit, e veſtigio procera, prompte fluentibus ante pubertatem catameniis, ubi ad decimumnonum ſuæ ætatis annum pervenerit, importuna tuſſi vexari cœpit, quæ pediſſequam quandoque habuit non minus ciborum vomitionem, quam aliquam ſanguinis tincturam, qua catarrhalia ſputa cruentabantur. Anno 1733., ſuæque ætatis vigeſimotertio nupta, & poſt quinque menſes utero gerens, pinguior facta, & interdum tuſſiens, fœmellam peperit. Verum etiam poſt puerperium nimis ubertim ſecedentibus lochiis loturæ carnium inſtar, in Clarenſi oppido manus ve-

na

(1) Nunquam, ſed in his præſertim morbis bonus Practicus diſtare debet a monitis Hippocratis. Ait enim Janus Cornarius: *Etiam in hac parte, quæ ad reſpirationum notitiam ſpectat, longe reliquos omnes Hippocrates antecellit.*

(2) *Gibbi ex aſthmate moriuntur*: ait Hippoc. VI. Aphor. 46.

(3) Vide Riverium *Calomelanos* exhibentem.

(4) In Collegio Practico de Aſthmate.

(5) Gummi ammoniacum, oxymel ſcilliticum, ſperma cœti, & julep. tabaci, quatuor ſunt, quæ in Aſthmate humorali, & ſtomachico ceteris omnibus mire antecellunt. Baglivus Lib. X. pag. 67.

na ſecta fuit, cum aucta in dies febris idipſum poſtularet. Et licet variis adminiſtratis remediis, ex ærario pharmaceutico petitis, febris, viſcerum calor, & extremorum miteſcere viſa ſint, attamen & tuſſis, & uterinus, ſemperque cruentus fluor curationi per integrum annum reluctata ſunt. Tandem Bergomi eruditus in Jatrica facultate Vir, & amicus noſter Gaſpar Cucchi, imminuto iterum ſanguine ob febris recrudeſcentiam, incraſſantibus, & ſpecificis, puta gelatinis, roſarum conſervis, urticæ ſucco, & ſimilibus totius ſanguineæ maſſæ dialyſim compeſcere, ſalina ſpicula hebetare, jam fatiſcentes ſolidorum fibras erigere pertentavit. Quibus quidem auxiliis ſuppreſſus eſt ſanguineæ ichoroſitatis per vaginales lacunas fluxus, ſed paulatim adventante præſenti hyeme, & febris continua, & tuſſis in promptu fuit, cum ſudoribus, emaciatione, ſtertore, & ſibilo in reſpirationis actu, dolore in pectoris mucronata, & coſtarum mendoſarum confinio, ſputis multiformibus, nunc mucoſis, nunc catarrhalibus, nunc puriformibus, interdum ſanguine variegatis, genarum rubore, præcipue in ſiniſtro latere, ſiti, veſpertinis, & nocturnis acceſſionibus, & paroxyſmis, alvinis fœcibus crocea flavedine tinctis, adeo ut tot ærumnis laceſſita, Februario 1738. medicam opem iterum poſtulaverit. Accitus propterea, & penſitatis prius omnibus, quæ ad cauſarum lumen, ad eſſentiam morbi, ad therapœæ regimen conſpirare poterant, in eam deveni ſententiam, eximiam Matronam, introducto ſanguinis colliquamento, ſolutis homogeneis particulis, laxata ſolidorum compage, ex acerrima liquidorum omnium dyſcraſia, ad tabem inclinare. Quamobrem præter exarata ſymptomata, cum attentiſſime obſervaſſem, non ſolum matutinis horis pulſum ſollicitis nimis vibrationibus reciprocare, verumetiam ad occaſum vergente ſole, poſtque penetratum in liquida chyloſum laticem, ex pancreatici ſucci activitate, & acore, ex fermentativa miſcella, ex particularum niſu, quaquaverſum pollentibus magis exuſtæ, & irrequietæ bilis principiis, arterias omnes, conicaſque earum productiones in majorem elaterem ampliari, extendi, & clinicam manum violenter tundere; atque inſuper cum morboſorum ſymptomatum caterva præcipue circa pectus verſaretur, profundus in thorace ſibilus violenta ſuccuſſione tuſſim concomitaretur, excretaque per os, non ex palatinis glandulis, non ex tonſillarum utriculis, aut glandula pituitaria ſudarent; reliquum eſt, ut opinemur, ex

pede-

pedetentim enatis pulmonarium loborum tuberculis, heterogeneas ichoroſitates gliſcere, atque ex enormi impetu, & convulſiva undulatione ad trachealia ora aſcendere. Nil enim facilius, ſi nativa forſan præextitit reſpirantium veſicularum inertia, & debilitas, quam quod inibi lugenda metaſtaſi, muriatica acidarum qualitatum ſarcina ſuam ſedem figeret; & ex multiformi, ſed præcipue in ſiniſtro latere puſtularum, & exanthematum diſſeminatione, infeſtis accedentibus hyemalis inſpirati nitri particulis, thoracicum viſcus vitiaretur. Quod quidem ſicuti interfluentium muriaticorum laticum effectus fuit, ita radicalis in præſentiarum morbi evaſit cauſa, dum ex variis hiſce folliculis, pulmonumque tuberculis, nunc ex turgenti acida cruditate, nunc ex puriformi ichore, ne dicam poſtremis hiſce diebus purulento, diſruptis, & ſuppuratis, aſſidua non minus imis faucibus, & laryngi ſputorum materies ſuppeditatur, verumetiam per omnis generis venas, in internis tuberculorum parietibus hiantes, viroſæ, & infenſiſſimæ ichoroſitates toti maſſæ ſanguineæ communicantur; & en habitualis febris, per totam quaſi dixerim hyemem, nunquam intermittens, virium proſtratio, anorexia, & fluidorum omnium diſſolutio, quæ præter alia ſigna, arguenda præcipue venit ex quantitate urinæ, expuitionis, & ſudoris.

Præterito menſe manus medica admota fuit, leviterque caſia, & tamarindis ſubducta quandoque inteſtinorum ſaburra; pectorali ſyrupo ex hedera terreſtri, tuſſillagine, radice chinæ, liquiritia, & ſimilibus opus pertentatum; interjectis hora ſomni emulſionibus ex ſeminibus frigidis, papaverinis, & teſtaceis, & quandoque pilulis de cynogloſſa cum ſpermate cœti, pulveribus haly Abb. antihect. Poterii, & quandoque opiatis (1) humorum dialyſim, fluxum, & vigilias (2) prohibentibus. Verum omnia incaſſum uſque in præſens fuerunt adhibita. Cumque veſpertinæ paroxyſmorum exacerbationes Patientem frequenter vexarent, magni Riccardi Morton documento, china china non ad curationem, ſed ad acceſſionum moderamen exhibita fuit; & in præſentiarum quotidie bis in die ſumit aquam lactis deſtillatam, ſcilicet ex raſuris, ſantalis, herbis pectoralibus, ranis, cochleis, lumbricis terreſtribus, pullo exenteratera-

(1) Opiata *mentem ſerenare* olim opinatus eſt Georgius Haſeneſt.

(2) Ait enim Nicolaus Maſſa in *Epiſtola Medicinali* XIII. ad Excellentiſſimum D. Paulum Magnolum e Burno Brixienſem doctiſſimum olim Medicum: *Somnus humectat, & virtutes omnes inſtaurat; vigiliæ vero exſiccant, & inflammant*.

terato, & lacte vacino. Sed cum omnia in pejus ruant, atque curationis ſpes imminuatur, oracula tua, ſapientiſſime Profeſſor, conſulere domeſtici opportunum duxerunt.

Tua itaque in primis optantur monita, an ſupreſſis hoc menſe menſtruis, alioquin fluere conſuetis, licet virium debilitas, & liquidorum dialyſis obſtent, vena tangenda ſit, & quo loco.

Dein cum phthiſeos pulmonaris characteres ingraveſcant, an lacte utendum ſit, habito reſpectu ad vulgatum illud: *Lac febricitantibus malum.*

Quia vero methodicæ indicationes eo collimare deberent, ut lixivioſi ſalium cuſpides invaginentur, effrænis ſpirituum tumultus coerceatur, roridæ nutrituræ humiditates augeantur, ulceroſæ aſperitates, & ſcatebræ in pulmonicis lobis conſolidentur; ſic in hunc finem proponi poſſent pulmo vulpis præparatus, aut pilulæ de terebintho, additis millepedibus, olibano, belzoino, floribus ſulphuris, ſuperbibendo hauſtum tepidæ decoctionis ex foliis taraxaci, pulmonariæ, maculoſæ, botryos, ex floribus hyperici, viol. bellidis majoris, papaveris rheados, tantillo ſyrupo de corallis, aut de roſis ſiccis, potionem edulcorando. Nec ſpernenda eſſent ferculum Saxoniæ in juribus domeſticis, & continua, aut frequens in ore geſtatio rotularum ex pulpa radicum altheæ, gumm. arab. & tragach. in aqua papa. rheados ſol. cum ſaccharo qm. ſat.

Cetera, & bene multa, quæ in hoc caſu adhiberi poſſunt, & ſub Brixiano cœlo uſuveniunt, prætermittuntur, & admirabile aliquod remedium pro ſalute Patientis expectatur &c.

CONSULTATIO

CLARISSIMI VIRI

JOANNIS MARIÆ FRACASSINI

Medici Veronenſis.

82. *Miratus quidem ſum, nec mirari deſino, Vir ſapientiſſime, cum ſymptomatum Nobiliſſimam hanc Mulierem infeſtantium ſindromem, ſumma alioquin claritate, atque elegantia expoſitam perlegerem, te adeo obſequentis animi fuiſſe, ut alicui ſatisfacturus, incurabilem morbum enarrando, meum conſilium poposceris. Malum jam ad tertium tabis gradum pervenire, ſatis evinci-*

vincimus, tum ex diuturna febre acceſſiones veſpertinas continente ; tum ex ſudoribus nutritium ſuccum diſſipantibus ; tum purulentis ſputis , ſtertore , ſibilo , clangoſaque voce comitantibus . Idcirco Matronam iſtam prognoſi relinquendam eſſe arbitrarer , niſi trito illi Hippocratis documento me opponi animadverterem . Remedia hucuſque adhibita nonniſi ſancta dicerem , tuumque curationis regimen unicum fateri neceſſe eſt . Quamobrem cum ſupervacanea eſſe cognoſcam artis auxilia , Theoriæ quoque , ex qua indicationes ſumuntur, valedico . Quoad remedia tamen hoc tantum dicam , ut & tuæ petitioni ſatisfaciam : a ſanguinis miſſione omnino abſtinerem , propterea quia talem operationem Ægram jugulare pertimeſcerem ; agitur hic enim de ſanguine nimis ſoluto , nec copia peccanti , omiſſo virium languore . Si vero propter Ægræ ſolatium, remedium a me petis , hoc proponere non recuſo . Septalii decoctum non extra rem judico , ebullitioni addendo ranas , vel cancrorum caudas , & chelas , lac quoque coctum , ut ſit facilis digeſtionis ; nec non Mañia Aluminis convenire mihi videtur . Ceterum , & hæc pluraque alia efficacia alioquin remedia , niſi Sanctorum interponatur auxilium, futilia eſſe autumo .

CONSULTATIO

VIRI CLARISSIMI

STEPHANI PICCOLI

Medici Veronenſis .

83. *UTinam verum eſſet dictum illud: Medicus, qui ſufficerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad curandum (non dicit tamen ad ſanandum) ; nam cum evidentiſſima ſit ægritudo torquens Nobiliſſimam Mulierem, adeo graphice expoſita a ſapientiſſimo , & famigeratiſſimo Profeſſore aſſiſtente , fulgeret certa ſpes curationis ; conſtat enim evidenter, ipſam tabe pulmonari laborare , cujus fundamenta , & diſpoſitiones uſque ab anno ætatis ſuæ decimonono , jacta ſunt in ejuſdem corpore . Quis enim eſt , qui videns hominem quendam tuſſientem , gracilem , excarnem , ait Aretæus , non pronuntiet , ipſum vera Pthoe laborare ? cernimus enim , ipſam continua tuſſi , ſibilo in reſpirationis actu , pectoris dolore , ſputis multiformibus nunc mucoſis , nunc catarrhalibus , nunc puriformibus , interdum ſanguine variegatis , genarum rubore præcipue in*

ſini-

ſiniſtro latere , ſiti , febri continua veſpertinis , & nocturnis affectionibus ſtipata , additis etiam ſudoribus , & emaciatione : quæ omnia indicant læthalem hanc pulmonum affectionem , quæ ad gradum proxime tertium hucuſque devenit , indicantibus id ſudoribus colliquantibus , & urinis pariter ejuſdem conditionis . Neque infringi poteſt hoc judicium a paroxyſmationibus inæqualibus cum crocea flavedine excrementorum , quaſi eſſet humoralis febris corticis peruvani uſu ſuperanda ; nam hic ſolet eſſe ſtatus tabidorum deſcriptus a magno Hippocrate in prima taxi , ubi ait : hic erat autem tabidorum ſtatus (præter alia) febribus autem affligebantur inæqualibus , recurrentibus , etiam tertianarum naturam referentibus. *Neque admirari debemus , quod in hanc pulmonarem labem exitialem ruerit Nobilliſſima Exponens ; nam omnia , quæ deducuntur a temperamento , habitu corporis , quin etiam ex Parentum charactere ſeminali , ex immatura , & copioſa menſtruorum expurgatione , imo ex continuo uterino fluore poſt partum remanente , oſtendunt indolem ſanguinis acrimonia muriatica præditi , & laxæ texturæ : qua ſtante , lympha hujuſcemodi eroſivis ſalibus ſaturata , facile potuit per tracheales glandulas pulmones ipſos hujuſcemodi qualitate paulatim inquinare , & ibi morans in hujuſcemodi ſtatum deducere tabidum , & flaccidos , quinimo fraciditati proximos reddere : ita inducta ſecunda illa tabe ab Hippocrate deſcripta , quæ per flacciditatem pulmonum indicatur , annotata ſputorum conditione . Verum præter rationem non eſt vereri , ne ulceribus etiam , quod affecta ſit eorum ſubſtantia , non quidem magnis , nam nunquam erupit ſanguis in copia , ſed parvulis quidem exſectionibus ulceroſis a parvis interſperſis tuberculis eruptis : & eſt tabes illa ſcrophuloſa a Mortono graphice delineata , quod oſtendunt ſputamina ipſa interdum ſanguine variegata . Hiſce caſibus ſolet etiam eſſe comes laxitas quædam pulmonum nativa a malo influxu ſeminalis principii , quam obſervabat Hippocrates in Eurganactis filia hoc morbo ex vivis ſublata ;* quia *(ſunt verba Hippocratis)* in ea erat nativum quoddam tabidum .

Cum pervenerit modo morbus ad ſupremum fere malitiæ ſtatum ex ſua natura , & ex inutilitate tot rationabilium auxiliorum , poſſum dicere : Dii maris , & cœli , quid nunc niſi vota ſuperſunt ! attamen nunc rigore tempeſtatis jam elapſo adeo adverſæ ejuſcemodi ægritudinibus , poſſumus non ſine aliqua confidentia curationem tam proprie huc uſque peractam proſequi , ſanguinis dyſcraſiam inquiſitam emendando , pulmonum abſterſionem promovendo , balſa-

micis etiam oppugnando, pulmones roborando, & corpus renutriendo remediis desumptis a medicinæ fontibus, quod sic Chirurgicum saluto, considerando venæ sectionem. Et cum hæc tabes non sit a crassitie sanguinis cum plenitudine, sed potius a penuria spirituum, data summa tenuitate sanguinis ipsius, ut ostendunt fluxilitas nimia liquidorum, fons liquationis, quam cernimus, solet fieri cum maximo præjudicio: & hic est unus ex illis casibus, in quibus Hippocrates in Libro de humoribus severe vetavit. Sic in hoc fonte remanet solum aliqua inunctio toti corpori peragenda, & hæc ex unguento resumptivo Zacuti, & oleo pineorum recenti. Video hisce casibus Galenum instituisse curationem duobus remediis, lacte, & balneo aquæ dulcis, quod tempestate calidiori posset institui, si res permitterent, neque colliquantes sudores præsentes, vel diarrhœa obstarent, quæ fortasse diarrhœa si supervenirent, occurrendum esset clysteribus paratis ex pinguedinosis, & elasticis injectionibus.

Percurrens pharmaceuticum fontem, post hæc adhibita, aliqua pauca proponam, quæ respective possint ordine designatas intentiones explere, a quibus (si tamen sit locus spei) in praxi multum levaminis notavi. Primum erit remedium liquidum hujuscemodi. 2. mulsæ hord. terebent. ℔. ii. ex qua sumantur ʒ. vi. mane, & vesperi bihorio ante cibum, vel saltem quatuor, quæ sumenda erit per quindecim saltem dies; quod si aliquam conferentiam observemus, posset etiam ad ulteriores dies produci. Hoc peracto remedio, cum substantiæ pulmonum provideatur, præscribere mihi placet aquam calcis tertiæ infusionis ad ʒ. vi. mane, & vesperi, cui præmittantur duo boli sequentes. 2. butyr. cacao ʒ. i. antihetic. Poter. gr. xv. f. pil. n. ii. s. a. Post horum usum per tot similes dies arrident valde pilulæ balsamicæ Mortoni ad ʒ. i. mane singula die, & conflantur ex iisdem fere ingredientibus, quæ proponit sapientissimus & Nobilis Vir in sua Consultatione non satis laudata; quibus superbibat destillatum ex sanguine vitulino, floribus hyperici, & pulmonaria maculosa ad ʒ. iv. Tandem claude curationem usu lactis humani methodo consueta ab uberibus recenter emuncti, & inter alia plurima specifica ferculum Saxoniæ præcipue. Hæc sunt, addito congruo vivendi regimine a clarissimo Assistente præscribendo, quæ exarare potui in hoc rerum summo anfractu, si adsint inducia, quarum in fronte imprimere etiam placet documentum: Medicus vir nauta est. *Sint in salutem exoptatam Nobilissimæ Exponentis, quæ etiam submitto Nobilissimo Professori, & me obsequentissimum fateor.*

HISTO-

HISTORIA XXVII.

SPUTUM SANGUINIS, TABES INCIPIENS IN SENE.

84. CHriſtianiſſimi Regis claſſium Dux, temperamenti calidi, & ſicci in ſenili ætate conſtitutus, poſt latas media ætate febres tertianas, chinachina nunc domitas, nunc auctas, & commiſſos terra, marique errores præcipue in diæta ſecundum varias belli viciſſitudines, tandem anno præterito moleſta, arduaque tuſſi vexatus cum ventriculi debilitate, hypochondriorum borborygmis, & œdematoſo pedum tumore, medicam opem poſtulavit. Quæ quidem ſymptomata inſtructo optimæ curationis ordine aliquatenus quieſcere, & per ſex menſes minus Nobilem Patientem vexare viſa ſunt. Et noviter adventante præſenti hyeme, antiqua ſæviente tuſſi, ſenſim ſine ſenſu apparuit virium proſtratio, ciborum inappetentia, & in dies ſemper aucta corporis macies. Hinc in riperia Benaci lacus degens, præter modum ejuſdem lacus aquam potavit, ea ſpe fretus, quod ab aquoſo fluento interne ſolutis bilioſis ichoribus, ſalibuſque muriaticis, exarata ſymptomata e voto miteſcerent. Sed eventus par non fuit deſiderio, aut conſilio. Enata quidem ſubinde per menſem diarrhæa aliquod levamen afferre viſa eſt, ſed eadem ſuppreſſa, poſt violentiſſimam tuſſim, cum tuſſi aliquot unciæ ſanguinis nunc accenſi, nunc magis coagulati per ſputum apparuere, ideoque hæmoptoicus factus eſt. Poſt hæc non purulenta, ſed quaſi dixerim puriformis, & viridiuſcula alba, ſalſuginoſaque materies quotidie expuitur nocturno præſertim tempore, ſemperque cum tuſſi, & vigiliis, adeout & rorida humiditas videatur conſumpta, & non ſolum de humorum dyſcraſia, verumetiam de partium organicarum vitio dubitandum ſit. Licet autem ſenſus, & dolor præcipue ſentiatur in regione meſenterii, morbuſque in annexis glandulis, & chyli incerniculis hærere videatur, ut quaſi dixerim, penitus abolitæ ventriculi digeſtiones, & ſulphureæ bilis proventus probant, & flatus in inteſtinis oſtendunt, nihilominus difficilior reſpiratio, quæ evenit dum in dextero latere decumbit, & pertinax ferina tuſſis ſunt indubia pulmonicæ etiam labis teſtimonia, ideoque & meſenterico, & pulmonico paren-

chymati medicas indicationes, & remedia dirigenda esse, quis ibit inficias? Cum autem amisso inter solida cum fluidis æquilibrio acerrimum bilis prædominium videamus, cruorque nimis frequenter per urinam, pedumque œdema lymphatico connubio orbetur, hypochondria suspensa, & sicca exæstuent, reliquum, & necessarium est, ut laxanti medicamine ventriculus, & annexa intestina mundentur, acerrima fluidorum diathesis corrigatur, salina sanguinis spicula cicurentur, viscerum fermenta, & emollito abdomine fibrarum laxitas, earundemque oscillans motus promoveantur. Arduum sane opus, nisi proximum ver, Ægrotantis animus, absentia febris, & Plinius (1) multum sponderent. Manna sibi familiaris, eaque semel in hebdomada repetita viam sternet aliis remediis, in quibus jus viperinum seligendum hortarer, per quadraginta dies, in aqua hederæ terrestris, & pulmonariæ, irroratum aliquot guttis balsami sulphuris terebinthinati. Laudabile perinde esset destillatum in B. M. ex sero lactis cum foliis, & floribus balsamicis pectoralibus, pullo, ranis, & oculis cancrorum fluvialium. Nec deserat in cibis incœptum Brixiæ usum ferculi Saxoniæ. Quibus executioni mandatis, lactea diæta laudatur, præmisso Baglivii pulvere ad aciditatem evitandam. Fomenta abdomini, & emplastrum si lubet pectori *ex salicibus glutinatorium* (2), aut *indicum* Aeginetæ (3), & clysteres emollientes erunt utiles. Præ ceteris victus ratio, & diæta juvabunt. Sique Sextus Philosophus Platonicus (Gabriele Humelbergio Ravensburgensi Medico interprete) fidem mereretur, equi urinam bibere posset (4).

HISTO-

(1) Ait Plinius lib. II. cap. 18. de sanguinis profluvio: *Multis per ora stato tempore, ut nuper Macrino Visco viro Prætorio, & omnibus annis Volusio Saturnino urbis Præfecto, qui nonagesimum etiam excessit annum.*

(2) A Paulo Aegineta laudatur. Lib. VII. de Re medica.

(3) Ex cera, resina, pice sicca, bitumine, zacynthio, cerussa, chalcitide, misyos, melanteria, alumine, galla, omphacitide, & malicorio.

(4) Libro de Medicina ex animalibus. Ad Phthisicos, & qui male tussiunt. Equi salivam si biberint, sani efficiuntur. Expertissimum sane, equus morietur.

HISTORIA XXVIII.

HÆMOPHTHISIS, RESPIRANDI DIFFICULTAS, MACIES CUM LENTA FEBRI.

Damnantur Aquæ minerales.

85. SAnguinis per os rejectio per intervalla, ſtatiſque temporibus nunc magis, nunc minus adaucta, ejuſdemque filamentoſæ per diæreſim tranſudationes, quibus catarrhalia ſputa indeſinenter variegantur; reſpirandi difficultas, & acris a capite deſtillatio cum tuſſi veſpertinis præſertim horis, & ſubſequenti quandoque exitu puriformis materiæ ad fundum ſubſidentis, in egregio Viro juvenilis ætatis, temperamenti calidi, & ſicci, ſunt indubia, incipientis, ne dicam, confirmatæ hæmophthiſis teſtimonia; ipſamque non minus a multiplici tuberculorum exiſtentia in pulmonicis productionibus pendere, verumetiam ab univerſali liquidorum dyſcraſia, & ſolidorum omnium debilitate; cum id præſertim ſuadeat ventriculi inertia in actuando chylificationis opere, univerſalis macies, & lenta febris una cum roridæ humiditatis conſumptione. Eo itaque artis conjecturæ dirigendæ ſunt, ut ventriculus roboretur, ſanguinis ſputum impediatur, acerrimi humores cicurentur, balſamicæ particulæ in tota liquidorum maſſa augeantur, & pectori ſuccurratur.

Propoſitæ igitur minerales aquæ Recobarii, aut ex valle Solis admodum ſuſpectæ ſunt (1). Licet enim vitriolicum gas in ipſis lateat, quod laceſſitis, & laxis Ægroti fibris aliquod robur addere poſſet, nihilominus ob ferrea, pyritea, irrequieta, eaque acerrima mille generis effluuia, quibus montanæ illæ ſubterraneæ regiones fæcundantur, ſanguinis dialyſim augeri, & ſpirituum animalium exploſivum motum actuari poſſe, timendum eſſet. Hiſce accedit aeris ſubtilitas, quæ angue pejus vitanda eſt, præſens fervida temporis conſtitutio, & itineris difficultates, & præ omnibus non levia, jamque habita hinc præterito anno detrimenta, quæ omnia apprime ſuadent, vitandam eſſe harum aquarum potationem.

Quam-

(1) Quamvis non negarem, veriſſima eſſe, quæ ſcripſit Georgius Tobias Vveiſmannus in Obſ. CXCII. Actorum Germaniæ, vol. I. Ægrorum ſcilicet Phthiſicorum magnam utilitatem a *Fonte medicato Treinvvaldenſi*, & ab *acidulis Deinacenſibus*, recipientium. Sed caſus diſtinguendi ſunt.

Quamobrem ſi adſtanti Profeſſori hoc medicaminis genus admodum arrideret, & neceſſarium autumaret, poſſent ſeligi Milzanelli aquæ, quæ oleoſo bitumine divites ſunt, ut fuſius innuimus in tractatu noſtro (1) de Aquis, & acerrimos ſales ſolvere poterunt, ſed ſolummodo per ſex, aut octo dies, mox Nucerino latice opus abſolvendo.

Attenta tamen virium imbecillitate, & lenta, ne dicam habituali febri, alia & tutiori via incedendum eſt, & vitatis quibuſcumque purgantibus hydragogis, acris humorum ſaburra corrigenda eſt, medio decocto clariſſimi Riccardi Morton: quinimo ad tutius regimen addita noviter aqua, aut lacte, caudis cancrorum fluvialium, & pullo exenterato, organis vitreis B. M. deſtillandum eſſe, ſuaderem; ſic autem erit magis refrigerans, omni calore orbatum, & calidis viſceribus acceptum. Deinde pectori ſuccurrendum pilulis balſamicis ex belzoino, opoponace, fungo bedulino, floribus hyperici, & balſamo de copaya, aut ſulphuris terebinthinato. Hora vero ſomni, laudantur boli ex cynogloſſa, aut emulſiones ex amygdalis, ſeminibus frigidis, aqua malvæ, violarum, & plantaginis. Favorabili vero accedente temporis conſtitutione, viribuſque ſinentibus, decernat Medicus ordinarius, qui curationi præſidet, num Sydenhamii conſilium executioni mandandum ſit, agendo nimirum, ut Æger equitando eat; aut cum Celſo (2), & Plinio (3), *longam navigationem* inſtituat.

HISTORIA XXIX.

TUSSIS, SPUTUM SANGUINIS, MACIES.

86. FRequentes coryzæ, capitiſque catarrhales deſtillationes, quibus, V. C., præteritis annis per intervalla mulctabaris, pectoriſque leves, ſed morboſæ viciſſitudines, quoties aſcendendo gradiebaris, aut in ſiniſtrum latus ſomnum capere pertentabas, uberem præſeferunt morboſorum, & lymphaticorum liquaminum proventum, quæ a tota ſanguinis maſſa promanantia, nec feliciter per excretorios tramites defluentia, principibus partibus ærumnas, & morbos minitabantur. Huic an anſam

(1) Pag. 126.

(2) Lib. III. cap. 22. pag. 158. ait: *Si vires patiuntur, opus eſt longa navigatione.*

(3) Plinius ita loquitur: *Præterea eſt uſus (aquarum marinarum) multiplex, principalis vero navigandi phthiſi affectis, ac ſanguinem egerentibus.*

anſam darent errata primæ digeſtionis, an ſulphureæ bilis fervor, tuique hepatis calor, an animi pathemata, hypochondriorum æſtus, & melancholicum ſubdominium, ſicuti non ſatis conſtat; ita citra dubitationis aleam ſtatuendum, quod elapſo autumno ex iiſdemmet cauſis graphice a te deſcriptis, ſcilicet ex victus plenitudine, ex ſedentaria, proximaque ad ignem vita, accedentibus frigidis criſpantis aeris particulis, aucta in dies acidarum qualitatum ſarcina, actu circuitus in pulmonum ambagibus quieſcens, difficilem interdum reſpirationem (1), febrim, dolorem, expuitiones ſanguine variegatas molita eſt. Cumque ſtatim ſpretis Medicæ artis monitis, non curatio Brixiæ in cubiculo inſtituta fuerit, ideo ulterius hyemali itineri expoſitus, & penetrabili frigore aduſtus, Venetiis antiqua pati debuiſti ſymptomata, novaque metaſtaſi thoracicum viſcus iterum laceſſitum eſt. Morbi itaque primaria ſedes eſt uterque pulmonum lobus: cauſæ ſunt exundantia ſera ab acidis, gelatinoſiſque particulis inſpiſſata, quæ intercedente fortaſſe utriculorum, & veſicularum laxitate, decumbunt, tuſſim excitant, ſputa adaugent, & quandoque ob acrem præpollentem naturam capillares ſanguiferas productiones adaperiunt. Qui quidem effectus reliquorum morborum fit cauſa; etenim ex ſpiritalis organi ægritudine fatiſcit propinqui magni muſculi ſyſtole, ſanguis nec perficitur, nec urgetur, languent fibrarum vires, & glandularum fermenta, rorida humiditas conſumitur, & ecce macies, & pulſus frequens.

At inquies: hæc omnia a Venetis Medicis jam dicta, mihique centies refricata ſunt; quid ergo agendum eſt?

In primis abſtinendum a cauterio, & hirudinibus, de quibus in tua epiſtola mentionem facis. Etenim quoad primum, abiit plenitudo, nec liquida in præſentiarum abundant, ut ideo emiſſarium aperiendum ſit, quod quidem majorem dialyſim efficeret. Ad ſecundum quod attinet: neque ſedales, neque aliæ venæ aperiendæ ob nimis formidandam virium proſtrationem; & quia lymphæ dominium rapuere; ſolumque non ad evacuationem, ſed diverſionem fieri poterit, quoties contingeret orthopnoica pectoris anguſtia, aut ſanguinis majores per os excretiones.

Abſtinendum pariter a purgantibus, & ventrifluis medicamini-

(1) Reſpirandi difficultas tam a ſanguinis denſitate, quam feroſitate pendens, doctiſſime mechanicis legibus explicatur a clariſſimo Viro P. Fortunato a Brixia in Phyſica particulari Tract. III. diſſert. VI. pag. 509.

minibus , quæ raro morbis pectoris prosunt , solumque ad intestinorum facilitatem promovendam, utilis esse poterit conserva mannæ cum tamarindis , aut clysteres emollientes .

Cum autem curationis cardo in eo videatur consistere , ut serosus apparatus alio corrivetur, & influat , bilis fervor temperetur , solidorum laxitates firmentur , catarrhalis amurca dissolvatur , capiti , & pectori succurrendo, amissum æquilibrium reproducatur ; sic duabus hisce indicationibus satisfaciendum putarem, diuretica decoctione lumbricorum terrestrium , vino prius purgatorum , & fol. scabiosæ in aqua capill. veneris facta , præmissis omni mane duobus bolis ex millepedibus, oculis cancri præparatis , & balsamo de copaya ; proinde in usualem potum vertendum erit destillatum tenoris sequentis. ℞. testudinis vivæ , rec. contusæ , ostrearum (1) n. x. , cochlearum (2) n. xii. , sanguinis vitul. rec. extrac. ℔. iv. florum hypericonis m. ii. , aquæ com. ℔. xv. m. & S. A. destill. (3) .

Tibi in domesticis juribus , interdum *Porculo lactente* (4) factis, sit familiare ferculum Saxoniæ, sed avena Anglica , quæ vulgo *pilata d' Annover* dicitur , actuatum. Conserva rosarum antiqua , aliquot guttis laudani liquidi Sydenham irrorata , & somnum conciliare , & influxum catarrhalis lymphæ ad partem affectam prohibere poterit .

HISTORIA XXX.

SPUTUM SANGUINIS IN VIRO , OLIM PODAGRA , ET PLAGIS IN CRURIBUS LABORANTE .

87. SAnguinis sputa per os iterum enata in Nobili Viro temperamenti calidi , & humidi , olimque plethorici , &hæreditaria podagrica labe laborantis , sicuti ex vasorum plenitudine proficisci posse non negaverim , attamen ob morbi diuturnitatem , & adjunctam febrim , autumandum ex ingravescente sensim

(1) Lindanus refert, Hecticam ex ulcere pulmonum copioso ostrearum usu curatam. Vide Ettmullerum T. II. pag. 366.

(2) Quidquid in contrarium scripserit Sennertus Pract. Lib. II. part. II.

(3) Vim destillatorum probare nititur Gabriel Frascatus Brixianus, illis verbis : *Sed, quis sanæmentis non admittet, aquam cinnamomi, aut endiviæ destillatam, cinnamomi, & endiviæ vim continere?* Vid. ejusdem Commentarios de Aquis Returbii Ticinensibus .

(4) *Porculi lactentis caro hæmoptoicis salutaris* . Bernardinus Ramazzinus de morbis Artificum pag. 259.

ſenſim hyeme fibrarum ſyſtema corrugatum fuiſſe ; adeoque in axim nitentibus arteriis , & vaſorum omnium ordinibus , quærentia ex mechanica neceſſitate locum liquida , ad pectoris arcem , ad laryngem appulſa , cruentam expuitionem effeciſſe , latenti forſan acida , aut acquiſita ipſius cruoris acredine , exitum ſibi per poroſitates , perque capillarium abraſiones molientе. Ob id ignarus eorum , quæ a doctiſſimis Medicis adminiſtrata hactenus ſint ; ſolumque ſciens , quæ nuper Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Frater nobis communicavit : ſcilicet quod viribus pollet , adhuc nutritus eſt , neque venæ ſectio integram opem tulit , & quæ olim egomet obſervavi in Nobili Ægro , nullam inclinationem ad hos morbos habente ; qui quouſque podagra , & cutaneis crurum ulcuſculis , acerrimum ichorem fundentibus , laboravit , perfecta in reliquis valetudine fruebatur . Quoniam arduum nimis eſſet , a priori cauſam morbi cognoſcere , eamque , attenta (ſi podagrica fluxio eſt , quæ pectus impetat) temporis conſtitutione , avertere , methodo præcipue illa , quæ ingenioſe , & docte deſcribitur a plenæ eruditionis Viro M. Scipione Maffejo (1) ; reliquum eſt , ut morboſa a ſuperioribus partibus affectio amoveatur , imas , geminaſque crurum ægritudines , quoad fieri poteſt , reproducendo ; docente Hippocrate : *in morbis pectoris tumores ad crura bonum* .

Illico propterea , neque ulla interpoſita mora , ſi febris exigua admodum eſt , captaque feliciori hora , fiat quotidie balneum tepidum a poplitibus infra . Sin vero adſtans Medicus motum timeat , amplis , & tumentibus calidis ſpongiis , etiam in lecto crura foveantur ; addendo deinde pedum plantis emplaſtrum ex cochleis , & fermento triticeo , quod ſemper ferre , & mutare ad multos dies poterit .

Dein vitatis cantharidibus , cauterio actuali , vel potentiali, plagulæ in uno , aut utroque crure quatuor tranſverſalibus digitis ſupra malleolum internum imprimantur ; quod etiam obtinere poterit cucurbitula cum multa flamma , ut bullulæ , aut veſica excitentur . Poſt hæc , melle roſato ſimplici , unguento iſidis , & ſimilibus , expurgatio ſollicitetur , medio emplaſtro *ex*

S *alliis*

(1) Nelle Oſſervazioni Letterarie T. III. articolo IV. hæc habet : *Vive oggi in Parigi il Sig. Conte d' Albert Principe di Gromberg Inviato di Baviera . Queſto Signore in ſua gioventù fu così fieramente travagliato dalla gotta in varie parti del corpo , che gli ſi preſagiva corta vita . In età di trent' anni preſe altro tenore di vivere ec. Il nuovo metodo da lui preſo ſi fu di laſciare interamente il vino , ed ogni ſorta di carne , con tutto quello , in che la carne ha parte , e di metterſi a vivere di latte , e di quanto ſi fà col latte ; con moderazione poi ancora di ova , e di qualche peſce , d' erbaggi , di frutta ec.*

alliis ruptorio , ita tamen ut nec dolor ex nimio , vel conſolidatio ex minori ſtimulo contingat. Laudando inſuper pectoris uncturam ex oleo pineorum recentium, uſumque vini generoſi, ſed in modica quantitate ; quia vina tenuia in podagricis ipſe Ramazzinus (1) damnat .

Ad remedia univerſalia quod attinet , mihi ſummopere eſſet in votis uſus placentulæ ante cœnam alternis diebus , ſumptæ ex pulpa tamarindorum , qui & purgant , & corroborant, in illa quantitate, quæ doctiſſimo Profeſſori videbitur ; qui pariter in arena capere poterit conſilium , utrum aliquot cochlearia ſyrupi balſamici in pharmacopœa Bateana deſcripti, vel radicis *Peſoulinæ* decoctum calide ſorbillatum (2) , utilia eſſe poſſint .

OBSERVATIONES
IN PHTHISIM , ET HUJUSMODI MORBOS .

I.

In qua agitur de conſolidatis crurum plagis iterum promovendis , & aperiendis .

88. MUlti profecto ſunt morbi , qui optandi ſunt , & præcipue illi , quibus mediis natura impuros humores exterminat. Quod quidem licet primo intuitu theoriæ addictis erroneum videatur, attamen qui quotidianæ praxeos periculis medicinam facit , videtque ex ſuppreſſis hæmorrhagia , aut fonticulo , naſi muco , excreatu , ſudoribus , ex pulſa ſcabie , exque tantummodo retardatis excretoriis motibus, illico aut capitis , aut cordis arcem cum Ægri periculo angi ; morbum illum, præcipue in cura coacta, iterum promovere debet, qui remedium majoris eſt ; idipſum teſtantibus clariſſimis Viris (3) , ideſt Baglivo ſuadente impreſſionem ſcabiei (4) in Patiente periclitante, qui olim ſcabie laborabat ; & Malpighio (5) ubi ait : *Frictiones in extremitatibus celebrentur , curetque , ut podagra manifeſtetur* . Additque Dolæus (6) diaphoretica , ut *ad corporis peripheriam*

(1) De morbis Artificum pag. 334.

(2) A Chinenſi Provincia adfertur , & a Maleyenſibus populis *lac tigrinum* appellatur .

(3) Conſulatur Coſchuvitz in diſſertatione de *Exanthematum ſeroſo-lymphaticorum retrocedentium noxis* .

(4) Vide Fickium in diſſertatione de retro pulſa ſcabie .

(5) In Conſultationibus Medicinalibus , Centuria I. evulgata a Hieronymo Gaſpari pag. 81.

(6) Lib. II. Tract. de Aſthmate pag. 198.

riam recrementa rarius expellantur. Ex quibus omnibus (1) arguendum eſt, admodum utile, & ſalubritatis naturam ſapere, podagra, etiam cum plagis in cruribus, laborare; *ipſaque feriante, ſummopere pertimeſcendum*, ut ait Vvepferus (2).

Paginam denique omnem implent in hoc caſu verba doctiſſimi Severini: *Singulare*, inquit, *eſt eorum ulcerum, quæ conſilio naturæ providentis parantur; quæ omnia in noſtram ſalutem excitata ſunt, facinus eſſet, ipſa aut amoliri, aut temere cohibere. Tametſi etiam haud criticum eſt illud opus, nihilominus quia cum proſpectu animalis fit, amplectendum eſt beneficium* (3) (4).

II.

Ubi methodus noſtra producitur.

89. SI quis autem urgeret, & methodum noſtram in tractandis crurum plagis ſcire percuperet, paucis habeat. In corporibus ceteroquin ſanis, in plaga nuper, aut non ita pridem (quod in hiſce rebus caput eſt) nata, curationem aggredior; non ſarcoticis, non adſtringentibus (5), non balſamicis, neque toto oriente in auxilium vocato; ſed poſt deterſum ulcus, filamentis ſiccis impoſitis, & vinctura affabre ab extremo majorique pedis digito uſque ad genu totum crus circumambiente, aut Ægro (quod melius, imo tutum) in plano horizontali compoſito, mediiſque, quaſi dixero, plumaceis affecto crure aliquatenus ſublevato, ut tollatur deſcendentium lympharum gravitas, exſiccatiſque lateralibus plagæ fibris natura (audite artis Tyrones) non multiplex unguentorum aptatio (6), natura, inquam, agat, quod Deo dante ſemper egit, & quod agere nata eſt. Quo ſane lumine ductus Magnus olim Vir Joannes Maria Lanciſius in Epiſtola ad Flaminium Pinelli miſſa, & in actis Literatorum Italiæ Tomo 36. relata, opus meditabatur, ſic inſcribendum: *De non curandis humani corporis ægritudinibus*. Sin vero plaga aut antiqua, aut in me-

(1) Et præcipue ab iis, quæ ſcripſit Jo. Langius, qui zonam lethalem ex ulcere cruris intempeſtive conſolidato ſubortam annotavit. Vide Hoffmannum de pruriginoſis affectibus pag. 106.

(2) In Hiſtoriis Apoplecticorum pag. 12.

(3) De Noviſſ. obſervatis Abſceſſib. cap. XXX.

(4) Videantur Ephemerides Germaniæ Volum. IV. pag. 488. referente Joan. Philippo Burgrafio Hiſtoriam *inſultus apoplectici ab antiquis tibiarum ulceribus exſiccatis*.

(5) Inter quæ Ettmullerus Tom. I. pag. 884. ſummopere laudat *metallica abſorbentia, ſine morſu exſiccantia, præcipue ex vitriolo Martis &c.*

(6) Quæ exhalationem, & tranſpirationem vitioſorum vaporum, & halituum impediunt; ut conſtat exemplo Magnetis, qui, ſi oleo erit oblinitus, effluviis ſuis uncinatis, ut cum doctiſſimo P. Lana loquar, ferrum penetrare non poteſt.

lancholico , ſcorbutico , podagroſo , & cacochymo corpore ad cachexiam diſpoſito , atque catameniorum hæmorrhoidumque , vel cujuslibet alterius evacuationis fontes ſiccati fuerint , vel aliquod aliud magni momenti ſymptoma Ægrum cruciet ; tunc, quæ numero anteriori diximus , quæque Severinus confirmavit , nobis occurrunt recanenda .

III.

De phthiſeos contagio , & propagatione .

90. INter ſummas Medicæ artis difficultates non ultimum locum meretur judicium ferendum , num a phthiſico , tabidoque Ægroto domeſtici , conſanguinei , familiares labem aliquam contrahere poſſint ; hocque non ſolum ob enorme damnum , vita piandum , quod in proximum graſſari poteſt, verumetiam ob mille timores , imprecationes , & dubia (1) , quæ in praxi occurrunt . Tacendo enim , adſtantes , ipſaque domus inficitur ; loquendo , violentiſſima animi pathemata , ne dicam deſperationes , in Ægris excitamus , deque tot viciſſitudinibus rationes a ſolo Medico poſtulantur . Fateor tamen hac in re , me multoties hæſiſſe , Auctoribus quantum ſat lucis nobis non fœnerantibus . Audivi olim Patavinos Profeſſores parum , aut nihil timentes . Video Riverium (2) , Morton (3) , & Ettmullerum (4) , *ſi phthiſicus anhelat ſanum* , morbi propagationem minitantes . Re tamen perpenſa , non tantum nobis ipſi ſumimus , ut quid agendum pronunciemus ; ſed qua via a nobis itur , ut Brixianis ingeniis connitentibus , ſub hoc cœlo therapœa ſemper magis illuſtretur .

Neque vero in omni gradu , in omni phthiſi metuendum contagium eſt , puta ab atrophia , ab inanitione , ab hæmorrhagia , a ſero impuro fœtido in pericardio (4) ſtagnante , a concrementis calculoſis tartareis (5) , ceteriſque remotis cauſis , & morboſis ſymptomatibus , quæ docte deſcripſit magnus Morton ; multoque minus formidanda infectio a liquidorum omnium dialyſi , a phthiſi ſympathica (6) ; neque a crudis adhuc exiſtentibus tuberculis ; aut ſcirrhoſis (7) , ſteatomatum inſtar ;

aut

(1) Quæ tamen frequenter accidunt in illis morbis , qui , ut olim ait Vincentius Calzavelia Medicus Brixianus de theriacæ abuſu : *ſignis veluti ancipitibus internoſcuntur* .

(2) Praxi Lib. XVII. cent. 1.

(3) De cauſis phthiſeos Pulmonaris pag. 27.

(4) In Collegio Practico pag. 363.

(5) Vide Blancardum in Anat. Pract. pag. 189.

(6) Vide Harderum Anat. Pract. ob. 341.

(7) Bellinus de Morbis pectoris pag. 591.

(1) Quas Harderus ob. 46. nominat .

aut a pulmonum alis conterminæ pleuræ (1) adnatis : quibus quidem caſibus , potiſſimum ſi habitualis febris accedat , laudanda quidem diligentia eſt , ne adoleſcentuli , & præcipue ejuſdem ſanguinis , & cognationis, accedant , niſi prius adapertæ ſint feneſtræ , & cubiculum eventiletur . Sed tunc maxime pertimeſcendum , quando phthiſeos originalis hæreditaria eſt ; quando a ſanguinis præcipue ſpumantis (2) ſputo incœpit ; quando vere pulmonaris ſcrophuloſa , aut ſcorbutica eſt ; quando denique ulcera , aut tubercula reſpirantis organi ſubſtantiam lædunt , vitiant , & depaſcuntur , cum purulentæ ſaniei expurgatione , maraſmuſque in Ægro jam ad id diſpoſito eſt præ foribus. Præter enim viroſa effluvia , & halitus , quæ a corruptis ſputaminibus exhalari poſſunt , quis non videt , perenni ægrotantis expiratione , a centralibus affecti viſceris partibus prodeunte , admodum infici poſſe aerem illum qui in cubiculo , fortaſſe parvo , & clauſo , expatiatur ; unde a ſano poſtea abſorptus , & inſpiratus , tenuiſſimas pulmonum fibellas , & veſiculas lædere , vellicare , & diverſo modo modificare poteſt , & fatalia ſemina ſerere. Ob id cum præter proximi juvandi meritum , Medicinæ primarius finis ſit , ſalutem conſervare ; caute agendum , ſani admonendi , & præſervandi , & eo magis , quia Ægер fere ſemper conclamatus eſt , parvoſque , & ipſe fateor , vidi reſtitutos. Quo caſu ſatius eſt , Ægro probabiliter morituro ſenes , aut aniculas capulares adſiſtere , & miniſtrari , atque ad ipſarum etiam præſervationem , ignes accendere , & effumationes inſtituere (3) .

IV.

De aliquibus phthiſeos remediis .

91. HIppocrates Anglus (4), Coo (5) tamen , & Plinio (6) præeuntibus , docet , ut tabidi , phthiſicique rheda , aut equo vectore peragrent , majoreſque utilitates promittit hoc reme-

(1) Vide Fridericum Hoffmannum Decade II. diſſert. X. pag. 266.

(2) Ait Hippocrates : *Quicumque ſpumantem ſanguinem extuſſiunt , iis ex pectore educitur .*

(3) Ut de Hippocrate aſſerit Nicomedes , Julio Mart. Rota Interprete : *Quo circa ſummis laudibus proſequor admirandum Hippocratem , qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repulit , quam aerem &c. Præcepit itaque , ut per totam civitatem ignis accenderetur , & bene olentes coronas , & flores haberet &c.*

(4) In diſſert. Epiſtolari pag. 379.

(5) De Glandulis pag. 486. ait : *Exercitatio corpus corroborat , validumque reddit .*

(6) Lib. XXIV. cap. 6. *Conſtat* , inquit , *illam cœli aera plus ita , quam navigationem Ægyptiam proficere , pluſquam lactis herbidos per montium æſtiva potus .*

remedii genere, quam ſint, quas efficit *mercurius in lue venerea*, & *cortex peruvianus* in intermittentibus. Pace tamen tanti Viri, tot miracula ego Tyronibus, Ægriſque ſuæ fidei concreditis non promitto. Admitto equidem & aerem ſemper puriorem (præcipue ſi ſiccus erit, ut frequenter evenit in Tabiis inter *Surrentum*, & *Neapolim* poſitis), qui eunti occurrit, poſſe internam pulmonum concamerationem purgare, & effœtas fibras erigere; poſſe nitroſas ejuſdem aeris particulas purulentam amurcam læſis partibus adhærentem ſolvere, nec ſine levamine: ſed quando hæc executioni mandanda ſint, *non in levioribus tantum malis*, ſed *in crebra tuſſi*, *& macie ſtipatis*, vereor, ne motus, & corporis quaſſatio liquidorum etiam internum motum adaugeat; ideoque vel dialyſis augeatur, vel novæ metaſtaſes pectus impetant, febris incrementum ſumat, atque ex ſucceſſive compreſſis hac illac ſolidis, ſpiritus animales cum majori ægrotantis debilitate exprimantur, & lipothymiæ in promptu ſint (1).

Conſiderandum potius in praxi ejuſdem auctoris monitum (2) circa uſum laudani, quod ſolitarium adhibendum eſt, ne paregorica vis ab aliis remediis perturbetur.

Vomitoria vero ab Hartmanno (3), & Bartholetto (4) poſita, ſuſpecta ſunt. Proſper Martianus (5) purgationem, & venæ ſectionem, quæ Hippocrati (6), & Galeno (7) interdum placuit, prohibet. Ettmullerus ſaccharata, & mellita (8) damnat. Cnoæffelius (9) rotulas admirabiles proponit. Michaelis tincturam ex ſaccharo ſaturni part. i. vitriol. martis part. ii. & ſpiritu vini rectificato paratam laudat. Bonettus ſuffitus odoramentoſos, de quibus jam num. 77. pag. 122. aliquid innuimus, docente Aetio (10). Denique Marius Marci (11) phlegma vitrioli roridum. Boyle (12) cum Dioſcoride, & Poterius (13) ſulphur, & ab eo parata (14). Mynſicht ſaturnina. Garanzier (15), & Alphonſus Ferreus (16) lignorum, & vegetabilium

(1) Juxta illud Sennerti: *Ægro vero mortem accelerant*.

(2) Sydenhamii ſcilicet, in diſſertatione Epiſtolari pag. 483.

(3) In praxi Chimiatr. cap. 99.

(4) Tractatu de difficili reſpiratione.

(5) In Hippocratem ſec. 4.

(6) Epidemiorum.

(7) Epid. Comm. III. Tex. 2.

(8) In Collegio Practico.

(9) In M. A. N. C. anno. VI. App. pag. 81. ex ſulphure ℥. iii. ſtib. diaph. ℥. i. maſtich. ſuccin. albiſſ. ãa. ℥. ii. croc. orient. ℈. i. ſpet. diatr. frigid. ℥. ß. ſaccharo albiſſ. ℥. vi. irrorat. ol. deſtill. aniſ. gut. vii.

(10) Tetrab. IV. Serm. 4. cap. 113.

(11) In Philoſophia Veteri pag. 550.

(12) In Philoſoph. Experimentali Par. 2. Sec. 1.

(13) In Centuria tertia.

(14) Et præcipue lac ſulphuris. Vide Crollium in Baſilica Chymica.

(15) Tractatu de Tabe Anglica.

(16) Lib. II. de Ligno Sancto.

lium decocta (1) (2). Moebius naſturtium indicum cum conſerva roſarum ſumptum. Velſchius (3) pulverem fungorum ſalicis, & ulmariam, ob vim traumaticam. Dolæus (4) balſamum peruvianum. Sennertus (5) ſuccum caulium. Avicenna (6) conſervam roſarum. Valeſcus de Taranta (7) electuarium. Montanus, ſaccharum roſatum. Wilhelmius Bernhardus Nebelius, præcipue in atrophia (8), pulverem hederæ arboreæ. Tota denique Medicorum cohors, nullo ævo excepto, lac (9), tamquam palmarium remedium, præſcribunt.

HISTORIA XXXI.

TUMOR IN MAMMA.

EPISTOLA

FRANCISCO RONCALLO

Medico Celeberrimo

JOANNES BAPTISTA PASTORINUS

F. P.

92. *TUæ conſcius benignitatis veniam non deſpero, Sapientiſſime Vir, ſi hactenus eruditiſſimæ tuæ epiſtolæ reſponſionem diſtuli. Prius etenim mihi animus fuit, executioni mandare remedia a te prudenti conſilio deſcripta, ut eorumdem effectus nobis innoteſceret, pro ſolidiori morbi contumacis indicatione. Quapropter*

(1) Vide decoctum anthiphtiſicum in Pharmacopœa Schroederi pag. 735.

(2) Ex radice chinæ, ſaſſafras, liquiritia, hyſſopo, ſatureja, tymbra, pſora, glycyrrhiza, lagopo, ſiliquis, ſtoechade, guajaco, ut videre eſt in Morton in exercitatione Medicinali IV., Martini Liſter, & in Franciſco Arcæo lib. de Vvlneribus, Thoma Eraſto in Conſiliis a Scholtio collectis. Nec non ex vegetabilibus præcipue ſanicula, pede leonis, pyrola, quinquefolio, veronica, bugloſſa, prunella, conſolida majori, papavere rheados, hedera terreſtri, bardana, pulmonaria, maculoſa, vincapervinca, cherefolio, plantagine, equiſeto, tormentilla, ſcordeon, botryos.

(3) Mictimon. Cent. II. obſerv. 60.

(4) In Encyclopædia Medica de phthiſi.

(5) Practicæ lib. II. P. II. cap. 12.

(6) Lib. III. Fen. X. Tract. V. cap. 6., qui refert, mulierem quandam phthiſicam, & morti deſtinatam, conſerva roſarum ita curatam fuiſſe, ut non ſolum ſana, ſed & pinguis videretur. Vide Meſuem cap. de Phthiſ. Valeriolam lib. V. obſ. 5. Cratonem in Conſil. M. Foreſtum lib. 16.

(7) Qui a Daniele Sennerto Pract. lib. II. P. II. deſcribitur.

(8) In Actis Phyſico-Med. German. Vol. V. Obſerv. CXV. pag. 400.

(9) Lacteæ diætæ methodum graphice deſcribit Franciſcus Redi in ſuis Conſultation. T. VI. pag. 121. Et etiam in Epiſtolis T. IV. pag. 59. ubi in phthiſicis lac ovillum laudat.

pter ſymbolum meum, ſi addere liceat, ego quoque cenſeo, quod hactenus nihil cancroſi deliteſcat in morbo meritiſſimæ Monialis, non tamen extra dubitationis aleam, quod progreſſu temporis funeſtam tranſmigrationem ſuſcipere nequeat, niſi opportunis auxiliis ſedulo occurratur. Etenim ex rorida Virginis conſtitutione tam favorabilis conjectura, ut tibi licuit aſſerere, mihi eruenda non eſt, quod atrabilare ſcilicet virus nequeat deliteſcere, in contrarium dictantibus tot celeberrimorum Auctorum obſervationibus, ut mihi quoque ſpecialiter, anno elapſo, obſervare licuit in alia Nobili Veſtali optimæ conſtitutionis, occultum cancrum in centro ſiniſtræ mammillæ, qui duobus abhinc menſibus, non citra ingens ſanguinis, ſalutiſque diſpendium, manifeſtum ſe reddidit; & mihi ſane in prædicta D. dubitandi occurrit occaſio ex ipſius relatione de infauſto eventu. Virginalis etenim pudor frequentem prohibebat indaginem, quanquam ſedulo conquereretur de dolorum intenſione, modo urentium, nunc lancinantium, cito pulſantium, tali, ac tanta præcordiorum anguſtia, ſpirandique difficultate, ut recumbens in lecto, ſurgere cogeretur, ob ſuffocationis metum, accedente pariter, ut aſſerebat, partis livore, majorique renitentia, atque progreſſu. In hunc finem acceſſit D. Retia pro deliberatione de tanta morbi ſuppoſita atrocitate; ſiquidem detrimentum potius ex inchoata curatione promulgabat; factaque oculari obſervatione, (Diſcamus invicem, Amice mi dilectiſſime, mulierum querelis præſtare credulitatem), non tantum livor nullus obſervandus apparuit, ſed potius tumoris mollities, ac imminutio. Itaque ſe habet in præſenti ex expleta purgatione, licet adhuc conqueratur de doloribus per intervalla recrudeſcentibus, quam proximo accedente autumno, reiterandam opportunam fore cenſeo, non neglecto interim abſorbentium uſu, ut ocul. cancr. matr. perl. ebor. ſpermat. cet. in decoct. theè, vel ſtellariæ: mihique perſuaſum habeo, reſcripta lachrymabili concepta prognoſi, rebellem morbum vindicandum fore temporis progreſſu, dummodo de ipſius ſalute ſollicita ſit prædicta D. Patiens, cui, tibi, necnon celeberrimo Viro, Dominoque meo Coldño Patri tuo, Neſtoreos annos a ſuperis enixo corde deprecor.

Dab. Leuci 4. Julii 1721.

AU-

AUCTORIS RESPONSUM.

Erudito Viro

JOANNI BAPTISTÆ PASTORINO

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

93. AB eruditiſſima tua epiſtola non minus, quam a prolixa conſultatione Chirurgi Jacobi Retia, coniicere licuit morboſum ſtatum, quo meritiſſima Virgo in præſens torquetur. Quando tamen philoſophica libertate, qua uti ſoleo, procedendum permittas, libere dicam, a Chirurgi adeo famigerati opinione me diſſonum confiteri; cum in præſens omni modo abſit ſuſpitio ſcirrhoſæ, aut canceroſæ coaleſcentiæ. Quandoquidem, ſi bene recordor, in perſonali viſitatione aliquantulum admirari coactus fui, quod in rorida adeo Virginis conſtitutione, perfectam præſeferente liquidorum indolem, atrabilare virus culparetur. Ne tamen apparenti temperamento, & meo illectus deſiderio, aliquid de morbi identitate ſupereſſet dubitandum, quia non ſum neſcius eorum, quæ ſcripſit Brixianus Auctor Hieronymus Ochi (1), reliqua ſymptomata ad examen reducere opportunum duxi. Dixit itaque Patiens, nullam unquam in mamma affecta perſenſiſſe tumoris, aut coloris ſenſationem, niſi quod anno elapſo violenta facta fuerit a thermoclinio compreſſio, & inde producta tumoroſitas in centro ipſius mammillæ, quæ ad menſes ſpreta (quia accidentalibus, nec adeo violentis doloribus ſtipata), tandem ulceroſam etiam ab extra impetiginem produxit. Quæ tamen omnia in præcedenti meo per Leuci Territorium itinere, & tu Vir celeberrime dignatus fuiſti aperire. Peracta inſuper oculari inſpectione, atque per momentum manibus diverſo modo (ulteriorem enim indaginem virginalis pudor prohibuit) contrectata ſubſtantia mammillari, nullam reperi gummoſitatem, aut nodum intercoſtalibus muſculis radicatum, de quo D. Retia ſermonem habet; ſed tantum in centro mammillæ apparuit tumor, nucis juglandis magnitudinem adæquans, qui, quamvis ſuperſtans glandularum mollities lumen præpediret, tamen pro benigno fuit

(1) Tractatu de Febribus. Lib. de Humoribus pag. 193. ubi ait: *Mulieres* ſunt *uteri*, & *mammarum cancro ſubjectæ*.

habitus, non fuſcus, niger, terreus, aut obſcurus (1), nec adhuc petroſa coalitus duritie, vel inæquali prominentia circumdatus. Illud inſuper obſervatu dignum, quod ulceroſa exanthemata, quibus affecta mamma ſuperficialiter variegatur, feliciter ad perfectam cicatricem perducta ſint, quod admodum difficile crediderim, ſi in ſubjecta parte atrabilare fermentum deliteſceret. Quis etenim negaret, corroſivum ſuccum, qui mediis ſurculis ſanguiferis, aut lymphaticis, vitioſe ob exeſionem dehiſcentibus, ex mammæ peripheria tranſudat, naturam profundæ ſtaſis non ſapere; & ſi ſapit, quomodo per tot vices perfectam cicatricem eſſet nactus, ſi cancroſam indolem redoleret? His profecto favorabilis accedit conjectura, culpanda etiam eſſe animi pathemata, & menſtruorum defectum, quod præter tua monita, ex eo abunde colligitur, quia circa pectus nullæ ſerpunt varices, quibus alioquin carcinomatoſi tumores nutriuntur. Conſonum ideo rationi crediderim, validam thermoclinii compreſſionem lymphaticæ diramationis tubulos dilaceraſſe; quapropter in glandula forſan magna, & ſpongioſa elutriatis acidis, & aquoſis ichoribus, lenta potius durities (Priſci *frigidam* dicerent), quam ſuppuratorius tumor emerſerit. Quod tamen aliquando, etiam abſque cauſa violenta externa, evenit, potiſſimum in noſtræ Patientis ætate, ubi pruriens ſanguis, & exlex in determinatis evacuationibus ichores acido-ſeroſos in mammis deponit. Cumque, attenta molli, & flaccida conſtitutione multiplicibus integrata glandulis, perfecta non abſolvatur arietatio, hoc eſt, contranitentia canalium cum fluidis circulantibus; hinc eſt, quod partes acido-craſſæ una coeunt, ſubtilioribus evaporatis, nec ultra progredientibus. Nec obſtat contumax morboſi affectus continuatio; cum vaga febris, & aliorum ſymptomatum recrudeſcentia medica auxilia per annum integrum poſtulaverint. Morbus itaque ut cedat, & lacrymabilem tranſmigrationem, quam Deus avertat, non ſuſcipiat, expiatis primis viis, & bis, quatenus opus ſit miſſo (2) ſanguine, laudarem per quadraginta dies ſerum lactis aſinini, corticibus tamariſci, & floribus bellidis majoris alteratum. Favente vero Cœlo, admodum eſſe poſ-

ſent

(1) Hæc autem ſunt ſigna *apoſtematum melancholicorum*, ut Nicolaus Maſſa in Tom. II. Epiſt. XIV. *ad Dominum Joannem de Ulmo Nobilem Brixienſem Medicum, & tumore in labio, & in pede laborantem*, tranſmiſſa, clare oſtendit.

(2) Ballonius Lib. I. Epid. pag. 57. exemplum profert Abbatiſſæ, mammarum ſcirrho laborantis, *cui ſub nimio menſtruorum fluxu mammæ detumuerunt, & malum miteſcere viſum eſt, ſuppreſſis autem menſibus denuo increvit*.

ſent utiles aquæ Coldonenſes, quarum potu & viſcidi, acidique lentores, qui in mamma ſtaſes minantur, & acerrimi ſales, qui in ſanguine luxuriant, e voto ſolverentur.

OBSERVATIO
IN TUMORES MAMMARUM:

94. NOn ſolum in Medicina, ſed etiam in Chirurgia multa latent, licet oculis, & tactu procedatur. In ſupradicta enim muliere, quia mammoſa, centralis concretio tam a communibus integumentis, & a ſuperficie diſtabat, ut prementium carnoſæ digitorum ſummitates, ob ſana, molliaque ſuperſtantia glandularum ſtrata, ægre poſſent internam duritiem perſentire, & de illa ſententiam proferre; ideo quaſi dixero, ut in Medicina, conjecturis, & rationibus de occulto morbo fuit diſſerendum; ut vera tamen fatear, cum Tagaultio, qualeſcumque fuerint glanduloſæ congeſtiones, ex ſanguinis fœce, quæ in Virginibus, & præcipue in clauſtralibus emergunt in mammis, & ſub axillis, licet Sennertus (1) dixerit, *præſertim ſi ſit in mammis cancer, diu ſine inſigni incommodo vivere poſſunt*, attamen ſemper exiſtimandæ, præcipue ſi Patientes ſint ſuppreſſæ (2) (3) (4), ſi plumbei coloris, ſi hypochondriacæ, uno verbo, ſi ad melancholiam hyſtericam pronæ; quia tandem, ut ait Cornelius Celſus (5), multoties in ſtrumoſos (6), & carcinomatoſos tumores abeunt (7) (8).

(1) Practicæ lib. IV. Par. III. ſect. 1. pag. 753.

(2) Vide Acta Medica Haffn. Vol. II. pag. 195.

(3) *Vitioſi humores, qui per uterum cum ſanguine menſtruo evacuari ſolent, ad mammas regurgitant.* Sennertus ibidem.

(4) Ideo cum Galeno ſanguis mittendus.

(5) Lib. V. cap. 28. *Id vitium fit maxime in ſuperioribus partibus circa faciem, mammas &c.*

(6) Quod frequens eſſe poſſe putat Braſavolus Comment. ad aphor. 26. lib. 7. Hippocratis, non ſolum in mulieribus, ſed etiam in viris, qui quandoque etiam nimis aucta mammarum magnitudine, ſecans ferrum poſcente, laborant.

(7) Horum curatio eradicativa nunquam tentanda, ſed ſemper palliative tractanda, remediis pag. 142. jam expoſitis: quibus addi poſſunt oleum ranarum viridium per deſcenſum paratum, cancri vivi contuſi, ejuſdemque cineres, cum aqua cardui B. mixti: agrimonia, perſicaria contuſæ, & parti affectæ aptatæ, mumia, lithargyrium &c.

(8) Vide Paulum Aeginetam de Re Medica Lib. VI.

HISTORIA XXXII.

CANCER IN UTERO.

95. PErennis defluxus per vaginam multiformium ichorosi-tatum, nunc scilicet puri cruoris, nunc viscidiusculæ, & filamentosæ lymphæ, nunc sanguinolenti seri, instar loturæ carnium, cum lancinantibus doloribus per intervalla recurrentibus, in sterili muliere, temperamenti calidi, & humidi, habitus melancholici, & coloris subobscuri, cum lenta febri, & aucta, post cibum, vomituritione, sunt indubia canceroſi tumoris, quem Arabes *Sartan* dicunt, adaperti, atque exulcerati, & dysepulotici testimonia, ipsumque ab atrabilari sanguinis dyscrasia non minus, quam ex virulenta siphylide, ex polluto olim conjuge, pendere. Cum id ulterius suadeant, & probent luxuriantes carunculæ in internis vaginæ parietibus adnatæ, quæ magnam demonstrant circumstantium partium laxitatem; unde coniiciendum est, ex facili, & labenti expurgatione, organicum morbum ad uteri osculum hærere, ibique circulantem sanguinem ulterius inficere, nervosas propagines in explosivum actum extendere, & teretia ligamenta convellere, & præcipue ea, quæ ossi sacro connectuntur: & ecce coxæ, cruriſque dolor, quo multis abhinc diebus Patiens divexatur. Itaque si hujusce genii labes in liquidis, & organicum vitium in solidis latet, ut jam nimis elucet, quales, quæso, indicationes elici possunt, nisi illæ, quæ, magno docente Hippocrate, non curativæ, sed palliativæ curationi satisfaciunt? primas vias scilicet delicate leniendo (1), salinos liquidorum cuspides hebetando, acida absorbendo, stomachum roborando, balsamicas, & homogeneas particulas in sanguine augendo, & uterinæ compagi, & interjacentibus vasorum coordinationibus, universalibus, & peculiaribus remediis, succurrendo.

Vitatis ergo Agyrtarum circumforaneorum, salutem certo spondentium, consiliis, quæ morbum, & crumenam vexare potius poterunt, vitatis hydragogis insuper, & medicaminibus validis cujuscumque generis; ptisana Riverii, epithymo, polipodio, diabugloſſo, vel pilulis de lapide lazuli, sollicitatis quandoque leviter primis viis, transitus faciendus erit ad usum magnesiæ

(1) *Purga corpus competenti purgatione*. Carolus Oslevvius in Epist. ad Laurentium Scholzium lib. III.

gneſiæ albæ quotidie in matutino hauſtu, aquæ ex pomis dulcibus deſtillatæ; cui eodemque vehiculo ſuccedere poterit ſalſaperilla, & ſcrophularia, magiſterium ocul. canc. in ſubtiliſſimum pulverem redacta, ſed ad multum tempus in quantitate ſemidrachmæ; non omiſſis emulſionibus in aqua perſicariæ ex ſeminibus frigidis, raſuris eboris, cornucervi, & præcipue ſaturninis, & magneſia alba, quæ palmam ceteris omnibus remediis præripiunt. Per totam inſuper hyemem uti poterit ferculo Saxoniæ in juribus domeſticis, aut familiaribus pulmentis. Quoad partem affectam, utiles erunt injectiones, medio metrenchite, projectæ ex aqua *latrabili* (1), malvarum, plantaginis, menthæ ſaracenicæ, nepetæ, perſicariæ, agrimoniæ, & pomorum putridorum, aut ex ſucco marrubii, linariæ, thapſi barbati, buglossi, portulacæ, ſcabioſæ, rumicis (2), euphragiæ, urticæ, virgæ aureæ, ſolani, ſemper vīvi majoris, verbaſci, ſonchi, mixtis (3) cum pulvere aron, pompholige, & plumbo uſto, & etiam liquefacto cum mercurio vivo (4), amalgama mercurii dicto.

OBSERVATIONES
IN TUMORES CANCEROSOS.
I.
Ubi de admirabili tumoris ſcirrhoſo-carcinomatoſi amputatione.

96. MAjora de hoc morbo non addam; quia plura numero 23. pag. 40. ubi de ſcirrho, jam diximus. Animadvertere tamen lubet, ea, quæ tunc notavimus, interdum eſſe circumſcribenda, quoad ſententiam noſtram non tangendi tumores ſcirrhoſo-canceroſos, urgente interdum neceſſitate ipſos curandi; ut evenit, dum hæc ſcribo, in muliere fervidæ conſtitutionis, quadragenaria, multoties enixa, ex Clarenſi oppido Brixiam, ut curaretur, advecta, & ab egregio Viro amico noſtro, & territorialis Brixianæ ditionis Syndico irrevocabili, meritiſſimo Comite Joanne Baptiſta Faglia mihi intime commendata; in cujus ſiniſtra inferiori mandibula in ore extra dentes globoſa durities, quam *caratanum Hiſpanicum* Raymun-

(1) Quæ paratur ex cane lacte matris adhuc utente in M. B. deſtillato. Vide Joann. Michael Praxi Clin.

(2) Plinius lib. XX.

(3) Vide Unguentum Oribaſii lib. III., de quo ait: *Id quod maxime uſuvenit in pudendi muliebris ſinu*.

(4) Tulpius.

mundus Jo. Fortis dixiſſet (1), concreverat, malum punicum magnitudine ſua adæquans, rubicundo pelliceo involucro cooperta, ſphærica, tactui ne hilum quidem cedens, ad uſque oris labia perveniens, ipſaque violenter, & ſuperſtantem genam in protuberantem amplitudinem extendens, adeout & monſtruoſum vultum, & fœtentiſſimum halitum efficeret. Cumque tumor annoſam haberet originem, & alias ligamine ablatus, in majorem ſemper molem reproductus redierit, ſummaque duricies ſcirrhoſo-carcinomatoſam indolem præſeferret, anceps hæſitabam, num abſciſſionem iterum executioni mandandam permittere debuiſſem. Verum enimvero duplex ratio aſſenſui noſtro in hoc opere anſam præbuit. Prima nempe, quod tumor in radice gracileſcens, fungorum inſtar, ſicuti Clarenſibus Chirurgis ſectionem medio ligamine permiſerat, ita & nunc profundiorem, magiſque tutam extirpationem admittere poſſet. Secunda ratio innixa ſtetit timori, ne inopinato, aut reſpirationis, aut nutrimenti tranſitus interciperetur. Exiguum ſiquidem ſupererat foramen, ne dicam ſpiraculum, per quod neceſſaria hæc munia exequerentur. Nobis propterea aſſentientibus, experto Chirurgo, & nemini Brixianorum ſecundo Pompejo Mandini opus demandatum eſt, qui tanta dexteritate ſe geſſit, ut bina tantum ſectione globoſa moles feliciter averuncata fuerit, tactis ſubinde, Guidonis documento, actuali igne radicibus (2), ne tam facili negotio poſſent egerminare. Interim vivit lætiſſima mulier, gratiaſque Chirurgiæ agit, una deglutitionem, & pulchritudinem reddenti (3).

II.

De ſigno futuri cancri.

97. RAra res eſt, quam in Commentario III. Joannis Marinelli in libros Hippocratis vidi. Hæc enim habet: *Cum autem cancri futuri ſunt, prius ora amareſcunt, & quidquid ederint, omnia amara eſſe videntur.* Quo ſane lumine Practici vigiles ſint, & quando vident *venarum ſanguifluarum livorem, auctam ætatem*, ſuppreſſas hæmorrhoides, aut catamenia, uterum *contractum*, & durum, dura inguina, vultumque pal-

(1) *Hoc eſt quid medium inter cancrum, & ſcirrhum.* Cent. II. pag. 223.

(2) Cui videtur quadrare illud Hippocratis lib. de Coacis Prænot. n. 2. *Carcinoma, cui in faucibus uſtum eſt, ſanus evaſit a nobis.*

(3) Vide Fr. Arcæum lib. II. de curandis vulneribus methodum exſcindendi radicitus cancros proponentem.

pallidum, tum a Patiente, præcipue ſi a triſtitia, mœrore, animique pathematibus vexato, percontari debent, num oris amaritiem perſentiat; & ſi ſentit, & opportunis e dulcificantium familia remediis (1) ſanguinis dyſcraſiam, ante morbi productionem, temperet; & cum Jo. Baptiſta Raſario exclamet: *Hippocrates Princeps omnium eorum, quorum nomen fama ad nos pertulit.*

Alibi etiam Hippocrates ſcilicet lib. de Internis Affectibus num. 40. hujuſce rei mentionem facit, remediumque adhibendum addit: *Si cancer fiat, os amareſcit; dato autem elaterium bibendum bis, aut ter, ſi non balbus fuerit.*

III.

Utrum alkalia fixa cancrum abſque ferro curare valeant.

98. SCribit Ettmullerus (2) Alliot Archiatrum Ducis Lotharingiæ citra ferrum, & ignem per *alkalia fixa cancros exulceratos curaſſe, & ob id Pariſios uſque fuiſſe accitum*; ſed effectus conſulendi, & videndum, num facta, eaque iterata canant.

IV.

Nonnulla ad cancrum remedia.

99. PRæter remedia, quæ num. 24. propoſuimus, aliqui in hiſce caſibus utuntur radice ſerpentariæ, decocto calcis, emplaſtro Penotti, aut de carne bubula, ſtercore vaccino, geranio Robertiano, ſcilicet primo Dioſcoridis, pullo (3) gallinaceo conciſo, columbo (4), aqua papaveris rhæados, arnogloſſa majori, lapide calaminari, pulvere cammarorum, emplaſtro ex vernice, & medulla crurum vituli, œſipo, ſpermate ceti, oleo momordicæ &c. Videatur David Mauchartus, Georgius Garverus, Fridericus Dillenius, Henricus a Sanden, Derelincurtius, Stalpart, & alii.

HISTO-

(1) Inter quæ mariſcarum apertio, & Balnea aliis præſtant.

(2) In Chirurgia Medica T. II. pag. 1021.

(3) Vide Lazarum Riverium, cap. XII.

(4) *Pullos illa gallinaceos in partes tenues, & latas concidebat, quas ſæpiuſcule commutando interdiu admovebat affectæ parti. Ab unico tandem, eoque præſtanti remedio, reliquis quibuslibet fruſtra, ut diximus, tentatis, curationem recipiens priſtinam valetudinem recuperavit.* Mauritius Cordæus Comment. VII. in lib. Hippocratis de morbis mulierum.

HISTORIA XXXIII.

LUMBAGO.

100. MOrboſa ſymptomata doctiſſime expoſita in Nobil. Adoleſcente decem, & novem annorum, ſanguinei, & quaſi atrabilaris temperamenti, habitus tamen carnoſi, videntur ſedem in ſanguine habere. Dolor etenim, qui duo & ultra abhinc annis circa regionem lumborum, nullis inſtantibus procatharticis cauſis, cœpit invaleſcere, proindeque ad medullæ oblungatæ caudam, os ſacrum, & coccigis diffundi, nonniſi a fibrarum divulſione oriri poteſt, quam ſola interfluentia liquida poſſunt producere; ſique ultro citroque fluant, & refluant, rheumatiſmum; ſi vero ad peculiarem muriaticam ſummeque acidam indolem inclinent, ſcorbuticum affectum conſtituere. Verum licet hæc veroſimilia videantur, morbuſque remediis uſque adhuc adhibitis veluti aliquatenus domitus, lento paſſu procedat, nihilominus, quia non integre, & feliciter ſolvitur, ratio poſtulat, ut ejuſdem cauſæ, & naſcendi modus, curque in illa ætate, in illo loco producatur, ad examen revocentur. Præſertim egregii Patientis fraterno periculo docente, qui ejuſdem texturæ, pariter in ætate decem, & ſeptem annorum lumbaribus recurrentibus doloribus vexatus, proindeque emaciatus, febricitans, lipothymiis, & cordis anguſtiis ſuffocatus, cruribus prius, & veſica ſyderatis, & emortuis, e vita diſceſſit.

Hæreditariæ, & acquiſitæ itaque cauſæ nominandæ primo ſunt. Ex N. Patre olim nephriticis doloribus laborante, ex ſumme acido-ſanguinea temperie ab utero matris contracta, ex ſucto varii generis noxio lacte, demumque ab uberibus nutricis obſcuri, luridi, plumbei coloris, & atrabilaris temperamenti, abſoluto lactationis curriculo, quæ omnia junctis viribus ad acerrimam totius maſſæ ſanguineæ dyſcraſiam conjurare negandum non eſt. Quod pariter dicendum de organica ſolidorum conſtitutione, itaut renalis ataxia, viſcerum, & fibrarum rigiditas, & æſtus in filium corrivata, multiplices deinde pariat morboſæ propagationis effectus.

II. Obſervandum eſt, an genituræ liquor, etiam ſi abſit virulenta ſiphylis, ad diri affectus motum, aut augmentum conſpiret. Ex Anatomicis enim liquet, arterias ſanguinem, tam-

quam

quam materiam, ex qua ſemen generatur, ad teſtes deferentes, ex aortæ trunco diſcedere, & duorum tantummodo digitorum tranſverſalium intervallo ſub renalibus excurrere; venam pariter plerumque, arteriamque ex cava, & renali emulgente ſui lateris enatam eſſe, nervos licet exiles teſtes obtinere, a ſexto pari vago, & primo lumborum pari derivatos; elaboratum vero ſemen ex paraſtatis per vaſa deferentia in veſiculas ſeminarias defluere. Quæ omnia ratione originis, proximitatis, annexionis, ut in contractilibus nervearum appendicum ordinibus contingit, facillime probant, poſſe ab una in alteram partem, ſemperque inter lumborum confinia, morboſa incommoda viciſſim excandeſcere, & reciprocare. Quibus poſitis, dum emenſo, & quidem feliciter, pueritiæ curriculo pubeſcentis adoleſcentiæ vigor commovetur, pari paſſu irrequieti ſpiritus in exploſivos actus perciti, quaquaverſum rapiuntur, & urgent. Quamvis vero de his rationem, & lumen reddere poſſe egregius Patiens videatur, nihilotamenminus tunc dolor, aut abeſt, aut non perſentitur; poſtque, vel nitentibus in axim arteriis, vel extraneis, interniſque vigentibus cauſis, in prædiſpoſitis, vaſorum, & glandularum ordinibus, imæ ſpinali medullæ conterminis, morboſa phænomena peraguntur.

III. Eodem pariter pubertatis tempore in aliquibus melancholica labes animæ lararium aggreditur, animi pathemata, perſentiuntur, fixæ opiniones determinantur, infortunia, & calamitates aut adſunt, aut apparent: denique indeſinenter raptis ſpiritibus animalibus ad intellectualia molimina, chylificationis opus labefactatur, fermenta languent, humorum circuitus non urgetur, atque in ipſis magnorum vaſorum ordinibus ſanguinis motus retardatur, ubi vita producitur. Ideoque cum hic character in nutrice præextiterit, atque ab erudita ſcheda Brixiam tranſmiſſa clariſſimi Adami Profeſſoris Taurinenſis, ubi Nobilis Æger deeſt, exprimatur, ſtatuendum eſt, ad alenda exarata ſymptomata admodum conſpirare.

IV. A majori partium organicarum occaleſcentia, & ſoliditate (hoc in caſu temperamenti aridura, & ſiccitate ætati obſtantibus). Quo magis enim pelliceæ fibrarum, & contractilium canalium productiones a primæva origine diſtant, eo magis ad majorem firmitudinem, rigiditatem, & duritiem inclinant. Quod licet in pluribus robur adaugeat, attamen in caſu noſtro, attentis aliis concauſis, nervoſos ſurculos, aut occa-

ſione violenti motus, & calidi alimenti, aut tranſitus ob irradiationem ſpiritalis laticis, vel extendi, & elongari, vel laxari, & aperiri non poſſe, conjectandum eſt.

V. Qualecumque ſit noxium illud, quod in affecta lumborum regione ſuas vires exerit, ſuſpicari etiam liceret, mechanico, licet occulto, quodam operantis naturæ magiſterio, per emulgentes venas, perque renalia cribra, cum urinario lotio ſecedere; per quæ cum illa tantummodo ſeparari poſſint, quæ ſunt determinatæ magnitudinis, molis, & figuræ; diuretica vero activiora cenſeantur illa, quæ ſale volatili abundant, & in vino lateant tartareæ particulæ, & impura ſulphura, reliquum eſt, ut opinemur, morboſas cauſas hujuſce genii qualitatibus aſſimilari, ut ex Patientis urinæ inſpectione, &, ſi opus fuerit, chymica ſublimatione poterit dignoſci. Etenim ſi hæ dotes abeſſent, urinaque albicans, cruda, & aquea mingeretur, coniici liceret, aut poſſet, ex peculiari renum ſtructura, tartarea ſedimina repelli, & intercedente fermento in renibus ſuccenturiatis exiſtente, ad coagulationem, & ad inteſtinum motum reduci.

VI. Iliaca quandoque, aut colica paſſio lumborum dolorem efficit, aut ſimulat. Verum cum nec imi ventris pathemata, nec excreta admoneant de inteſtinali apparatu, ceſſare videtur occaſio dubitandi.

Hiſce propterea de cauſis optime conſtat ratio non in ſolitaria lympha, eaque ad ſalino-muriaticam indolem evecta, dolorum ſeminium exiſtere; cum ipſamet undequaque circumfluens, & alibi, puta gingivis, utpote laxioribus, & ſimilibus ſuæ activitatis damna infigeret; quinimo probabiliter & ipſa vitiaretur nutritio, quæ adhuc conſiſtit, & quæ ſuadet, hunc morbum diverſo greſſu procedere, & abſolute diſcriminari ab illo, quo Nob. Frater e vivis ſublatus eſt.

Neque ſolum irrequieta ætherea animalis ſpiritus effluvia, aut ſanguinis acerrima ſpicula culpanda ſunt, ſed quandoque partium impetum facientium vappeſcentia, & inertia, liquidorum vero lentor, & viſciditas, quæ in ſalebroſis, compreſſis, & difficilibus tortuoſæ circulationis ambagibus quieſcunt, & vaſorum parietes ad latera premunt. Non enim tantummodo dolorem infert, quod punctim ferit, ſed etiam quod comprimit, quod diſtendit, quodque malam modificationem, & veluti divulſionem in fibris ſuſcitat.

Quæ

Quæ cum ita probabiliter ſint, conjectandum ulterius eſſet, quod licet ex gaſtrica ventriculi aciditate alimentorum ſarcina ſufficienter diſſolvatur, (nullæ etenim de ſtomacho querimoniæ, nulli inteſtinalis tubi, quod ſciamus borborygmi), attamen ubi per meſeraicorum ora nutriens maſſa in ſanguinem devoluta eſt, multas ex ſupradictis cauſis ſubire poteſt difficultates, ratione motus, aſſimilationis, & circuitus. In deſcripto etenim temperamento probabiliter latebunt irrequieta bilis principia, quæ primo occurſu non ſolum laticem nutritium inquinare, verumetiam totam ſanguinis maſſam conſpurcare non deſinunt, æſtuoſa, & ſicca, ne dicam ſuſpenſa, ut verbis Hippocratis utar, viſcerum temperies, quæ alternis arteriarum motibus non reſpondet, imo introfluentibus liquidis calorem adauget: quæ quidem labes, & latici nerveo communicatur. Qualis etenim ſanguis, talis ſpiritus eſt; unde in glandulis corticalibus cerebri ex bilioſo, & acido ſanguine parem laticem nerveum ſublimari neceſſe eſt, qui dein medullæ ſpinalis occurſu in lumbares vertebras derivatus, exarata ſymptomata augere, aut producere potis erit.

Abſit tamen, ut ipſam medullæ ſpinalis ſubſtantiam organico veluti vitio labefactatam, & offenſam autumem. Dolores enim, abſque febri, & cum æquali pulſu per quinque dies integre non quieſcerent, & inferiorum artuum motus, aut ſenſus vitiarentur. Quæ cum non contingant, non de vitio, ſed debilitate; non de facta continui ſolutione, ſed irritamento, punctura, ſtagnatione, rigiditate, aut pareſi, preſſione, impulſu, cum aliquali fibrarum divulſione, remoto obſtaculo tamen redeunte, dubitandum eſt.

Ne igitur melancholici ſucci in atram bilem converſi, difficiliorem reddant curationem, & ne temporum mutationes, aut veris adventus, ut præteritis duobus annis contigit, morbum exaſperent, in id incumbere debebit ars medica, ut æſtuantia viſcera humectentur, ſalina ſpicula diſſolvantur, tardigradi humores ad circuitum, atque ad excretoria diverticula deriventur, partis affectæ dolor miteſcat, & tonica actio reſtituatur.

In hunc finem multa ex Ærario Chirurgico deſumpta, in uſum poſita fuere Brixiæ, & alibi, & præſertim circa ſanguinis miſſionem, multoties jam repetitam, & quæ exulantibus plethora, & doloribus acutis, inflammationi quandoque viam ſternentibus, ulterius non adeo frequenter eſt iteranda. Excepto

tamen caſu, quo bis jam experta hirudo hæmorrhoidalibus venis applicita, aliquam afferat utilitatem, quam afferre deberet, ſi naturæ operantis molimine, & documento, excretoria purgatio per ſedalia vaſa prius enata eſt. Quod ſi adverſus rationem tertia, aut quarta operatio votis non reſponderet, abſtinendum eſſet, juxta mentem divini Senis, per partem affectam non eſſe evacuandum; quia licet ſtagnantium ichorum exitus promoveatur, attamen adaperto emiſſario, a diſſitis etiam totius corporis partibus humores confluunt, & affectam lumborum regionem pervadunt. Cumque per arcta foramina, ex ſubtiliſſimis ſanguiſugæ denticulis inflicta, confluentia ubertim liquida ſecedere, & percolari non poſſint, reliquum eſt, ut retrogrado motu, aut in lymphaticis venis, aut glanduloſis interſtitiis, & poroſitatibus ſubſiſtant, nataque fermentatione, acria, & lenta evadant. Potius itaque acidarum qualitatum ſarcina, muriatici, & bilioſi ichores, aut naturalium etiam liquidorum concurſus, & impetus, dolores & ipſe ad ciendum aptus, poſſet alio diverti, & avocari, medio fonticulo in brachio inflicto. Quod remedii genus aliquibus licet primariis Jatricæ facultatis Luminibus, theorico tantum examine artis dogmata ſuper cathedram deprædicantibus, ſuſpectum, nulliuſque ad juvandum aptitudinis videatur, vel quia humores nutritios ſanos fundat, vel quia debilitatem inferat, vel quia natura ingenium ſeparandi malum a bono non habeat; attamen qui & Auctorum protectione fultus, & quotidianis practicæ Medicinæ experimentis ab Ægrorum lectulis, rationem periculis illuſtrat, rebelles alioquin infirmitates hoc tantum auxilio profligatas videt, & gratulatur.

Itaque ſi alia uſque in præſens optatam opem non attulerunt, ſique in benemultis videmus, aperto fonticulo morbum ſolvi; ſi denique hæmorrhoidalium vaſorum intumeſcentia dari in hoc microcoſmo heterogeneos ſuccos, exitum quæritantes, demonſtrat, cur janua longe a parte affecta non aperietur, per quam tota ſanguinis maſſa deſpumeſcere poſſit?

Lumborum interea regio cucurbitulis, frictionibus, ſuffimentis non eſt irritanda, ſed oſcillans, & elaſtica ſolidorum circumſtantium vis in ſtatu veluti naturali ſervanda, viperino adipe, & unguento malvino ſimul mixtis, & urgentibus doloribus, poterit adhiberi linimentum populeon. De balneis ultra non loquar, cum jam experientia vocem extollat; ſi enim fuere utilia, iterari poterunt. Quando tamen ab illis gracilis rediit,

cau-

caute adminiſtranda : ſemper tamen univerſalia, dum ſemicupium, aut pediluvium ſuſpecta eſſent .

In pharmaceutico fonte irrita fuerunt ventriflua medicamina, lignorum decocta , cinnabarina , antiſcorbutica , chalybeata , ſuccinata , acidularum potus , & ipſum lac (1) ; quare alia pertentanda . Ideoque ſemper vitatis , & abire juſſis purgantibus validioribus , lenienti aliquo expiatis primis viis , declinante hyeme , poterit in uſum poni propoſita aqua lactis B. M. cujus vires , adventante vere , actuandæ ſunt infuſione vegetabilium , ſcilicet hepaticæ , trifolii acetoſi , agrimoniæ , fumariæ , ſonchi , endiviæ , boraginis , millefolii , marrubii , cochleariæ, & ſimilium .

Poſt hæc , perpendendum eſt , quænam ex prædictis cauſis morboſis veluti induat naturam urgentis ſymptomatis . Etenim, ſi ab excretis , hypochondriorum , aut hepatis renixu , aut cogitantis animæ pathematibus , de melancholico conſtet prædominio, ab acido frequenter embammate nocendi activitatem mutuante , confugiendum eſt ad illa , quæ , ſuarum partium ſpecifica activitate , valeant inertes fibrarum elaſticitates erigere . Inter quæ laudandum venit ſtibium diaphoreticum , & arcanum duplicatum exhibitum omni mane in decoctione calami aromatici , veronicæ , ſcordei , abſynthii , & corticum citri , vitato ſemper omni mentis labore , triſtique animi ægritudine .

Sin vero aut ab urinæ , aut a Patientis examine de renali , aut ſpermaticorum canalium ataxia , aliqua effulgebit conjectura, proindeque reſpondentium liquidorum diatheſis dolorum recidivam promoveat , aptandum regioni lumbari ceratum ex torpedine (2) eſt . Intus vero aqua deſtil. ab anguria (3) , cortice mundata , aut emulſionibus extra paroxyſmum ex aqua fragariæ , ononidis , ex amygdalis , ſeminibus frigidis , & oculis cancri fluvialibus , in paroxyſmo , ex papaverinis ipſis , ſi lubet , quando opiata ſuſpecta ſint , ſuccurrendum eſt . Denique a juvantibus , & lædentibus , ab excretis , & retentis deſumpto agendi lumine , patebit iter , & eluceſcet , aut quænam ex ſupradictis

(1) Nec mirandum, quia lac in corpore diverſo modo agit , ut ait Hieronymus Brixianus Saloenſis in Phyſiologia lib. II. pag. 83. *Lac omne coagulum premit , coagulatum diſſolvit in ventre* . Vide ibidem deſcriptionem *de remediis contrarium effectum producentibus* .

(2) *Aſphalax* , quod aliqui *madaniudam* dicunt , ſeu ſanguis talpæ animalis , cum torpedine piſce bullito , & cera id efficiunt .

(3) Quæ admodum poteſt eſſe utilis , ſi verum eſt , quod eadem utantur Ægyptii pro præparanda bile , ut refert Joannes Baptiſta Montanus in Opuſculis variis , curante Hieronymo Donzellino Philoſopho , ac Medico Brixiano celeberrimo , editis pag. 767.

dictis cauſis præpolleat, cuique indicationi ſatisfaciendum ſit, aut novum micabit ſydus, quod Medicas mentes diriget.

Duo tamen ſilentio prætereunda non ſunt; & quidem præcipue: an in temporum mutationibus Æger magis laboret. Tunc enim a vario non minus pondere, quam impetu ventoſi interdum aeris, corpora magis commoventur, & agitantur, præcipue ſi accedat atmoſphæræ vitium, aut ſi inſenſibilis tranſpiratio incaute ſupprimatur. Quæ ſi contingant, præcavendum eſt; levi præmiſſo eccoprotico, mox exhibitis corroborantibus, inter quæ elyxir proprietatis Paracelſi, tinctura eſſentialis abſinthii, decoctio florum paralyſis, tiliæ, folia meliſſæ, radix valerianæ ſylveſtris, ceteris præſtabunt: præcipue circumſtantis aeris viciſſitudines, quantum fieri poteſt, vitando.

II. Multa dicenda eſſent de potu & cibo. Conſuetus aquæ uſus ſummopere laudandus venit, qui quamlibet cauſam domare, & ſolvere potis eſt, dolores & inflammationes præpedire. Quando tamen gaſtrici fermenti enervatio, hypochondriorum borborygmi, viſcerum pareſis formidarentur, poſſet aliquando ſubſtitui cereviſia lupulata, aut pomacea, vel Anglica avena, ſcilicet Hannoverienſis, aquam fontis edulcorare. Quibus, vitatis bradyporis, ſuccedat diætetica methodus ab eruditiſſimo Profeſſore præſcribenda.

OBSERVATIONES
IN LUMBAGINEM.
I.

101. NOn ſum neſcius, a veteri noſtræ facultatis principe, ejuſque commentatoribus (1), lumbaginem ad dorſalem tabem referri, eamque præcipue a genitali ſemine nimis irrequieto, & exeunte, proficiſci; ut ipſe Hippocrates in Satyro Grypalopece (2) vidit, & in *Hollandis*, *tum propter rationem victus*, *tum loci ipſius qualitatem uliginoſam* obſervavit Balduinus Ronſſæus (3).

Sed animadvertendum, lumbaginis nomen lato modo eſſe ſumendum, & ſub eodem comprehendi etiam dolores illos, qui a *copioſiore ſanguine*, ab occluſis, & *exſiccatis meatibus*, nec non

(1) Vide Petrum Salium.
(2) Pepid. Sect. 8. Text. 52.
(3) Epiſt. 32.

non ab humore melancholico, aut catarrheumate, & a prava deſtillatione, quam aliqui *guttam* dicebant, dependent.

II.

In lumbagine miſſio ſanguinis per ſedales venas interdum ſuſpecta.

102. LImitate inſuper Hippocratis adagium intelligendum eſt, ubi ait: *Lumbis dolentibus expectandam evacuationem per hæmorrhoides*; neque ſemper ab eodem documento hirudines mariſcis aptandi indicatio ſumenda: quod ſicuti, ſi morbus a ſanguinis quantitate penderet, utile eſſe poſſet; ita, dominante lympha, aut in exſiccatis poris, & ſolidis eſſet damnandum.

HISTORIA XXXIV.

ISCHIADICUS DOLOR IN OBESA.

103. MOrboſæ affectiones a doctiſſimo Profeſſore exaratæ in egregia Muliere, conſiſtentis ætatis, temperamenti calidi, & humidi, ſummeque plethorici, videntur pendere ab univerſali vaſorum cacochymia. Etenim poſt mariti obitum, pollente animi mœrore, atque inter ſedentarias, & domeſticas curas frequentiſſime igni expoſita, accedente forſan aliquo errore in victus regimine, ſenſimque imminutis catameniis, internæ oblangueſcere cœperunt fermentationes; proindeque acidus lentor emergere, qui non ſolum in ſebaceis, & pinguiferis glandulis, præcipue circa omentum, & corporis ambitum diſſeminatis, corporis plenitudinem molitus eſt, verumetiam cruori, & lymphæ ſemper magis nuptus, circulationis lege ad capitis arcem aſcendit, ibique in corticalibus utriculis hærens, vertiginoſa ſymptomata, cum capitis gravedine, & memoriæ lapſu, iterum enata produxit; proindeque iiſdem vigentibus cauſis, idem lentor ad ſiniſtrum femur perductus, iſchiadicum dolorem ſuſcitavit, nunc & in dextero incipientem. Licet itaque duo videantur morbi, primus ſcilicet in capite, qui ob ſtagnationem, & nervearum productionum compreſſionem, acute ſtatis temporibus periculum minitatur; & alter tantummodo chronice in humiliori parte longitudinem, & ſerotinam victoriam indicans; nihilotamenminus ex eodem fonte ambas

bas ægritudines oriri, ex ſupradictis jam ſatis conſtat; juxta vulgatum illud: *cauſa eſt eadem, ſed locus differentiam facit*. Ob id errare erit difficile in eliciendis indicationibus, quæ ſane eo collimare debebunt, ut deterſis ſaburris ventriculi, inteſtinorum robur firmetur, univerſalis lentor diſſolvatur, infarcta viſcera aperiantur, & capiti ſuccurrendo, inferiores excretoriæ viæ referentur.

Quoniam vero ſanguis peccat in qualitate ob viſciditatem, ut præteritæ ejuſdem miſſiones docuerunt; & in quantitate, ut antiqua imminutio, & ſanguiferorum, ob compreſſionem ab adipe, anguſtia ſuadent, ſic potiſſimum ad ejuſdem motum conciliandum utiliſſimæ ſemper erunt ejuſdem extractiones (1), habito tamen reſpectu ad ætatem, & ad turgentis viſcidiuſculæ lymphæ dominium. Propterea ſicuti menſtruali venæ ſectione, olim nec inutiliter in uſum poſita, abſtinendum putarem, ſic ipſam ſaltem, præſente Majo, ex brachio, & pede eſſe exequendam ſuaderem; iterandam futuro Octobri, ſaltem ex pede, præſertim ſi capite iterum laboraverit.

Univerſalem liquidorum dialyſim, & per conſequens faciliorem excretoriorum canalium occurſum promovere admodum poterit ſal Anglicum amarum, ſuperbibendo aquam tetutii, proinde in uſum ponendo pilulas de ammoniaco Quercetani, alternis diebus, ſecundum Hippocratis documenta, referente Lælio Aureliano: *Iſchiadicis dyſenteriam utilem eſſe*. Ubi vero conſtabit de purgatis ſufficienter viſceribus, tranſitus faciendus erit ad aquam ex radice peoniæ, iva artetica, & antimonio paratam, aut ad betæ (2) ſuccum, aut denique ad arcanum *chamaeactes* S. Cloſſ. (3).

Balnea (4), acidulæ, & luta vitanda erunt; non enim humectandum, neque laxandum eſt, multominus exſiccandum, ſed potius lentæ quiſquiliæ diſſolvendæ, affixa, ſi lubet, cucurbita (5), attenuandæ; liquidorum circuitus, & ipſorum exitus per

(1) *Hæmorrhoides aperire juſſi cum egregio Ægri levamine*. Chriſtianus de Helvvich. obſer. de *Iſchiade*.

(2) *Coniux Polemarchi cum de articulis laboraret, ſubito coxendix doluit: muliebria non deſcendebant. Cum betæ ſuccum potaſſet, vox nocte uſque ad meridiem retenta eſt, poſtea reſipuit, audivit. Hippocrates, lib. II. de* Diæta n. 49.

(3) Eſt ſcilicet oleum ex ſemine ebuli cum *farina amyli incorporatum*, & ad 3. ß. in juſculo exhibitum.

(4) Balnea illa laudantur, in quibus myrmeciæ, hoc eſt, *ova formicæ, & cubile una* bullierint. Quæ maxime etiam membrorum debilitati conveniunt. Poſt quæ, parti affectæ aptanda diſcuſſoria ex apyrano, & pix arida cum ſulphure. Auctor eſt Paulus Aegineta, Lib. III.

(5) *Summum affert auxilium*. Oribaſius Lib. IX.

per ſuperiora (1), aut inferiora emiſſaria producendus. Hoc autem, reluctante præſcriptis remediis morbo, obtineri poterit potu, futura hyeme, vini medicati, proximo autumno præparandi præcipue ex cephalicis ſpecificis, deobſtruentibus, & mite purgantibus, ſcilicet ex cortice rhud., capparis (2), chamædryos, gentiana, ariſtol. rot., agarico, primulaveris, pulegio, centaurea, chamæpyte, rumicis ſylveſtris radice, hiberide, ſeu lepidio ſylveſtri (3).

Sedentariam vitam, & præcipue apud ignem abhorreat. Motui, & præcipue rhedæ indulgeat, & exulantibus, quoad fieri poteſt, mentis operibus, diæta Medicis reſpondeat aphoriſmis.

HISTORIA XXXV.

CLAUDICATIO OB ISCHIADICAM AFFECTIONEM.

104. ISchiadica affectio ab ineunte uſque adoleſcentia in Patiente 25. annorum, temperamenti calidi enata, proindeque per intervalla, præcipue ex catameniorum imminutione, & temporum inæqualitate revireſcens, nativam ab utero debilitatem, & pareſim femoris cum coxendicis ligamentis oſtendit; ideoque nil mirum, ſi dein iiſdem ex laborioſo motu relaxatis, ibique ex dolorifico ſtimulo convulſis, aut divulſis tendinoſarum partium villis, aliqua interfluentium liquidorum quies ſubſecuta ſit; quorum quidem principia, & qualitates quis homogeneas, ſymbolicas prædicaverit, ſi treſdecim abhinc annis poſt malignam febrim integre depilata, & cruſtaceo in capite herpete vexata per quinquennium remanſit? Cum autem nuperis hiſce annis aliquatenus claudicans (4) inceſſerit, & proximo elapſo vere ſiniſtrum crus curtum, breviuſque evaſerit, attenta præcipue ejuſdem macie, & ſubtilitate, atrophiam, & amyon minitante, & docente Hippocrate: *Quibuſcumque a coxendicum*

(1) *Jam vero vomitus quoque coxendicum doloribus magis, quam infernæ evacuationes auxiliantur.* Oribaſius, lib. IX.

(2) Cui Galenus radices *ericæ*, aut *myricæ* ſubſtituit.

(3) Vide Plinium, lib. XXV.

(4) Ut admonet Hippocrates, lib. de Internis affectionibus num 54. *Ex coxendicum morbo multos claudos fieri.*

dolore moleſtatis diuturno excidit coxa , crus tabeſcit , & claudicant : urgent indicationes , ut menſtruationes ſollicitentur , affectæ partis nutritio producatur , relaxata ligamenta roborentur , & tonica proportio , & actio reſtituatur .

Secta itaque ſaphena (1) dexteri pedis , affectæ regioni aptentur remedia a Brixiano olim cive (2) propoſita , aut emplaſtrum ſaponis , vel machærionis viridæ, vel ex lixivio , ceratum barbarum , & diopalmæ ſimul mixtis , emplaſtro amythaonis , aut hiceſia (3) , petroleo , ol. camomellino, myrtino , vulpino (4), lumbricorum , & balauſtiis in pulverem redactis , aut vinum cum melle Hiſpanico , vel noſtrate, quoniam Atticum ab Hippocrate (5) propoſitum, abeſt ; aut denique fiat experimentum ab eodem Hippocrate propoſitum (6) affigendi cucurbitam , aut exulcerationem promovendi, ut olim docuit Chriſtophorus Goetzius (7) ; & quouſque conſtabit de majori ligamentorum robore, baculo , ſaltem domi , procedat , ne corporis moles ſupra affectum femur gravitans, laxitatem confirmet , aut integram luxationem efficiat. A purgantibus , & extorſoriis pharmacis penitus abſtineat, niſi inſtet fœcum inopia , quæ ſuppoſitoriis poterit tolli. Partis etenim macies liquida non exundare , ſed deficere oſtendit. Error , quoad liquida , non eſt in quantitate , ſed in qualitate : ergo non evacuandum , ſed corrigendum , ne ulterius ſoluto ſanguinis craſſamento , roridaque humiditate conſumpta, proclivius flacceſcant fibræ, ad contactum inclinent interni vaſorum parietes , compreſſiones facilitentur , & ſpirituum tranſitus intercipiatur. Per totum igitur Septembrem , præmiſſo ſucco cyrenaico , ſeu ſilphio , quem officinæ , aſam fœtidam dicunt, ad *ervi* magnitudinem , ſumere poterit, præmiſſa catapotia *ex lapide armenico* Aeginetæ, matutinum hauſtum decoctionis ex avena , radice bardanæ, floribus bellidis , roriſmarini , fol. tormentillæ , biſtortæ, tantillo elyxir P. Paracelſi actuatum . OB-

(1) Inverſo etiam modo . Hippocrates lib. VI. ſect. 5. locum ſecandi venam docet ; ait enim : *In fluxionibus ad coxam venas retro aures ſecato*. Quod utrum utilius eſſe poſſit, Practici judicent .

(2) Hieronymus Sachetti Aelianus de Podagricis , & Arthiticis morbis retractatio , cap. XII. de Proviſione , pag. 90. hæc habet : *Quæ vero partes firmant , per quas fiunt fluxiones, eadem fere ſunt , quæ humores utcumque fluentes ſiſtere valeant , ut trociſci , e terra lemnia , e roſis , de ſpodio , e ſuccino , ramich , & ſimilia* .

(3) Vide Galenum , lib. 4.

(4) *Vulpes totæ incoctæ in oleo aniceton , morbos ſanant*. Oribaſius, lib. IX.

(5) De Paſſionibus pag. 363.

(6) Lib. de Locis in homine n. 34.

(7) In Bibliotheca Chirurgica Mangetti, lib. IX. hæc exſtant : *Adoleſcens quidam diu iſchiade laborabat , & cum multis , ac diverſis a variis quoque Medicis præſcriptis uſus fuiſſet remediis, ruſticum medicaſtrum vocavit ad ſui curam , qui aſſeruit , ſalutem ejus ſumi debere ab urtica , ſi ea locus affectus ad rubedinem uſque cæderetur , & vino albo generoſo poſtea ablueretur ; quo peracto ſanatus eſt* .

OBSERVATIO
IN ISCHIADICOS AFFECTUS.

105. COxendice laborantes non tumultuarie eadem ſemper methodo curandi ſunt, ſed antequam oſſa cariem contrahant (1), magno ab Hippocrate (2) via diſcenda eſt. Itaque ſi ab inſolatu morbus pendeat, *fomentatione madefacito, cibaria, pocula, cetera, quæ dantur, tepida, liquida, humidave, decoctaque dato cibo, vino, paneve, & pulte mazave* (3) *atripto, non multumve ſubacta, & molli utitor, vinum album aquoſum potato* (4), *corpore quieſcito*. Si vero morbus bile gignatur, *veratro, & ſcammoniæ* ſucco per inferna purgandum, glande etiam ex thlapſi (5); quibus tamen, ſecundum rationes in diſſertatione de abuſu Purgantium in aere Brixiano a nobis exaratas (6), mitiora ſub hoc cœlo ſubſtituenda ſunt. Porro ſi *pituita langueat, cnidio cocco, vel hypopheo cum foveris potionato*, aut affectæ parti aptanda coſtus (7), garum, & *muria ex piſcibus ſale conditis*: quibus non juvantibus, ad *ferramenta* urentia tranſit. Si vero a ſanguine, cucurbitulam (8) admovet, venaſque poplitum aperit (9) (10) (11).

(1) Quod olim vidit Joannes Fridericus Baverus.

(2) Lib. II. de Paſſionibus pag. 363.

(3) Panem quidem nauticum toſtumque conferre poſſe, non inficior. Sed caſus diſtinguendos putarem. Quandoquidem ſi ab inſolatu, aut quacumque cauſa morbus ſævit in ſicco homine arefactis jam fibris inſtructo, itaut potius de partium aridura dolorificos ſtimulos circa os ſacrum, & per totam coxam producente, dubitandum ſit, a pane bis cocto integre abſtinendum putarem. Quando vero in pleno corpore lymphæ, ſerumque abundat, partemque affectam, ligamenta laxando, luit, tunc exundantia liquida ad inteſtinalem cloacam allici, & combibi poterunt, medio mazæ atriptæ, potiſſimum ſi a mandibulis manſum, & ventriculo acceptum erit hoc edullii genus.

(4) Aſſuetus ſum, Hippocratis oracula venerari. Sed cum millies audiverim Ægrotos ne ſummis quidem labiis tangere poſſe album vinum, quin fluxiones affectas partes impetant, cautos vellem Tyrones in exequendis hoc loco magni Magiſtri mandatis.

(5) Oribaſius, lib. IX. eandem in iſchiadicis proponit.

(6) Brixiæ anno 1740. Typis Marci Vendrameni.

(7) Quem cinnamomum album aliqui appellant, & cui Zedoariam, vel Zinziber Ettmullerus ſubſtituit.

(8) Admodum utilem etiam in affectu pituitoſo. Paulus Aegineta, lib. III. parti affectæ addit hirudines.

(9) Legenda eſt obſervatio C.V. in Actis Germaniæ ab Antonio Michelotto producta; ubi refert caſum cujuſdam virginis, quæ poſt incaſſum adhibita cataplaſmata ex pice, ſulphure, piperitide, ficubuſque, tandem *lactea curatione diutius continuata ex toto* convaluit.

(10) Oribaſius aptat *farinam fabarum cum adipe ſvillo*.

(11) Paulus Aegineta adhibet *per lanas ſuccidas calidas* acetum, nitrum, roriſmarini ſemen, & cyprinum: de quo vide Plinium, lib. XIII. cap. 1. et Celſum, lib. II. cap. ultimo.

HISTORIA XXXVI.

MORBOSA ENDEMICA CONSTITUTIO, QUÆ BRIXIÆ an. 1730. GRASSATA EST.

106. REm dignam Clinico, proximiſque tuis admodum utilem geris, Vir ornatiſſime, cum hic ortum morboſæ viciſſitudinis influxum ſedulo perquiris, quibus ſignis ſe prodiderit, quibuſque remediis debellari patiatur. Mihi tamen licet tua petitio non diſpliceat, cum quandoque alienis periculis diſcere, prudens conſilium ſit; ob imbecillitatem tamen meam neſcio, an tuis votis ſatisfecero, præſertim quia ob Medica negotia ſubſecivæ horæ deſunt, quibus pro re nata ſtudiis hiſce peculiaribus incumbere poſſim. Addamus inſuper, diras, quibus vexati fuimus, ægritudines, protheiformi vultu, implicataque ſignorum ſyndrome, proceſſiſſe; unde ægre etiam poſt fatales eventus, atroſque dies, conjecturæ deduci poſſunt. Popularis prius invaluit opinio, eſſe pleuritides. Etenim ſolummodo primo febris inflammatoriæ inſultu frigus, algorque præibant, dolor pungens ad latus, aut omoplatam verſus, ſæviebat, pulſus durus, tuſſiſque cum ſputo cruento, nunc viridi, nunc flavo, nunc ad atrum inclinante. Veruntamen cum cetera non acceſſiſſent ſigna pleuræ, aut intercoſtalium pectoris muſculorum inflammationem portendentia, & ſuffocans ſtertor in ſecunda, quarta, & ante ſeptimam, plurimos ſuffocaſſet, de pulmoniis ſapienter cogitatum eſt; præſertim quia inæqualis pulſuum vibratio certo oſtendebat, cordis regiam opprimi, in vaſis majoribus encyclicum motum intercipi, ibique a ſtagnante cruore mortem parari, ubi vita producitur. In aliis vero, & præſertim ſenioribus, non ſanguinis, ſed lymphæ tenacioris copia in tenuiſſimis pulmonum lobis quieſcens, culpanda fuit; & licet in aliquibus idem evenit fatum, morbus nihilominus mitioribus ſymptomatibus incedebat, & perſeverabat. Alborum porro liquidorum concretio, nervorum quandoque origini inhærens, apoplexias etiam induxit, nunc fortes, nunc debiles, ſecundum diverſam, aut omnimodam nervorum obſtructionem, aut compreſſionem ad latera. Horum igitur morborum aeris ſiccitatem cauſam primariam fuiſſe patet; tum quia univerſalis cauſa aſſignanda eſt, quando plures regiones,

una

una ſimul vexantur ; tum quia lædendi modus ab aere tantummodo pendere poteſt , quod facillime patebit obſervanti , machinam noſtram pelliceis vaſorum ordinibus , & contractilibus fibrarum villis coagmentatam, a pertinaci circumſtantis aeris ſiccitate , diverſo modo corrugari , & circulantium liquidorum motum proclivius urgeri , aut præpediri ; ex quibus morborum ſtamina pedetentim gliſcere , aut eveſtigio emergere nemo in arte verſatus negabit .

Huic externo prementis atmoſpheræ vitio addamus inſpiratas , interniſque tenuiſſimis pulmonum vaſculis adjunctas , ejuſdem noxii nitri , aut quarumcumque aliarum adventitiarum qualitatum particulas , a quibus fibræ irritantur , convelluntur , contentaque fluida ad inflammatoriam diatheſim diſponuntur , præcipue ſecundum varias idioſyncraſias , hoc eſt, hujus, vel alterius temperamenti diſpoſitiones , ob quas externæ cauſæ aut non lædunt , aut junctis viribus occidunt .

Ne autem ulterius ſileam, quod rei caput eſt, & quod quærere videris , amicorum optime , ſcias neceſſe eſt , purgantia medicamina in uſum male ceſſiſſe , morboſque perſæpe exaſperaſſe. Sola , eaque abundanter repetita, ſanguinis miſſio in primo febris inflammatoriæ ingreſſu optatum ſæpe tulit emolumentum , pectorali immortalis Baglivi decoctioni addito ſpermate ceti , frequenter & calide ſorbillatæ , & aperto mediis veſicantibus in utraque coxa opportuno emiſſario , ut laxatis fibrarum pulmonarium fibris , facilior expuitio produceretur ; ſolutoque a ſale volatili cantharidum ſanguinis lentore, excrementitiæ maſſulæ felicius excernerentur .

Hæc ſunt , quæ in exaratis, jamque favente Deo præteritis ægritudinibus, in uſum revocavimus. Quia vero , acido cohærenti liquidorum genio, quandoque fundens diſſolutio ſuccedit ; ſic in aliquibus , poſt enarrata a coagulo incommoda , obſervare contigit acerrimam liquidorum omnium ſubtilitatem , ita ut cor. c. gelatinis , electuario diaſcor. Fracaſtorei , & laudano opiato , pacanda ſæpe fuerit ſanguinis dyſcraſia . Plura adhuc ſupereſſent dicenda , ſi otium permitteret. Quapropter , oro , parce raptim ſcribenti , meque habe tibi addictiſſimum . Vale .

O B-

OBSERVATIO
IN ENDEMICAS CONSTITUTIONES.

107. QUoniam, ut jam in Præfatione diximus, Medicina per obſervationes perficitur, ita ſummopere optandum eſſet, ut quilibet in propria regione graſſantes interdum epidemias, endemicos ſævientes morbos, aut etiam non endemicos, deſcriberet; quodque juvabit, in vulgus mitteret. Lux enim, quæ affunditur ab Hippocrate, Sydenhamio, Lanciſio, reliquiſque magnis Viris, prodeſt quidem, ſed adamuſſim non quadrat, nec Medicam rem, quantum ſatis, illuſtrat. Græcia, Anglia, Roma diſtant inter ſe, differt cœlum, tellus, aer, aquæ, ſimplicia, ventorum vires; quæ omnia quantum in hominem poſſint, ac valeant, conſulendus Langius (1) eſt. Ergo quid polleat ſuper Brixiam Boreas a ſeptentrionali plaga adveniens, quid inferat horizontale planum nunc lacunoſum, nunc lamis & paludibus conſpurcatum, quid ſolis aſpectus, quid altani, & eteſiæ portendant: uno verbo, quid peculiaria hujus regionis temperamenta ferant, prope Ægrorum lectulum cogitanda ſunt. Et quoniam in exhibitione ſolius purgantis (2) tot, ac tanta examinanda ſunt, ita & in executione ceterorum omnium non quid alibi, ſed quid ſub hoc cœlo evenit, ſciendum eſt; ut de Gallicis endemicis pluviarum, nivium, aeriſque viciſſitudinibus olim loquebatur doctus Vir (3): *Che vada errato grandemente chi pretende di traſportare il calcolo di Parigi alla noſtra Italia*. Quandoquidem ſicuti empirice ſuſpecta eſt, quia ſecundus Ægrotus, ob diverſum morbi genium, par primo non fuit, ideoque perit ſimilitudinis exemplar, & cum ipſo remedii vis; ita quo magis per ſedulos, atque elucubratos hominum conatus, endemiorum morborum ethologia, & praxis illuſtrabitur, tanto magis endemicis pariter, & patriis remediis morbi felicius averruncabuntur. Ait enim Celſus Martinenghus Brixianus, lib. III. de Prævidendis Morborum eventibus: *Nemo tamen vel magno præditus ingenio, innumerabilibuſque præceptis eruditus, ſine frequenti exercitatione abſolutus unquam artifex evadere, quidquamve magna laude dignum conſequi poterit*.

Mo-

(1) In Homine Barometro.

(2) Vide diſſertationem noſtram de uſu Purgantium in aere Brixiano.

(3) Lezione Accademica ſopra l' origine de' Fonti del Sig. Dott. Giuſeppe Avanzini Medico in Firenze, recitata nell' Accademia Fiorentina il dì 17. Maggio 1725. All' Illuſtriſs. Sig. Franceſco Roncalli Medico, e Filoſofo di Breſcia ec. Regeſta in Operibus clariſſimi Valliſnerii, & ab eodem Auctori directa.

Morosi propterea, & a critologia tuti, quia nihil scribunt, ut ait Ramazzinus, non tam facile stomachentur, si vident opera agentia, de quibus jam actum. Quandoquidem & novæ semper inveniuntur detectiones, quæ Medicam Rempublicam ditant, & novis rationibus, atque periculis Medentium mens edocta, cautius, & tutius ægrotos tractabit. Hujusce veritatis testimonium nobis exhibuit non solum olim doctissimus concivis, quando de austri potentia, ac vi in Brixiense solum locutus est (1), sed etiam nuper Paulus Valcarenghi Cremonensis in edita Medicina Rationali (2), a toto Medentium ordine accepta, & commendata, ubi morbosæ plurium annorum endemicæ constitutiones enunciantur, & curativa methodus producitur. Famigeratissimis itaque hominibus viam monstrantibus, ceteri tandem aliquando sciant, quod, præeunte Platone, scripsit clarissimus Vir Julius Pontedera (3); atque discant de sua Patria bene mereri: idque præcipue agant, ut ait Paulus Galeardus Brixianæ Cathedralis Canonicus eruditissimus (4), non ad vanam sciendi ostentationem, sed studio inquirendæ veritatis.

HISTORIA XXXVII.

SPASMODICA VENTRICULI AFFECTIO CUM VOMITU, TUSSI, ET HIPOCHONDRIACIS AFFECTIONIBUS.

108. EXponente, aut, melius dicam, respondente Alexandro Macoppe; quia præcedens morbi Historia deest, Auctor enim in progressu accitus fuit, ideoque tantummodo de eventu, deque sectione cadaveris rationem reddere potest, ut infra post clarissimi Viri consultationem patebit.

CON-

(1) Hieronymus Ochi Medicus Brixiensis de Febribus, lib. de Humoribus pag. 207. hæc habet: *Cum sanguis collectus praviorem a validiori constitutione comparaverit naturam, ut propterea per austri dominatum hujus, vel illius sortis febres perpetuo divagari comperias. Quales extitere, quæ annis* 1648. *&* 49. *per Brixianum solum, aliasque regiones sunt vagatæ, & de quibus peculiarem confecimus tractationem. Sed cum Medicis curæ minime sit, constitutionem aeris austrinam observare, velut que ob tardissimum austri motum latenter nos invadit, atque afficit &c.* Deinde subdit: *excogita quamvis aliam aeris constitutionem, perpende cujusvis alius naturam, proprietatem, & affectus, a nulla unquam venenum in subjectis hominibus generari, a nulla pestem buboniam, ac carbunculosam, quam ab austrina produci unquam posse facile comperies.*

(2) Medicina Rationalis ad Recentiorum mentem observationibus adaucta. Apud Petrum Ricchini.

(3) *Hominem nempe non sibi soli nasci.* In compendio Tabularum Botanicarum pag. 2.

(4) Parere intorno all'antico stato de' Cenomani, ed a' loro confini: pag. 165.

CONSULTATIO
VIRI CLARISSIMI
ALEXANDRI MACOPPE
In Patavino Archigymn. Publ. Prim. Pract. Med. Profess.

109. *SI dolores, uti fere contingit in omni morborum genere, liceat ab eorum sede, ac parte affecta denominari, profecto dolorifica sensatio exorta mense Maii anni antecedentis in Nob. Muliere hypochondriaca, hysterica, melancholica, scorbutica, prout describitur accuratissime a præclarissimo Professore, dici potest dolor hypochondriacus, dum statis horis a prandio, scrobiculum cordis, stomachi, atque hypochondriorum regionem obsidens, levis quidem, ac sponte cedens, sed simul sæpe recurrens, mox in molestam tussim mutatus, copiosæ, ac viscidæ materiæ screatu, diu noxiam; ac demum matutinis etiam horis recrudescens, eructationibus acido-acribus, costarum, sterni, ac totius thoracis angustia, insigni lassitudine, ac macie subsequentibus; ex quorum symptomatum satellitio non inepte diceres, hypochondriacum dolorem in morbum ructuosum Hippocratis quodammodo facessisse. Utcumque tamen res sit de doloris denominatione, haud sine ratione censeri potest, ipsum esse, ac cetera epiphænomena, hypochondriacæ, hystericæ, spasmodicæ affectionis sobolem, sex abhinc annis a Mariti obitu exortæ, mœrore, ac segnitie retardantibus vividum sanguinis, ac liquidi nervei, seu spiritus animalis, motum, quo varius, ac debilius contractis, excitatisque musculosa ventriculi tunica, vasorum, ac canalium omnium oscillationibus, primum se prodit in ipso stomacho apyrexia, & excretorum omnium inopia, atque ob trituratio-*

nis, ac comminutionis nutritii succi defectum, natæ sunt crudi-

tates acidæ glutinosæ, quæ intra musculosam, ac nervosam tunicam impactæ, simulque nervis adjacentium partium infensæ, tristem sensationem quatuor horis a pastu in recensita regione excitant, bihorium sævientem, donec, peracta coctione, exinaniatur stomachus, premente, ac divellente stimulo sensiles fibras. Hinc vigente eadem liquidorum digerendorum inertia, post aliquot menses recurrente dolore, ipsoque acido glutinoso in vasa introducto, sanguinis, ac lymphæ visciditatem, ac crassitiem inducente; quibus intra pulmonaria vasa lentescentibus, tracheales glandulas obsidentibus, atque eolios ductus irritantibus, tussis exorta est, cum copio-

sæ,

ſæ , ac viſcidæ materiæ ſcreatu , ſubinde recrudeſcentibus doloribus , iiſque repetentibus matutinis horis , cum ructuum proventu , thoracis anguſtia , translato glutinoſo acido ab infimo ad medium ventrem , afficiente membranas , ac muſculos cum externos , tum internos , ac potiſſimum diaphragma , ſpaſmodica ſui diſtractione œſophagum coarctante , ac diſtentum ſtomachum comprimente , frequentis eructationis cauſa ; quo in caſu nutritius ſuccus imperfecte ſubactus , ægre recipitur intra fibrarum poros conniventes , aut ab iiſdem coarctatis excluditur , unde ſubrepit univerſalis macies , ac laſſitudo . Hiſce itaque ſuppoſitis , idea reſultat morbi difficilis ſanationis , quatenus ſolidis nerveis infixus apparet minitans ſtaſes , ac congeſtiones removeri neſcias , efficaciſſimis remediis hactenus inſtitutis nulla ope , difficultatem confirmantibus . Quia tamen difficultas non omnino excludit medicaminum omnium uſum , imo artem excitat ad alia , atque alia experienda , inhærendo iiſdem intentionibus , quæ ſunt , acidum peccans ſubigere , glutinoſum attenuare, ſpaſmodicas irritationes ſedare , eutoniam ſtomacho , ſolidiſque nerveis reſtituere , licebit ſequentem methodum inſtituere , incipiendo a ſtomachi diluentibus magis , ac laxantibus , quam irritantibus emeticis , aut catharticis pharmacis , ob ſpaſmodicas ventriculi, œſophagi , ac ſepti tranſverſi conſtrictiones , adeoque primum exhibeatur ſal Anglicum catharticum ab ʒ. i. ad ʒ. x. diſſolutum in jure tenui parvæ pullæ ʒ. x. ſuperbibendo poſt horam ejuſdem juris ℔. v. ſuis interjectis ſpatiis , potuum aquarum thermalium in modum , quod bis repetatur , interpoſito duorum dierum intervallo : quod ſi ventriculus id ægre ferat , dolore potiſſimum recrudeſcente , loco ſalis cathartici , ac juris propoſiti , aſſumatur , juxta mentem Hippocratis , lac aſininum ad heminas , ſcilicet ad ʒ. v. præmiſſis ʒ. iv. vel v. ſyrup. aurei ſoluti , vel ſyrup. de floribus perſicorum , totidem vicibus repetitor.. Hinc tranſitus fiat ad incidentia , & attenuantia , ſed ipſa etiam minimam vim ſtimuli habentia , epiceraſtica , alchalina fixa , lixivioſa , ſaponacea , inter quæ eligatur ſapo chymicus Stalhii a ʒ. ß. ad ϑ. ii. , additis guttis aliquot elyxiris propriet. Paracelſ. ſuperbibendo decoct. theif. in jure pul. fol. agrimon. abſynt. pont. menthæ , ac cortic. citri , in cujus uſu ſi exacerbaretur dolor , addatur ipſi bolo granum unum , vel alterum Æthyopis vegetabilis , quindecim dierum ſpatio repetendum ; quo tempore non reſpondente alvo , exhibeantur immediate ante cœnam pilul. tartar. Bont. a ʒ. i. ad ϑ. iv. cum laudan. nepent. Quercet. g. i. ad g. ii. mox ad diætam chalybeatam confugiendum eſt , ac niſi hyems

obſtaret ad acidularum martialium, cum naturalium, tum artificialium potum, in quibus primum locum obtineret chalybs in ſubſtantia datus, ob acidum abundans, pituitæ copiam, ac laxitatem fibrarum; ſed quia Nobilis Matrona eſſe videtur in fibrarum ordine admodum ſenſibilis, fortaſſe ingeſtum martem, prout in ventriculi fundo, in vitriolum emeticum convertitur, ægre ferens, idcirco utatur magiſter. mart. Mynſ. ℈. i. cum ſucc. abſynt. concret. q. ſ. in forma boli, vel tincturis mart. ſucc. pomor. aut aurant. pp. vel tinctur. mart. tartarizat. a ʒ. i. ad ʒ. i. ß. dilutis aqu. meliſs. naſturt. aquat. flor. chamæmel. cinnamom. hordei q. ſ. ſpatio unius menſis. Tandem corroborantia amara, ſimulque, aut acida, & attenuantia; tinctura nimirum eſſentialis abſynt. a gutt. xx. ad xxx. elyxir amarum ſtomachicum temperatum; a cochlear. i. ad cochl. ii. potu Theè, aut Coufè dilutum. Quam methodum dirigendam, corrigendamque ſubiicit oculatiſſimo judicio præſtantiſſimi Profeſſoris.

OBSERVATIONES

I.

Morbi eventus.

110. NOn ſolum ea, quæ ſuperius Patavinus Profeſſor memoravit, verumetiam multa alia, quæ propoſuere ſapientes Viri Antonius Pluda Medicus ordinarius, & Franciſcus Nicolinus, nobiſcum interdum in conſultationem vocatus, in uſum poſita ſunt; ſed morboſis ſemper magis in dies auctis ſymptomatibus, præcipue circa œſophagum, nunc tranſitum ſolidioris cibi non permittentem; nunc eveſtigio manſa, & deglutita eructantem; nunc in ſpaſmodicam ataxiam convulſum; deinde circa pectoris arcem nunc tuſſi, nunc anhelatione laborantem, nunc ratione primarii muſculi inæquales, exiles, intermittentes pulſuum rythmos efficientem, tandem circa abdomen in magnam amplitudinem extenſum, ſquallida, ſiccata, atropha, ſituriens, conſumpta, ad ſuperos Nob. Ægra migravit.

Sectio

II.

Sectio Cadaveris.

111. DIe decimaquinta Auguſti ann. 1738. hora prima, ſectum fuit cadaver ſupra ſeſſilem murulum in clauſtri S. Barnabæ intercolumnio, a D. Lelio Onori, nobiſcum attente obſervante D. Antonio Pluda, eo quia multoties ob egregiæ Patientis merita, de difficillima ægritudinis diagnoſi, adminiſtrata omnia artis præſidia ſpernente, cum eodem ſermo fuerat inſtitutus.

Primo autem ferri ictu communibus ſectis integumentis, & peritonæo, ex abdomine ſeroſa corrupta colluvies exundavit (1), quæ fluminis inſtar (probabiliter in quantitate quinquaginta librarum) ſolum humectando, tam graveolenti fœtidoque putore nares adſtantium, ipſiuſque Anatomici, percuſſit, ut ab opere, & obſervatione recedentes, ut evaneſceret aura illa virulenta, ſinere ad aliquod tempus debuerint.

Suſcepto iterum opere, extiſque patefactis, repertum eſt omentum non longe a ventriculo infarctum glanduloſis concretionibus, aliquibus in locis avellanas, in aliis amygdalas, quoad magnitudinem ſuam, repræſentantibus, potius albi coloris, & renitentis duritiei, quas Sector ſtrumoſas, ſcyrrhoſas appellavit. Harum nonnullæ majores ileo, duodenoque ita adſtabant, adhærebantque, circumprimendo, & arctando, ut, penitus in axim nitente, & coeunte inteſtinali tubo, alimentorum deſcenſus, & diſtributio, aut omnimode, aut quaſi omnimode intercluderetur.

Circa pylorum etiam, & in interna ſtomachi rugoſa tunica, glanduloſa hæc corpora radicata implantabantur. Quodque magis conſiderandum, ſtrumoſum pariter ſolitarium corpus majoris molis ſuperius ventriculi iter, œſophagum ſcilicet, comprimebat, itaut morboſæ concretionis radices inter tunicas membranoſi canalis adactæ, quovis momento illud convellerent, aut convellere poſſent.

(1) Quo ſane in eventu perbelle verificatum vidi Hippocratis, lib. II. de Morbis: ſectione III. præceptum, ubi ait: *in fluctuoſo venter inflatur, ac durus fit*.

III.

Anatome therapœam illuſtrat , & morbi rationes redduntur .

112. PAtet in præſens , quare tanta morborum caterva nunquam domita fuerit ; cur alimenta liquida facilius admitterentur ; cur vomitiones ſæviebant , & qua de cauſa nutritio defecerit. Licet tamen in hoc caſu Medica ars culpanda non ſit , (agebatur enim de morbo organico interno , quod pharmacis tolli nequit) ; attamen diſcamus alieno periculo , nec fere ſemper in morbis liquida a nativa craſi aberrantia accuſemus ; & quoties de mala ſolidorum proportione , aut vitio probabilis elucet conjectura , mittantur ea , quæ liquida etiam perturbare poſſunt ; quando tamen liquida alio avocata, aut correcta , aut particulis ſolidorum vitium producturis orbata , ſollicitæ magis curationi non conſpirent .

IV.

Caſus duo haud diſſimiles recenſentur .

113. SImilis propemodum caſus refertur in Actis Phyſico-medicis Germaniæ , obſervante Chriſtiano de Helvvich (1) , cujuſdam ſcilicet Matronæ *duritie ſcirrhoſa circa pylorum* laborantis , quæ *per plures menſes vomitu fatigata* , tandem deceſſit ; proindeque extis anatomico cultro patefactis , *vidimus* , inquit Helvvich , *ventriculi fundum totum ſcirrhoſum , ad duos pollices craſſum , atque ita induratum , ut acie cultri vix penetrari poſſet : vidimus inſuper tantam pylori anguſtiam , ut Adſtantes mirari deſierint , quod ingeſta ſolidiora , durante ægritudine , per vomitum ſemper reddita fuerint ; cum manibus quaſi palparent , quomodo omnis fere tranſitus ad inteſtina fuerit impeditus, atque præcluſus .*

Caſus alter haud diſſimilis legitur in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis ad annum 1703. *M.* Littre *a ouvert une femme , en qui les Glandes des Inteſtins Jejunum & Ileon s' étoient tellement groſſies , qu' elles rempliſſoient entierement en quelques endroits la cavité de ces Boyaux , & par conſéquent ne permettoient preſque plus le paſſage des matieres qui y devoient couler .*

HISTO-

(1) Obſervatione CVII. pag. 427.

HISTORIA XXXVIII.

FLUOR ALBUS CUM VOMITU, ET PTYALISMO IN NOB. MULIERE.

114. CHolerica affectio ex violentiſſimis animi pathematibus, ſex abhinc annis, in Nob. Muliere Venetiis degente, floridæ adhuc ætatis, & æſtuantium viſcerum oborta, cum flavæ bilis vomitu, & convulſivo inteſtinorum tumultu, rugoſas ventriculi cellulas vellicare non minus, quam labefactare cœpit; ideoque vitiata fermentativi, & periſtaltici motus lege, & non integre ſubactis alimentis, conſpurcari debuit chyloſus latex, qui in rubrum fluentum devolutus, & cum ipſo circumfluens, aut in penitiſſimis viſcerum mæandris, & muſculorum interſtitiis ſtagnans, aut nervorum appendices, præcipue ad hypochondriorum, & uteri confinia comprimens, melancholica, & hyſterica ſymptomata produxit; unde etiam citra manifeſtam cauſam aut ſe fatali morbo conflictatam, aut maniacam credebat.

Morboſis propterea hiſce ſibi invicem cauſis, & effectibus atrita, & ſalino-acida in liquidis aucta diacriſi, & in dies fatiſcente ſolidorum energìa, nil mirum, ſi ad annos uſque per intervalla erraticæ febres recrudeſcebant; proindeque emerſit uterinus fluor, ex ſero vitioſo in glandulis vaginalibus (1) corrupto, nunc albus, nunc rubeus, ex laxata uteri compage, nimiſque hiſcentibus glandularum, & vaſculorum oſtiolis, ideoque de maciei initio, & de crurum debilitate conqueratur.

Quod tamen impræſentiarum urget, & Nob. Patientem vexare non deſinit, eſt perennis a capite deſtillatio, cum frequentiſſima expuitione catarrhalis materiæ ſolum humectantis, aliquando etiam cum tuſſi, præcipue matutinis horis poſt ſomnum; quia tunc temporis feriante oſcillatorio trachealium fibrarum motu, catarrhales ichores colliguntur, dataque porta ruunt. Cui accedit ejuſdem tenacis, & viſcidiuſculæ lymphæ vomitus, aliquando etiam ciborum, cum quadam ventriculi debilitate, & pertinaci inappetentia, & cum hyſtericis affectionibus interdum recrudeſcentibus, quandoque comite aquoſo urinæ

(1) Opinio Dolæi. In Encyclopædia Medica cap. IV. pag. 409.

rinæ profluvio. Quæ omnia ſicuti clare oſtendunt aliquam in ſolidis laxitatem, vitio primæ digeſtionis, & aliquam ſanguinis dialyſim, qui totus in ſerum liqueſcit, ſic quiſque in arte verſatus videt, quo medicæ indicationes dirigendæ ſint, eo ſcilicet, ut ſtomachi rugæ detergantur, & roborentur, ſeroſa colluvies ad excretoria loca derivetur, dominans acidum corrigatur, obtuſis cicuratiſque muriaticorum ſalium cuſpidibus cruoris cum ſero connubium promoveatur, balſamicæ, & nutritivæ particulæ in ſanguinis maſſa augeantur.

Ad curationem quod ſpectat, mercurialia mihi admodum ſuſpecta videntur. Etſi enim ſeligerentur Belloſte pilulæ, quæ ceteris mitiores in agendo ſunt, & etiam Brixiæ uſuveniunt, multoſque morbos domuerunt, qui aliis remediis non ceſſerant; nihilominus irrequietum metallum, quomodocumque præparetur, ſuam naturam ſapere debet, ſi debet agere, quod natum eſt. Ideoque cum magnas ejuſdem in corpore animato utilitates videamus in adipoſis, ubi ſanguis craſſis conſtat principiis, tardoque greſſu, emphraxes producendo, procedit, ubi tenaces lymphæ glandulas, & fermenta omnia infarciunt, uſque ad gummoſas ad extimam cutim prominentias, de ſolventi ejuſdem qualitate dubitandum non eſt. In caſu autem noſtro, ubi tota ſanguinis maſſa colliquata in ſerum diſſolvitur, & lugenda ſedulitate ad majora emiſſaria diffunditur, cum genarum ſquallore, & aliqua etiam carnis conſumptione, ejuſmodi remedii præſcriptionem quis laudabit? Addamus inſuper, quod, cum eccoproticis nuptum ſit (purgatio enim ſuccedit, non nimis laudanda, ne rorida humiditas abſumatur) palliative tantum, non eradicative curaret, ad anum ſcilicet derivato aquoſo apparatu, non vero in ſanguine ablata ipſius origine. Quod quidem humaniter ipſe Belloſte confirmavit. A Patriciis enim domeſticis vocatus, & accedens, dum oretenus conſultatio cum ordinario Profeſſore Venetiis, ubi Ægra degebat, a nobis agebatur, dumque de ſuis pilulis ſermo erat, noſtris rationibus victus, & adnuens, docta ingenuitate, quæ illi, jam pridem amico, me magis addixit, confeſſus eſt, ob uberem morboſum ptyaliſmum, & perennes a capite cum copioſis ſputaminibus deſtillationem, in conſtitutione ad macritudinem vergente mercurium eſſe ſuſpectum.

Experimentis itaque omnibus prætermiſſis, relictis quoque purgantibus, & venæ ſectione, interdum ʒ. i. ß. electuarii de

ſebe-

ſebeſten *(1)*, quandoque, ſed raro expiatis primis viis, proficuus erit uſus decoctionis radicis chinæ, raſuræ eboris, ſaſſafras, & polygoni *(2)* in ſero lactis deſtillato, quotidie matutinis horis ſumendæ, addito ſemper bolo, aut tinctura chalybis, prout idioſyncriſia feret, cujus admirabiles vires, juxta Carteſianorum mentem, in ſpiritibus vivificandis, laxoque fibrarum tono reſtituendo, præcipue in hyſtericis affectibus, & uterinis fluoribus, non eſt, quod memorem. Pulvis in furno coctus ex albuminibus, & corticibus ovorum, corallis rub., amylo, ſuccino (3), & lapide hæmatite, aut ſuccus betulæ (4) erit aptiſſimus. Williſius, & Abraham Frambezarius decoctum (5) propinarent; Sylvius vero in hoc caſu opiata, & tamarindos mille laudibus extolleret. Poſt hæc tranſitus faciendus ad jus pulli, in cujus cavo ante ebullitionem poſita fuerint fol. portulacæ, lyſimachiæ, dryoptaris, plantaginis, tormentillæ, cupreſſi, ſempervivi, meſpila, lapathii agreſtis fructus, acaſiæ expreſſio, faba Ægyptia, leporis coagulum, tamariſcus, rhus, diphryges, cadmia, ſymphit, nummularia, burſa paſtoris, flores bellidis majoris, vel minoris *(6)* *(7)*, hagni, aut radices caudæ equinæ, ſilicis, & filipendulæ; & præcipue veris tempore, quo leſſas vegetabilia nutrit; aut ad tincturam catechu, vel jus viperinum non tamen ſuccoſum, ſed ſatis dilutum; ſique dolores accederent, roſmarinus, & cachrys *(8)* adhibendi ſunt. Quibus feliciter abſolutis, ad jam expertas vires, & utilitates lactis aſinini confugiendum eſt, aut ad cancros fluviales in vino coctos, ſummopere ab Hippocrate laudatos. Internos demum ſtomachi parietes roborabit aut extractum abſynthii, aut uſus, non abuſus ſuccolatæ; externe vero laudantur fotus ex hordei furfuribus, ſalvia, hyperico, loto, & ſerpyllo; ſed præ omnibus remediis, futuræ proximæ nuptiæ proderunt.

OB-

(1) Vide Schroderum Pharm. Med. Chymic. Claſſe I. pag. 483.

(2) Optimum in ſiſtendis fluxibus, & præcipue fluxu uterino: ibidem pag. 461.

(3) Seligatur, ſi fieri poteſt, quod ex Boruſſia ad maris Balthici littora adfertur, aut ſaltem ex Cimbriæ occidentali littore. Vide Martinium in Atlante Sinico pag. 65.

(4) A Dolæo in Encyclopædia Med. lib. V. cap. 4. proponitur.

(5) Hieronymus Mercurialis curabat Ægrotos decocto foliorum quercus; lentiſci vero Rodericus a Fonſeca.

(6) *Præcipue ſi collecta fuerit menſe Junio, ſecundo die a plenilunio ſub crepuſculo noctis.*

(7) Hagnum, hoc eſt viticem, ſummopere laudat Hippocrates, ſi cruenta exeant, Tract. de Fœminarum morbis.

(8) Ibidem.

OBSERVATIONES
IN ALBUM FLUOREM MULIERUM.

I.

Ubi præcipue de adſtringentibus caute adminiſtrandis :

115. NOn raro huc illuc Medici accerſuntur , ut coryzam uteri ſupprimant, ſed eventu votis non reſpondente, vel Ægrotis in pejus ruentibus. Hinc etiam apud Auctores magni nominis præſcripta videmus ſyrupum cydoniorum , myrtillorum , bolum armeniæ , alumen crudum , ſanguinem draconis , terram ſigillatam , vitriolum (1) martis , gummata, ſantalos , ſaturnum , balneum (2) ipſum aquæ frigidæ , quæ quantum ſuſpecta interdum eſſe poſſint , multis probando non immorabor ; id unum contentus admonuiſſe , nonniſi ſumma cum circumſpectione ad hujuſmodi adſtringentia eſſe tranſeundum ; cum via illa corporis ſentina ſit , per quam humores illi ſecedunt , & abeunt , qui in viſceribus ſuſpenſi , turbas in cruore excitarent .

II.

Specifica ſuſpecta :

116. NEc minorem admirationem nobis inferunt Carteſiani in præſcriptione camphoræ , Prævotius ſyrupi ſtercoris aſinini (3) , Bevervvik carnis fumo induratæ, Dolæus (4) ſulphuris , ſalium volatilium , fol. artemiſiæ , ſalis tartari , reſinæ jalappæ , mercurii dulcis (5) , quibus , & præcipue poſtremis, ingenue fatemur , nos viceverſa imminutis , & ſuppreſſis , ut iterum menſtruales evadant, poſſe mederi. In tanta igitur ſyſtematum diverſitate , & remediorum ſupellectile , Medici judicium , ut diſcernat, in medio eſt. Quamvis , ut vera fatear , & ſolutiva mercurialia poſſent etiam adhiberi, ſi morbus a *tumefactis* , *& induratis* uteri glandulis penderet , ut olim in cadavere vidit Bernardus Valentini (6) , aut etiam adſtrin-

(1) Opinio Roberti Boyle, qui fatetur, ſe curaſſe mulierem pulvere ſympathetico ex vitriolo Hungarico parato .

(2) Leo

(3) In Empirica. Id etiam proponit Sennertus .

(4) In Encyclopædia lib. V. cap. 4. de menſium fluxu immodico pag. 413.

(5) Ibidem .

(6) In Epiſtola de nova matricis, & morboſæ mulieris anatome .

ſtringentia, & ſtyptica, per metrenchytem quoque adacta, in uſum poni, ſi a laceratis, occaſione v. g. partus, aut quomodolibet corroſis, & adapertis canalium in vaginam, aut uterum hiantium extremitatibus, corpore in reliquis bene ſe habente, albus fluor originem traheret. Quo caſu ſeligi etiam poſſent illa, quæ ab Hippocrate tanquam ſpecifica ad ſuffitus efformandos proponuntur (1), nempe fumus hordei fracti, cornucervi, cum olivis non maturis, rhoon, ſuccus ſcilicet e moris expreſſus, bubulum ſtercus, cupreſſus, papaver, myrrha, thus, bitumen, apii ſemen &c.

HISTORIA XXXIX.

NEPHRITICUS DOLOR CUM CALCULORUM EXITU.

117. NEphriticus dolor circa juventutis terminum exortus, una cum arenularum, & exiguorum calculorum exitu, deinde ad multum tempus inducias faciens, tandem numeris hiſce annis iterum in motum poſitus, & nunquam integre cedens, in egregio Caſſinenſi Monaco fervidæ conſtitutionis, uberem oſtendit ſalinarum, & acidarum qualitatum ſobolem, quæ licet in grandiorem calculum nunquam concreverint, tamen, vitio forſan primæ digeſtionis, productæ, mox noxii vini potu, & ſulphureæ dominantis bilis æſtu actuatæ, accedentibus tartareis principiis, & gelatinoſo glutine (quod Veteres lapidificum dicebant) mediis cava, & emulgentibus, ad renales thecas deferuntur, vel ratione ſuæ gravitatis, & ponderis, utpote inferius excretorium emiſſarium, vel ratione ſpecificæ molis, & figuræ renalibus acinis reſpondentis, vel denique ratione urinoſæ miſcellæ, & lixivioſæ naturæ, cui inditum, & proprium eſt in veſicam labi. Non arduum itaque erit intelligere, quomodo circa lumborum regionem, ſiniſtrum præcipue pelvim, & ureterem viciſſim torqueatur, cum illud ſit iter, ſcilicet inter peritonei duplicaturam, & ſupra muſculum pſoam, per quod extranea tranſeunt corpuſcula; idcirco contractiles villi, fibræ, & membranoſæ partes, ex quibus ſupradicta vaſa conſtant, ab introfluentis colluviei aſperitate, & rigore

(1) Lib. II. de Fœminarum morbis.

punguntur , & vellicantur ; ideoque ex divulſione dolor , qui cum impræſentiarum ſupra ſiniſtra inguina in latus præcipue ſævire , & Nobilem Patientem vexare non deſinat , neque ulla adſit hernioſi prolapſus umbra , & latentis tumoris, aut organici morbi veſtigium , ut ocularis inſpectio , & tactus docuere ; coniiciendum eſt , ſignanter ubi ureter veſicæ connectitur , ex laborioſo itinere , & feſtinanti equitatione Romam verſus, olim ſupra ſuccuſſatorem (1) facta , membranoſi oſculi circulares fibras fuiſſe irritatas , divulſas , compreſſas , & diverſo modo modificatas, eodem quaſſati corporis momento, turgente lotio , & fermentiſcibilibus acoribus non minus , quam ſaburroſis , rubriſque arenulis , quæ adhuc perſeverant , referto, morbi productionem confirmante , & ſenſiles villos diſtrahente. Cumque ea ſit mechanica lex pelliceorum omnium , & membranoſorum canalium , ideoque & urinam deferentium, ut quovis ſtimulo in undoſam convulſionem excitati, finitimis ſuæ extremitatis productionibus , & inſertionum præſertim locis , quibus inoſculantur , morboſas ataxias diſpandant , iterumque diſtrahendo defigant: quoties inibi aut nodoſa circumſtabit conjunctio , aut valvulæ (forſan fatiſcentis ſecundum Bartholinum,) obſtaculum , aut denique naturalis , ut vult clariſſimus Morgagnus , ureteris anguſtia, non poterit, quin ob ſupradictas , caſque majores , quam in reliquo canali , deſcendenti lotio reſiſtentias , & frequentes mictionum viciſſitudines , inibi morbus ſuam ſedem faciat , & doloroſa ſymptomata in abdominis imo reviviſcant . Id perbelle patet ex eo, quod in lecto tormina miteſcant ; ſtante vero , augeantur , ſcilicet ex majori preſſione , quam ſubſtinet inferius ureteris oſculum , & emiſſarium ex quaſi perpendiculari deferente tubo , quam horizontali .

His poſitis , bifariam agere poterit ars clinica , ſcilicet ut efficiens cauſa deſtruatur , ſalina tartarea colluvies diſſolvatur ; ſique adſunt arenulæ , & terreæ particulæ , non concreſcant , aut glutinentur , ſed citra dolorem data porta ruant : iterum tamen dividendo tempus curationis , & præſervationis , & regioni affectæ admovendo chirurgicam manum , ut pars ad naturalem tonicum motum reducatur .

Abire propterea juſſis purgantibus , validioribus, ſoliſque caſiæ

(1) Ut ait Hippocrates de Morbis Popul. ſect. 7.: *Qui equitaverunt , aut amplius iter fecerunt , aut alios labores cruribus perfecerunt , his ad lumbos impotentiæ reſolutoriæ obortæ ſunt , ac dolor &c.*

ſiæ floribus imminuta inteſtinorum difficultate (1), (ſi a catharticis per os ſumptis alienus eſt, adhibere etiam poſſet Oribaſii *medicamentum* (2), *quod odoratui admotum per alvum purgat*; aut illitiones ſedis, & umbilici purgatorias, *chezanance* dictæ, ex cyclamine, nitro, veratro nigro, & albo, colocynthide, ſcammonea, elaterio, grano cnidio, caricibus pinguibus, & felle taurino paratas, quibus olim Paulus Aegineta (3) utebatur, prout adſtanti doctiſſimo Profeſſori videbitur) ſumere poterit per triginta dies matutinum, & veſpertinum tepidiuſculum cyathum deſtillati octo unciarum pro qualibet vice ex rad. bardanæ, ſaſſafras, ſcolopendrio vero, pino ſylveſtri, betula (4), ſchænantho (5), fol. perſicariæ (6), agrimoniæ ãa. m. i. rad. ſaxifragiæ, peucedani, quod *fœniculum porcinum dicunt*, liquiritiæ, raphani ãa ʒ. iii. lumbricis terreſtribus n. xl. vino purgatis, ſecundum artem præparatis, & inf. in aqu. comm. ℔. viii. addito tempore deſtillationis lacte vaccino ℔. viii.

Lac ſincerum, & eveſtigio emulſum autumnali tempore ſuſpectum erit, ob caſeoſum incraſſans, & acidum latens, quod disjectas arenulas poteſt in contactum, & amplexus allicere, & ſolidare. Quando tamen docta mens ſuggerat, aut Patiens inclinet, poterit adhiberi coctum, aut theè dilutum (7) (8).

Indicationibus vero ſuaviter urinam (cavendo præcipue actu dolorum a diureticis validioribus) ciendi, & Ægrum præſervandi, apprime ſatisfacere poterit uſus ſpecificorum, puta ſucci parietariæ, bdelii (9), terebinthinæ Venetæ, ſanguinis hirci,

(1) Quia, *qui alvum lubricam habent, difficilius calculo corripiuntur*. Baglivus, lib. I. Praxeos Medicæ, pag. 74.

(2) Cap. XLVII. hæc habet : *Felis terreſtris echini, melantii, aut nitri, utriuſque denarii iv. grani cnidii denari iii., elaterii denarius. Lævigantur inſtar cerati oleo ſicyonio, aut cyprino admixto, ſuntque orbes unius denarii : horum unum odorabitur is, qui purgandus eſt, ſi bene concoxit : hoc autem admodum debilitabit, ſed aliquo unguento odorato, vires poſtea recreabuntur*.

(3) Cap. IX.

(4) Cujus vim in detergendis urinæ viis tam magni faciunt Auctores, ut illam aliquando diabetis cancrum crediderint. Vide Ettmullerum in Collegio Pract. pag. 569.

(5) Non ſolum quod ex Arabia, ſed ex Apulia affertur.

(6) A Boyle tanquam primarium remedium proponitur.

(7) Pari enim modo Hippocrates (vide lib de Morbis popularib. n. 55.) curavit quemdam Clonigum in Abdenis nephriticum. *Huic mane quidem dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars, itaut ex ambobus compoſitum totum eſſent heminæ tres. Ad veſperam autem panis valde aſſatus, obſonia, beta, aut cucumis, vinum nigrum tenue : dabatur etiam cucumis pepo. Hac vero victus ratione cum uteretur, & alvus ſubſtitit, & urinæ purè prodibant. Bibit autem lac donec urinæ reſtitutæ ſunt*.

(8) *Ad rheumaticos hos lumborum dolores potum lactis cocti cum æqua decoctione theè mane ſumptum ad ℔. i. circiter, feliciſſimè ſum expertus. Hoc idem remedium podagricis, & calculoſis fortaſſe non obeſſet*. Baglivus in lib. I. Praxeos Medicæ pag. 74.

(9) Quod *malathram* dicunt. Galenus elegit Scythicum.

leporis (1), ſpiritus ſalis, decocti malvarum, aut naſturtii aquatici cum butyro, & melle, diverſo modo ſecundum circumſtantiam exhibitorum.

Parti affectæ non admovenda roborantia, quæ ſubjecta ſolida criſpent, exſiccentque; multo minus laxantia, quæ inertiam, & debilitatem in fibris promoveant (niſi actu ferocientis doloris, quo portæ aperiendæ, & inferior tranſitus fomentationibus, ſemicupiis, & balneis (2) promovendus), ſed ſolidorum vis in ſtatu primigenio naturali reducenda, & conſervanda, linimentis ex pinguedine urſina, & viperina.

Seligatur aer temperatus, & cubiculum verſus meridiem. Vitet vitam ſedentariam, ſed tamen ſine labore. Vinum ſit multa aqua dilutum, quinimo autumnali proximo tempore ſimul fervefactum; addendo, actu primæ muſtaceæ fermentationis, manipulos florum ſambuci, utpote magnum in hiſce ægritudinibus præſervativum. Exulantibus animi mæroribus, & quocumque mentis labore abhorreat pariter alimenta caſeoſa, pinguia, oleoſa, & ſalſa: amet refrigerantia (3), & leviora, vitulum, leporem, pullos, alaudas (4), & cetera volatilia (5).

OBSERVATIO IN MORBI EVENTUM.

118. AD Nob. Ægroti curationem celeberrimus etiam Macoppe radicem *parere brave*, aquas acidulas chalybeatas, nitratas, diætamque, ſaltem ſemilacteam, immixtis eccoproticis, laudaverat. Verum uſu diluentium, humectantium, & præcipue præſcripti deſtillati priſtinæ incolumitati integre reſtitutus eſt.

HISTO-

(1) *Leporis ſanguinem, & pellem totam in olla cruda combures, ut in cinerem convertatur, & in aqua calida potui dabis cochlearium unum jejuno, mox deliqueſcet lapis, & eiicietur foras. Hoc experimentum nos ipſi fecimus, ne dubites.* Sextus Philoſophus Platonicus, lib. de Medicina ex animalibus.

(2) *Balneis curato, multa calida laxato, & tepefactoria, qua parte maxime dolet adhibeto.* Hippocrates. Et deinde: *attenuare, & mollire.*

(3) *Melopeponum comeſtio, & potus aquæ ab illorum pulpa deſtillatæ podagricos, & calculoſos, vel ſanant, vel maxime ſublevant.* Baglivus lib. I. Prax. Med. pag. 74.

(4) Quidquid in contrarium proſtet in Ephemeridibus Germaniæ eſum alaudarum damnantibus: videndus Ettmullerus, ubi ait: *hujus caro urinam, ſabulum, & calculum proritat*, obſervanduſque citatus Hoeferus in Hercule Medico pag. 172. qui *experientia propria confirmat uſu alaudarum* evitaſſe *nephritidem*.

(5) Cetera ſpecifica in renum morbis proponuntur a Levino Lemnio de occultis naturæ miraculis, lib. IV. Hoc eſt ſaxifragia, empetrum, crithmon, lithoſperma, vulgo milium ſolis, veſicaria ſolani ſpecies, acino in ceraſi ſpeciem rubenti, atque orbiculato, daucus, apium hortenſe.

HISTORIA XL.

FEBRIS, DOLOR IN COXA, LIENE, HEPATE, SINGULTUS, URINA NIGRA CUM ARENULIS, VENTRIS TUMOR.

119. FAcilius esse ægrotare, quam perfecta valetudine perfrui, norunt præcipue illi, qui anatomicis experimentis humana exta observarunt, videruntque, ab exilissimarum partium textura microcosmum coagmentari, quarum una tantummodo vel corrosa, vel violata, vel quocumque alio modo a regulari statu abscedente, aut morbus, aut extremum fatum in limine est. Explicatu perdifficile puto; quomodo solida, eaque multa, & majoris usus vitiari potuerint, quin ulla labes sensibilis ad multum tempus irrepserit, ut evenit in Ægro mox describendo, in quo denato multa reperta sunt, quæ probabiliter paucis diebus fieri non possunt, & tamen usque ad fatalis morbi initium perfecta salute gavisus est. Quia vero tunc temporis, ob domesticas, neque modicas curas, cadaveris sectioni, difficillimam antecedentis morbi diagnosim fortasse explicanti, adesse non potui, sapientem Virum Aloysium Garbellum hortatus sum, ut quæ observata ab eo fuere, publici juris faceret, iisdemque nostras morborum historias ornare dignaretur.

EPISTOLA.

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ instituti scientiarum, quæ Bononiæ est, nec non Collegii nostri Medici Socio.

ALOYSIUS GARBELLUS

S. P. D.

120. *MIseram C. V. Joanni Baptistæ Mazino Collegii nostri Socio, in Patavino Gymnasio Publico Practicæ Medicinæ Professori, editis libris celeberrimo, lucubratiunculam meam,*

am, petens, ut ſi quid in ea minus recte ſcriptum deprehendiſſet, obelo confoderet, ſin autem videret non eſſe medicinæ locum, una litura emendaret. Viſum illi eſt eam non improbare: veruntamen cum illius judicium plurimi facerem, licet meæ imbecillitatis conſcius, ſuſpicarer ab amore, & ab inſita ei humanitate profectum, addidiſti tu pariter illius calculo calculum tuum, atque etiam auctor fuiſti, ut, quoniam ad implexi morbi examen, multa, & quidem rationabilia meditando, multoties fuiſti nobiſcum in conſultationem accitus, ita huic tuæ morborum Diatribæ, ubi ægrotantis naturæ variora phænomena explicantur, hanc quoque meam comitem dare per me tibi integrum eſſet. Pareo tibi, nimis fortaſſe amice ſuadenti; ſed tamen, ut verum fatear, nonnihil pudore ſuffuſus, ac reſtitans: utcumque res cadat, veſtris judiciis me ſatis ſuperque tuebor. Vale.

Brixiæ Kal. Januarii A. D. 1741.

JOANNI BAPTISTÆ MAZINO

In Patavino Lycæo Medicæ Artis Profeſſori, ac Collegii noſtri Medici Socio.

ALOYSIUS GARBELLUS

S. P. D.

121. *UT te fidenter adeam, V. C., & lucubratiunculam hanc meam tibi diſcutiendam offeram, facit perſpecta humanitas tua, & doctrina non vulgaris: quarum altera faciles aditus, altera rectum, & quantivis pretii judicium pollicetur. Decimuſquintus jam prope effluxit annus, ex quo Patavii, ubi tu Veneti Senatus, Triumvirumque ſuffragiis honorifice probatus, Medicam artem in illo omnium diſciplinarum celebratiſſimo Gymnaſio magna cum laude profiteris, emenſo ſtudiorum meorum curriculo, Laurea, ut vocant, auctus, in communem Patriam redii. Hìc vero, ne otio, ac deſidia corrumperem, ſi boni quid in Patavina Academia labore, ac vigilantia comparaveram, ſumma ope nitendum ratus; & multo etiam magis, ut porro pergerem, & jacta illic ſemina foverem; cum probe noſſem, me in longæ, ancipitiſque artis cultura verſari, nunquam deſtiti, quin quotidie ſemel, iterumque ægros inviſerem, venas tentarem, adnotaremque ſymptomata. Verum neque id mihi tanti eſſe faciendum duxi, ut in eo, neglectis aliis ſubſidiis, conquieſcerem. Itaque eidem ſtu-*

dio

dio addictos in ædes meas admittere instituì, ubi tum veterum, tum recentiorum scripta, nulla non luce, quoad ejus fieri potest, diligenter evolvimus, excitatis etiam disputationibus, in quibus mutua ingeniorum collisione aut disceremus, aut doceremus. Veruntamen cum humani corporis anatome potior hujus artis pars censeatur; sitque revera liber ille excellens, quem summus rerum Opifex ineffabili prorsus ratione compegit; cadavera quoque secare aggressi, eorum præ ceteris, si quos latens morbus confecisset, cujus causas indagare esset operæ pretium; multa ibi, & varia deteximus, quæ nisi oculis fuissent subjecta fidelibus, nequidquam conjecturis assequi tentassemus; sed inter alia illud in admirationem me rapuit, quod tibi hìc describendum suscepi.

Postridie nonas sextiles labentis anni 1740. *accersitus invisi decumbentem Sacerdotem, annum agentem quintum supra sexagesimum, id ætatis emensum integra valetudine, nullo unquam gravi morbo tentata.*

Erat ille sanguineo-bilioso temperamento, fibra valida, carnoso habitu, facie rubicunda; sed vel sanus urinas reddebat sedimento lateritio, fundo matulæ, ac ejus parietibus tenaciter inhærescente, cum nulla tamen renum molestia vexaretur.

Laborabat febre, quam continuam absque ulla sensibili exacerbatione per quinque dies deprehendi, nulloque alio stipata symptomate, quam sinistræ coxendicis dolore, qui in lienis regionem, inde in sinistrum latus transgressus est, quo decumbere non poterat. Sudor hisce diebus toto corpore diffluebat, alvus dura nihil excernebat.

Nox ante undecimum diem Augusti gravis fuit, & febris illa die incrementum sumpsit, nullusque sudor apparuit: dolor acutus hepatis regionem prehendit, relicto liene; & statim Æger cœpit urinam nigram sanguinolentam reddere, qua inde suppressa, acutus in rene dextero dolor secutus est. Singultus accessit, & lingua nigricans, ac arida facta conspiciebatur.

In consilium vocato præstantissimo Viro sodali nostro Francisco Roncallo, quamplurimis remediis tum internis, tum externis, licet incassum, hujus saluti prospiciendum curavimus.

Die 12. *Augusti, dolor in regione hepatis mitescere visus est, & denuo æger urinam nigram, sanguinolentam reddere cœpit. Vesperi exacerbata fuit febris una cum dolore dexteri renis, quin aliquid, vel minimum urinæ appareret.*

13. *Postquam noctu magno febris ardore, & dolore renis vexa-*

tus

tus fuisset , nilque lotii reddidisset , ventrem tumentem vidi , & cathetere in vesicam adacto , nulla urinæ gutta effluxit . Tandem summo cum dolore , micturiendo parum urinæ nigræ sanguinolentæ reddidit , subsidentibus aliquot arenæ globulis .

14. *Paucas arenas una cum urina nigra sanguinolenta vidi .*

15. *Dolor renis imminutus est , singultus frequens fuit , & urinæ copiose cum dolore fluxerunt .*

16. *Dolor latus dexterum vexare cœpit . Hora tertia noctis erupit sanguis e nare dextera ad* ℔. *iii. ; auctoque singultu , febre , & magna ventris diastole , ac systole , dolores evanuere .*

17. *Se pejus habuit .*

18. *Sub aure dextera tumor enatus est .*

19. *Deglutio læsa , cum aphonia .*

20. *Quæ fuit decimaquinta a decubitu , motus tremuli manuum, urinæ nigræ cruentæ abunde fluxerunt , Æger mentis compos hora vigesimaquarta obiit .*

OBSERVATIO.

ALtera ab obitu die fœtens cadaver dissectum est , apertoque abdomine , primum sese obtulit omentum , non solum amplitudine , crassitie , soliditate mirabile , sed quod magis me intuentem affecit, ubique arenulis refertum , prout satis indicabat inter secandum stridor , ut non tam cultro incidi videretur , quam serra reciprocante secari , primoresque digitos contrectantis vellicaret . In pelvi renis dexteri paucæ arenæ apparuerunt . Hepar mole auctum vidi , in parte concava livescens . Nimius cadaveris fœtor dissecantem absterruit , quo minus ulterius progrederetur : quod nisi obstitisset , fortasse ope microscopii deprehendi potuisset , & unde , & quibus ductibus arenulæ illæ provenirent , & quo tenderent .

Non me tamen latet , præter arenas , calculos , ac lapides in vesica , ac renibus , frequentissimum enascens malum , imo nonnusquam in corpore humano & arenas , & calculos , & lapides inventos , in capite , in pectore , in corde , in hepate potissimum , in liene . Et ipse vidi calculos per anum excretos , demissa prius magna arenularum copia ; necnon hoc ipso anno arteriam magnam prope cor calculis undique ambientibus . Omentum vero arenulis refertum cum ab aliis non adhuc , quod sciam , observatum fuerit , & mihi contemplandum venerit , tibi V. C. communicandum putavi, ut si quid ex fideli morbi historia collata cum anatomica observatione argui posset , quod novum aliquod lumen in re medica affèrat , mihi nonnihil placere possim , cui primum id observare contigerit .

Ego

Ego equidem fateor, hanc anatomicam obſervationem mihi anſam præbuiſſe opinandi, non omnem aquæ potum in ſanguinis maſſam influere, eique commiſceri, nec ab ipſa maſſa ſanguinis per arteriæ emulgentis ramos in renes derivata, e renalibus glandulis ſecerni: cujus quidem rei ſuſpicionem quoque injecit citus a potu aquarum, præcipue mineralium, ac diureticarum per urethram efluxus, faciliſque tranſitus earundem per alvum, ſi libera per veſicam via non pateat, & quorundam diureticorum graveolentia, urinæ ſtatim communicata. Adde, quod nulla quoque cordis oppreſſio liberaliorem aquarum hauſtum ſubſequi ſoleat, neque major arteriarum, ac venarum extenſio, neque ulla pulſuum mutatio. Unde alias aperiri vias crediderim, per quas commeet urina potus, & citato gradu, ſi non ad veſicam, ad renes ſaltem ducatur. Hinc etiam cum nulla fiat aquarum immutatio, nullus extraneus ab iis combibatur color, odor, & ſapor, (ut teſtantur, qui redditas per urinam aquas iterum hauſerunt), ſatis nos doceri videmur, eas cum ſanguinis maſſa circulationem non habuiſſe: fieri enim non poſſe videtur, ut una cum ſanguinis heterogeneis particulis aquæ miſceantur, & nullam ab iiſdem affectionem ſecum trahant, quemadmodum, ut urinæ, ſanguinis dictæ, glandulis renum ſecretæ demonſtrant.

Quod urinæ potus breviores vias reperiant, atque nullo alio liquido nuptæ, extra corporis regionem excernantur, *placuit Franciſco Roncallo adnotare* (1), *referenti obſervationem Horſtii* de oleo amygdalarum dulcium ita excreto, quale fuit ingeſtum, ut refert Chriſtianus Joannes Langius (2), & de vino rubro non immutato, ut refert Hoefferus (3). *Eſſe igitur breviores vias, illaſque e ventriculo per omentum ad renes urinam, potus dictam, vehere, ſuſpicari non abſurdum videtur, idque ex vaſorum communione intra ventriculum, & omentum ab Othone Heurnio obſervata* (4); *& ex connexione omenti anterius in ſuperiori cum fundo ventriculi, poſterius cum inteſtino colo, & ex connexione coli cum renibus, ut Heiſterus nos docet, colligi poteſt.*

Ad augendam ſuſpicionem meam accedit omentum arenulis refertum, quod brevi curſu potus urinam traduci ad renes, quam longo arteriarum, ac venarum itinere, nos quoque docere videtur. Enimvero ſi ſpectentur in hac medica obſervatione primum urinæ lateritiæ abſque ulla renum moleſtia redditæ; ſi vigente febre ſanorum ſimiles; ſi earundem immediate ſubſecuta ſuppreſſio acu-

(1) Lib de Aqu. Hirmenſib. pag. mihi 91.
(2) In Prax. Med. de morb. circa urinam. pag. 55.
(3) In Hercul. Med. pag. 171.
(4) Obſervat. I.

tissimum dolorem regionis hepatis , si arenularum effluxus absque eo , quod mihi videre contigerit in renibus aliquod vitium , præter aliquot in pelvi arenæ globulos ; hæc profecto me docere videntur , omenti vitio nimis arenis referto , suppressionem potus urinarum contigisse . Urina autem, sanguinis dicta, ea scilicet , quæ tum e solidis attritis proficiscitur , tum e fluidis diuturna , ac febrili circulatione solutis , & ex morbosis quoque partibus constat , cum modica , rubra , terrestris , & acris esse soleat (1), *e renalibus glandulis secreta , sua feritate viam sibi præcludere potis fuit , irritatis nempe , ac convulsis salium vi ureteribus ; quinimo circa proprios axes continuo rotantibus salinis corporibus , quibus urina sanguinis scatet , suarum superficierum asperitate , suisque acutis angulis , laceratis quorundam vasculorum sanguiferorum parietibus, urinæ sanguinis sanguinem misceri opus fuit ; unde urina cruenta originem duxit . Ulterius per omentum potulenta ad renes pervenire suspicatur Joannes Dolæus* (2) *multis fretus rationibus , & præcipue* , quia animalia , quæ carent omento , nullam mingant urinam , ut aves , pisces ; *idcirco , si omnia , quæ mingunt , omentum habent , animalia , illud necessario positum est pro urina potus traiicienda , & non ut adipem dumtaxat ubique convehat .*

At si hisce conjecturis argui potest , vias esse , quæ e ventriculo per omentum ad renes , aquas præcipue diureticas deferant , non desunt tamen , qui alios peculiares ductus esse suspicentur , quibus urina , ut vocant , potus , ad vesicam , a ventriculo , & intestinis expedite ducatur , hac fortasse ratione suffulti , quod a nuper injectis clysteribus terebinthina paratis , redditæ urinæ violas oleant. Veruntamen cum subtiliores terebinthinæ particulæ peculiari ductu non indigeant , ut ad vesicam pervadant , urinisque violarum odorem impertiant , hinc fit , ut hæc opinio mihi non usquequaque arrideat ; propterea quod nihil lotii in eorum vesica repertum sit , qui vitiatis renibus obierunt , ceteroqui in ventriculo , & intestinis vitio nullo apparente . Hosce tamen ductus ad vesicam tendentes , ne quidem audeo suspicari , cum ex celeberrimo anatomes Professore Joanne Baptista Morgagno explodantur (3) .

Alia hujusce morbi phænomena , cum in rem præsentem non sint , missa facio ; quemadmodum & cetera tibi Vir Cl. dijudicanda , ac emendanda relinquo . Vale .

Brixiæ Kal. Septembr. Ann. 1740.

OB-

(1) Boerhaave , *De viribus medicamentorum . De diureticis .*

(2) Lib. de Hydrop. pag. m. 22.

(3) Animad. XXXVI. Adverf. III. pag. 75.

OBSERVATIONES
IN NEPHRITIDEM.

I.
Signa diagnoſtica calculoſæ affectionis.

122. NEphritidem cholicam mentiri, vetus adagium eſt. Quando tamen in praxi ſequentia aut omnia, aut plurima ſigna vidi, ſemper calculi, aut arenulæ latuerunt. Hæc ſunt dolor immobilis præcipue in latere, urina clara, tenuis, interdum ſanguinolenta, ſtupor cruris, aut pedis ejuſdem lateris, dolor acutus ſecundum ureterum ductus, magnum cibi faſtidium, cum nauſea, & vomitu, interdum flavæ bilis, quæ aliquando, ſed falſo, cholicam repræſentat. Urgente dolore, curvus fit Æger, & palo infixo punctim feriente conqueritur (1).

II.
Vinum calculos producit.

123. DE calculorum vero productione non eſt, cur plura addam; cum jam multa de iiſdem meditati ſimus in noſtro opere de Aquis Brixianis, ubi ſummam in nephritide ab aquis expectandam eſſe utilitatem, propoſuimus, ut perbelle conſtat ex Opere Marci Antonii Aemilii Philoſophi, ac Medici Brixiani (2): & etiam ab experimentis in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ, quæ Lutetiæ Pariſiorum eſt, deducitur (3), ubi hæc proſtant: *M.* Billerez, *Docteur en Medecine &c. Il mit au mois de Juillet dans deux bouteilles 6. onces de chaque eau, & dans chacune un morceau de 50. grains du même Calcul. Au bout de* 4. *jours l' eau de* Bougeaille *étoit déja couverte d' un brouillard qui cachoit la pierre, & en agitant un peu la bouteille, le brouillard s' étendoit davantage, troubloit toute l' eau, & enſuite s' étant précipité, il laiſſoit voir la pierre aſſés diminuée de groſſeur, & changée de figure &c.*

(1) Vide Hippocratem, lib. de internis affect. n. 25. & lib. de Coacis n. 5.

(2) Tractatus de Thermis Milzanelli, & illarum natura. His Ægrotos *optime ab incipiente calculo* præſervabat; & ubi inter cetera, pag. 59. hiſtoriam refert Auguſtini Beteræ: *utriuſque Medicinæ, & Phyſicæ, & Chirurgiæ Doctori egregii*, qui, *repetita hujus aquæ potione, per aliquot dies, ab ardore urinæ, & ab arenulis, & lapillis, quos ſine ingenti dolore excernere non poterat, liberatum ſe eſſe confitetur &c.*

(3) *Annèe MDCCXX. ſur la diſſolution du calcul humain dans les Eaux communes pag.* 30.

Id unum animadvertentes, quod cum plurimos vidiſſemus abſtemios a nephritide liberos, ſuſcepto vero vini potu, illico, aut paulopoſt calculis obnoxios, coniiciendum certo eſt, tartarea vini ſedimina ad illorum productionem ſummopere conſpirare. Qua de cauſa cautiores vellem patientes in meracioris vini potu, & in ejuſdem ſelectu, illud vitando, quod in arenoſo, aut cretoſo ſolo productum fuit. Præter hæc, noſtra opinio eſt, calculos frequentiſſimam, & faciliſſimam eſſe in humanis corporibus multorum morborum cauſam. Videatur in Dolæo (1) hiſtoria fœtus integri lapidefacti poſt 28. annorum geſtationem in Columba Chatry Senonenſi (2).

III.

Diuretica vitanda ſunt.

124. PRæterea jubet inſuper, quaſi dixero, conſcientiæ onus, ut admoneam, quod cauti ſint Tyrones in adminiſtrandis remediis diureticis, calculumque, ut ipſi ajunt, pellentibus, quibus non ſine admiratione, non ſine Ægrotantium damno, addictos quamplurimos primarios Medicos pluries vidi. O pernicioſiſſimam rem! non vident, in impedito itinere tranſitum fruſtra tentari, nec in partem affectam liquida omnia eſſe pellenda. Profecto ſi ab hærente calculo tenella vaſcula diſtenta ſunt, ſi a corrivantibus humoribus eo magis inflantur, tanto magis extenſis in latera vaſorum omnium fibris, decurtabuntur cum majori anguſtia fines (ubi docente Malpighio (3), *ſenſus doloris manifeſtatur*), & extremitates in pelvim, in veſicam hiantes; unde augebuntur impedimenta, & continui ſolutiones, cum violentiſſimis cruciatibus, & inflammationis metu. Paucis, potius laxitas, mollities imarum partium promovenda clyſteribus, ſanguinis miſſione, balneis (4), ſemperque paucis ſumptis remediis, ne dicam, alimentis. Quanto enim minus univerſa vaſorum omnium congeries onerabitur, tanto facilius perenni ſyſtoles, & diaſtoles motu oſcillans ſolido-

(1) In Tractatu de Scorbuto lib. III. pag. 435.

(2) In Actis etiam Regiæ Academiæ Pariſiorum, MDCCIII. pag. 32. fit mentio: *Sur un Cerveau petrifie &c.*

(3) In Conſilio 68. pag. 122. cent. I. a Hieronymo Gaſpari evulgata.

(4) Tanto magis, ſi vera eſt Baglivi aſſertio, pag. 331. : *calculos* nempe, *dum ſunt in corpore molles, aeris occurſu* indurari. Etenim molles ſervati continentia vaſa cum fibrarum divulſione minus lacerabunt.

dorum vigor excitabitur, & expreſſio extranei hoſpitis efficietur (1) (2) (3).

IV.

Arcanum Stephens *ad diſſolvendum calculum*.

125. CElebres ſunt, præcipue in Gallia, & Anglia, pulveres a domina Stephens inventæ pro ſolvendo in veſica, & renibus lapide. Verum cum effectus non ſemper reſpondeat, legendum eſt opuſculum, quod olim in Anglo idiomate produxit Medicus Harley, & videnda collectio, quæ nuper Pariſiis cuſa eſt (4), antequam arcanum illud magno pretio ematur.

V.

Calculus ſolvitur a mercurio dulci.

126. RAtioni conſona ſunt, quæ vidi *in Tractatu* (5) *de Imperio Solis, ac Lunæ in humana corpora, & morbis inde oriundis*, ubi hæc ſcripta ſunt: *Hinc fit, ut dato ſubinde mercurio dulci, plus proficiamus in incipiente hoc morbo, quam quibuſvis urinam moventibus medicamentis; reſeratis nimirum a nobili pharmaco tenuium vaſorum obſtructionibus, & prohibita, quæ has plerumque ſequitur, ſalſorum humorum cohæſione.*

Promota igitur arenoſarum concretionum ſolutione remediis jam deſcriptis, & unicuique in propria praxi obviis, cur ſuſpecta erit mercurii adminiſtratio? Si ab ipſomet, ceteris fortaſſe omnibus activiore, tolli, extenuari, & in nihilum redigi poſſunt omnes illæ colliformes amurcæ, quibus ſabuloſæ arenulæ, fortaſſe disjectæ, ſolidantur, firmanturque invicem.

HISTO-

(1) Vide Medicam Langianam Praxim de morbis circa urinam, pag. 65. ubi agit de ulcere veſicæ *a diureticis crebrius uſurpatis*.

(2) In ipſo paroxyſmo doloris nephritici *lithontriptica, & aperientia medicamenta obſunt magis, quam proſunt*. Baglivus lib. I. Praxeos Medicæ.

(3) Fridericus pariter Hoffmannus in Conſultationum Centuriis, Sect. III., caſu LXXV. laudat laxantia, decoctiones, lac, *quibus ſpaſmi, doloreſque ſopiuntur, & partes pauliſper relaxantur, ut commode tranſire poſſit calculus*.

(4) Recueil d' Experiences &c. In Parigi, preſſo il Piget 1740.

(5) *Richardi Mead Medicinæ Doctoris Societatis Regiæ Socii, & Medici Regii*.

HISTORIA XLI.

URINÆ PROFLUVIUM.

127. PErennes vigiliæ cum ſudoribus ſex abhinc annis enatæ in N. N. habitus picrocholi, cum ſucceſſivo iſchiadico affectu, & acuto pone ſiniſtram aurem dolore, mox totum occiput occupante, necnon morboſis circa ventriculum ſenſationibus, ſicuti purgationes, dulcificantia, ſanguiniſque miſſiones olim poſtularunt, ita indicare videntur nativam, ne dicam hæreditariam, liquidorum ad acerrimo-ſalinam indolem, ſolidorum vero ad ſiccitatem, & corrugationem inclinatorum, texturam; itaut aliquibus accedentibus in victus regimine erroribus, pereunte æquilibrio, ægrotare coactus fuerit.

Quibus quidem poſitis, & pro veris habitis, nil mirum, ſi frequentiſſimis itineribus, intimius commota animali œconomia, capite præcipue a ſolaribus radiis verberato, immutato eduliorum, & vinorum genere, & multiplicibus negotiis indeſinenter implicito, & tranſverſum acto, duobus circiter abhinc menſibus Nob. Æger diarrhæam contraxerit, ipſaque ſuppreſſa, poſt decem dies in promptu fuerit febris, in primo inſultu frigidis ſtipata horripilationibus, proindeque cum aliquo lateris dolore, ſanguineum emerſerit ſputum. Cum enim illud ſit morboſum in ſiccis corporibus fibrarum ingenium, ut quovis irritamento in axim niti, & quodammodo corrugari debeant reſultantes ab ipſis vaſorum omnium coordinationes, facillime contingit, ut hæmatis orbis intercipiatur; ideoque aut media acritudine ex corroſis ſudet parietibus, aut ex adveniente unda adauctus, fractis ob inflammatorium impedimentum, divulſiſque villis, quærere locum cogatur.

Quia vero mediis caſiæ floribus, iteratiſque ſanguinis miſſionibus, emulſionibus, aqua Nucerina, & lactis ſero, jam ſufficienter ab acuto morbo evaſit; ſi bene tuam, doctiſſime Garuffe, mentem aſſequor, illa adhuc duo ſuperſunt, quæ ante oculos ponenda ſunt. Primo nempe urinæ profluvium, quod antehac incœptum, in præſens cum aliquo ſiniſtræ renalis regionis dolore magis acutum videtur.

Secundo totius corporis macritudo, & nuperis hiſce annis ægrotandi veluti facilitas, ob quæ in præſens ponenda ſunt Medicæ artis præſidia.

Licet

Licet tamen mictæ urinæ quantitas, vitio primæ digeſtionis, exque patulis brevibus viis, & deferentibus ad veſicam poroſitatibus, poſſit pendere quia multoties alba, cruda, & aquea eſt; aut ex renum debilitate, & veſicæ colli laxitate, ab univerſali ſiccitate abſcedentibus; nihilominus probabilis viget conjectura, morboſa hæc ſymptomata ab eadem univerſali cauſa deſuper jam deſcripta oriri; atque, intervenientibus gaſtricis, pancreaticis, bilioſis, & ſynovialibus ſuccis, a dulci, & naturali craſi aberrantibus, fibrarum, & contractilium villorum omnium ſyſtema vellicari, adeout, auctis ſupra interfluentia liquida ſolidorum momentis, ſubtiliora, & ſeroſiora exprimantur, mediiſque emulgentibus, utpote magis apertis, per imum facilius veſicæ emiſſarium ſeparentur. Cujus quidem morboſi effectus innovatione, ac perpetuitate, lapſantibus indeſinenter lymphis, nutritio etiam vitiatur, balſamica, homogenea, ſebacea, unctuoſa diſſolvuntur, non aptantur, non quieſcunt, & ecce macies.

Abſit tamen, ut diabeticus fluxus in præſens pertimeſcendus (1) ſit, longe enim ab Ægypto (2) vivimus; adſunt quippe vires, lotium ſuperat naturalem quantitatem, ſed ſine exceſſu, & non ſemper cum potu concolor (3), illi pinguedo non ſupernatat, corporis alioquin neceſſaria humectatio, tempore acuti morbi, illud auxit; deeſt febris, & interna ſitis, favet ætas, tempus, & Clarenſis adſtantis Profeſſoris ſolertia; reliquum igitur tantummodo eſt, ut ancillentur, opemque ferant remedia illa, quæ poſſint viſcerum æſtum temperare, ſalia abſorbere, ſolida laxare, hæmatoſim perficere, corpuſque nutrire.

Omiſſa itaque vitandorum omnium deſcriptione in caſu, ubi neque (4) purgandum, neque minuendum eſt, ſed potius addendum; admodum probamus conſervam floris caſiæ cum tamarindis, quoties aut calor, aut alvi difficultas, aut ſumendorum neceſſitas poſcant.

Deinde opus pertentandum lacte aut ſolitario, aut cocto, aut cum aqua ſoluto, aut in alimentis, prout ventriculus magis ferre poterit, præmittendo pulverem teſtaceorum. Quo quidem

(1) Quem ipſe Galenus 6. de locis affectis cap. 3. bis tantum vidit.

(2) Ob potum aquæ Nili frequens inibi eſt diabetes. Videatur Rabbi Moſes, parte VIII. Aphoriſmorum.

(3) Signum diabetis. Paulus Sorbait, in Medicina Practica, tract. I.

(4) Id docente Sennerto Practicæ lib. III. Parte VII.

dem votis non reſpondente, ſubſtituendum eſt ſaccharum lactis aſinini, aut lac artificiale ex aquis deſtillatis lactucæ, plantaginis, portulacæ, anguriæ, nympheæ, & amygdalis dulcibus, additis terra lemnia, magiſterio perlarum, & corallorum, ſuccino, & papaverinis, ſi lubet. Cum enim quies in liquidis producenda ſit, ipſa etiam *narcotica* licita videntur. Poſt hæc, carne viperina, radice chinæ, ſantalis, raſuris nutriens hauſtus erit parandus, & omni mane ſorbillandus, non omittendo gelatinas cornucervi in domeſticis juſculis. Sique urinæ profluvium incrementum ſumeret, renali etiam regioni apponi poſſent fomentationes ex nepeta, porcinæ fabæ foliis, hyoſciamo, & ſimilibus, quibus magnus Hippocrates aquoſos mulierum fluores (1) ſedabat. Vitet mentis labores, & corporis motum, tam ſuper rhedam, quam ſuccuſſatores factum. Vitet fructus horarios, ſalſa, acida, carnes aſſas, amet elixas, quietem, ex qua nutrituræ maſſulæ aptantur, & nutritio perficitur.

OBSERVATIO
IN URINÆ PROFLUVIUM.

128. IN urinæ profluvio mictum vinum rubrum (2), amygdalarum lac (3), ſemina coriandorum (4) non eſt, cur memorem; cum plura ſuper hoc argumento alibi (5) jam a nobis ſcripta ſint. Multo minus refricabimus rationes illas, quas numero de fluore albo (quoniam ipſe Sydenham. paria (6) præſcribit remedia), non tam facile ſupprimendo, propoſuimus; cum interdum hydrops ipſa ad matulam ab utili lympharum omnium excretione pendere poſſit. Miſſis igitur imarum partium debilitate, & deferentium pareſi, id medentis obtutui præſens eſſe debet, ſcilicet fere ſemper a ſanguinis acrimonia præceps lotii fluentum, ſoluto præcipue epinephridio, originem trahere. Qua de re incraſſantia, temperantia, vaginantia indicata ſunt, itaut ſalini apices nec fluida ulterius ſcindere, nec ſolida cum mejendi ſtimulo poſſint vellicare. Videatur Zacutus Luſitanus (7), qui lacte aſinino chalybeato, & cum phylonio perſico permixto, dipſacum deſperatum curavit.

HISTO-

(1) Lib. II. de *Fœminarum morbis*, pag. 178.
(2) Hoefferus in *Hercule Medico*, pag. 171.
(3) Hildanus in *obſervationibus*, cap. V.
(4) Joannes Pigræy in *ſua Chirurgia*.
(5) In tract. de *Aquis Brixianis*.
(6) In Proceſſ. integro de *Morbis cur.* pag. 711.
(7) Lib. II. Prax. *obſerv.* 7.

HISTORIA XLII.

ULCUS VESICÆ IN VENETO MERCATORE.

129. Ulcere colli veſicæ Patientem laborare, demonſtrant tum dolor, qui actu mejendi circa regionem perinæi exacerbatur, tum ſanguinis mictus per intervalla recurrens, accedente perenni ſtillicidio mucoſi, albi, & tartarei ſedimenti ad fundum matulæ; quod cum uſque ab infantia obortum fuerit, & indeſinenter nunc magis, nunc minus virulentum, & auctum per excretoria urinæ incernicula defluxerit, nil mirum, ſi in præſens profundius inſculptum, internoſque veſicæ parietes depaſcens, remediis, & quibuſcumque alexipharmacis reluctetur. Quod autem ultra ſolius muſculi confinia ſerpat, & veſicæ cavitatem occupet, ſuadent non minus puriformis ſedimenti quantitas, quæ magnam oſtendit interjacentium vaſorum corroſionem, quam præcedens, & univerſalis cauſa a toto pendens. Cum enim aliquando etiam renalibus doloribus vexaretur, ſintque fere ſemper inferiorum cruciatuum præludia, arguendum eſt, ex liquidorum dyſcraſia ulterius fundi, & liquari maſſam ſanguinis, proniorique lapſu, mediis emulgentibus, ad renales theças corrivari. Cumque & ibi forſan, ut in veſica, coæva lateat debilitas, & interjacentium glandularum, & folliculorum inertia, per conſequens læditur ſeparationum ordo, internæque canalium, & viarum ducentium tunicæ abraduntur, ſollicitantur, convelluntur; ideoque aut vitioſe dehiſcentibus, aut convulſive oſcillantibus extra naturæ leges, fit multigena humorum expreſſio nunc magis, nunc minus cruenta, nunc filamentoſis, albiſque maſſulis turgida, quæ ſi attenta ſalebroſi ductus ruſticitate, præcipue ad internum urethræ oſculum, ſibi invicem in amplexus ſolidantur, urinæ tranſitum impediunt, irritamenta in affecta parte revireſcunt, & augentur, donec deſcendentis urinæ impetu, aut externa preſſione morboſum repagulum dimoveatur, & ex meatus urinarii anguſtiis exeat.

Hujuſce propterea morbi ſedes, ac cauſa in univerſalibus liquidis, & in peculiaribus ſolidis, urinæ ſcilicet elaborationi, & tranſitui inſervientibus, quærenda eſt. Quarum prima in poſtremis ſtatuenda videtur. Cum enim uſque ab infantia album ſedimentum in urinis lateret, beneque nutritus, & va-

lens ad juventutem pervenerit, ſtat profecto, aut a matris utero, aut a noxio nutricis lacte prima morbi ſemina contraxiſſe, quæ pedetentim, & profundius inſculpta, ſæva hæc in præſens ſymptomata producat. An vero ulterius de latenti lue venerea in nutricis venis dubitandum ſit, mihi non ſatis conſtat. Hoc certum tantummodo eſt, aut ab intus genita, aut adventitia, eaque muriatica, & infenſiſſima aciditate morbum augeri, & viciſſitudinario lacrymabili motu ab univerſali ad affectam partem, & contra, ſymptomata reciprocare. Cumque, inſcio Ægroto, urina pedetentim deſtillet, coniiciendum eſt, vel conſumptas ab ulcere eſſe circulares muſculi fibras, aut ad atoniam diſpoſitas; ideoque periiſſe ſpirituum animalium influxum, & irradiationem: quod apprime elucet ex eo, quod non tam a violentiſſimis doloribus conqueratur, ſcilicet ob organorum laxitatem, & aliquatenus ſufflaminatum nervoſi laticis influxum. Quod ſicuti hoc certo contingere circa urinæ promptuarium ſtatuendum eſt, ſic ad expiſcandam veritatem, ulterius arguendum eſſet, hocne vitium in aliis glandulis, viſceribus, chylique officinis lateret, neque ipſo cordis thalamo parceret. Idque potius affirmative probant calor, & humiditas temperamenti, ſqualidus faciei color, & vitiata nutritio, quæ licet deficere non videatur, attamen ex pallidis genis, ex debilitate ad motum, plenitudo videtur potius pendere ex mora ſtagnantis viſcidiuſculæ lymphæ in ſubcutaneis miliaribus, & ſebaceis glandulis, ubi minor niſus muſculorum, major laxitas incerniculorum, quæ ſemper mora augetur, quam in roridæ humiditatis homogenea coaptatione, in qua opus perfectæ nutritionis conſiſtit. Præterquamquod perennis hæc aquoſi laticis ſcaturigo, qui & defluit, & corpus circumquaque replet, nonne vitio ſane pancreatis, effœtæ bilis, & glandularum meſeraicarum promovetur, atque a vapido ſanguine, ſeri conſortium reſpuente, morboſe perficitur? Quo ſane poſito, & viſcera penitiſſimis emphraxibus laborare, & glandulas conglomeratas infarciri, arteriarum anaſtomoſes obcæcari, neceſſum eſt, accedente organorum inertia, & in dies fatiſcentibus oſcillationum momentis.

In arduo autem hoc diſcrimine ventriculi prius digeſtiones actuandæ, maſſa ſanguinis corrigenda, excrementitii humores alio vocandi, urinoſi ſales cicurandi, *ſcabioſa*, ut cum Oribaſio loquar, *veſica*, & depaſcens ulcus detergendum, poſtea con-

conſolidandum , & emergentibus ſymptomatibus ſedulo incumbendum , admonente Hippocrate , antequam *veſica penitus ſcindatur* .

Cum autem obſervata fuerit in præteritis ſanguinis miſſionibus obſcura lenteſcentia craſſis referta particulis , circuitui reluctantibus , ſeroſo forſan apparatu ſejunctim , & in lymphaticis tantum canalibus confluente ; attente animadvertendum erit circa venæ ſectionem , quæ indicatur a ſanguinis lentore , prohibetur a dominanti ſero . Raro itaque executioni mandetur, & in parva quantitate, ad motum potius conciliandum , quam evacuationem , ſemper ex manu . Nec ſpernendæ in eodem fonte injectiones , quæ licet quoad practicum uſum, & Ægri querimonias , difficiles videantur , cum projectus medio ſiphone medicamentoſus liquor ſuperare non poſſit coeuntis muſculi impedimentum , niſi argenteo cathetere veſicæ oſculum aperiatur ; attamen quiſque videt , quod , quandoque poſſunt adhiberi (1) , ſed raro , ſemelque tantummodo in die , ne frequens ſtimulus & cruoris exitui , & inflammationi viam ſternat . In caſu tamen noſtro cum indeſinenter abſque voluntatis nutu ſtillicidium defluat , ſic quoque & ablutio urethræ oſculum facilius pervadet , & meatus reſiſtentiam , & difficultates poterit ſuperare . Laudatur præ aliis aqua tetutiana , lac , & ſuccus cyclaminis cum melle roſato , aut cum cucumeris ſemine (2) , dein vinum album alteratum ſcordeo , & dictamo cretico , & tandem ovi candidum cum pompholyge , vel decoctio chalybeata vulneraria , additis fol. plantaginis , & roſ. rubearum , polygoni , conſolidæ , floribus hyperici , & meliloti , opus perficiet ; ſuperaddito cataplaſmate *ex palmulis , uva paſſa, galla , acacia , hypocyſtide , alumine &c.* (3) .

Vigentibus vero paroxyſmis , atque doloribus , palliative agendum , unguento ſcilicet populeon , & philonio , aut fomentationibus , inſeſſu , & inde unguento malvino , oleoque de cucurbita pars oblinienda .

Caute vero diureticis utendum ; quia etſi refractis viribus ad veſicam perveniant , attamen per partem affectam evacuant, qui modus ſemper ſuſpectus , ut alibi diximus , eſſe debet . Vitatis purgantibus , lenientibus alvus promovenda , & proinde ammoniacalibus ventriculi per epicraſim rugæ detergendæ , in-

(1) Id etiam præſcribit Galenus , V. meth. Med.

(2) Ut ſuadet Paulus Aegineta .

(3) Ibidem .

teſtinalis tubus mundandus, & vaſa chylolymphica adamuſſim expianda ſunt, ut ad ſanguinis clauſtra expeditior pateat, & alimentorum, & medicati libaminis aditus. Duplex autem methodus, utraque rationalis, ſe nobis offert. Una facilis, plana, ſemperque uſque adhuc adhibita, quæ morbi augmentum compeſcat, ſalina ſpicula diſſolvat, ſanguinis calorem temperet, & fermenta omnia reddat vegetiora, quod & in præſentiarum moliri poſſet mediis chalybeatis, viperinis, gelatinoſis, lacteis, & anteſcorbuticis. Quæ utique omnia juvare deberent, ſed integre curare non poterunt.

Facem itaque præferente Raymundo Joanne Fortis (1), alexipharmaco, & ſudorifero decocto opus tentandum eſſe cenſerem, hacque ſecunda methodo incederem. ℞. ſalſaperill. ell. rad. chin. ãa. ʒ. ß. ſantal. alb. ſaſſafras, lentiſc. e Chio ãa. ʒ. ii. antimon. crud. lapid. pum. ãa. ʒ. ß. inf. per noctem in aq. com. ℔. ii. mane bull. ad conſumpt. tertiæ partis pro duabus vicibus, hoc eſt, ſummo mane, & poſt prandium longe a cibo, & cum iiſdem lignis f. decoctum ſecundarium pro potu ord. per dies quadraginta.

Dum hæc fiunt, doliola aqua ferventi repleta, omni mane ad latera patientis ponenda ſunt, & ſuaviter ſudores promovendi per quadrantem, per dimidiam horam, per integram, ſi lubet, habito reſpectu ad ſudoris majorem, vel minorem promptitudinem, atque ad accidentium ſyndromen. Cum enim curationis cardo conſiſtat in eo, quod longe a veſica ſeroſum fluentum derivetur, itaut pars affecta ſiccetur, atque ad conſolidationem diſponatur; nemo non videt, eliciendi ſudoris neceſſitatem, qui dum ad corporis ambitum effloreſcit, non liquante, ſed roboranti libamine renovatur, ſicque tota ſanguinis unda & immutatur, & reficitur. Et licet fieri non poſſit, quinimo lethale foret, omnem urinam alio divertere, attamen ex minori ejuſdem quantitate neque veſicæ ulcus irrigatur, neque ſtillicidium, aut mingendi conatus ſollicitatur, ſicque veſicæ cavitas ad minorem extenſionem, & motum, atque ad aliquam ſiccitatem perducitur. Subinde pilulæ balſamicæ in uſum poni poterunt ex corallis rubris, belzoino, & balſamo de copaya, ſuperbibito hauſtu aquæ tepidæ ex andrachne, aut anguria deſtillatæ, aut *ei detur Ammoniacus bolus, aut ferularum uſtarum cinis, quantum tribus digitis prehendi poteſt cum paſſo*,

(1) In Conſultationibus.

paſſo , aut malabatrum menſe Majo collectum , aut denique ſubſtituendum remedium , quod memorat Archigenes in epiſtola ad Atticum : nempe papaver album toſtum inſperſum in decocto juncis rotundi odorati , calami , & glycyrhizæ , aut pini cortex , tanacetum , pompholyx , aloe , & cucurbita cremata , quæ proponit Oribaſius (1) , aut denique *medicamentum renale ex bellariis* , quod ad veſicæ , ac renum ulcerationem olim adhibebat Paulus Aegineta (2) .

OBSERVATIONES
IN ULCERA VESICÆ .

I.

Diuretica vitanda ſunt .

130. SI forte aliquis in hoc caſu opinaretur , ſpina celtica (3) , aut aliquo diuretico arcano , eoque fortaſſe activis viribus prædito , morbum tolli poſſe , præter ea , quæ in conſultatione diximus , ſciat , ſummopere diſtare a noſtra medendi methodo , quæ potius contradiuretica , ſit verbo venia , ſi darentur , in hiſce anguſtiis meditatur . Manet ſiquidem alta mente repoſitum , quod ſcripſit Raimundus Joannes Fortis (4) (5) , & rationi conſona nobis videntur illa , quæ n. 124. de diureticis jam diximus ; tanto magis quia vidi paucos laborantes , abſque frequentiſſimo mejendi ſtimulo , qui , ut quiſque videt , ne totum corpus cum pinguedinis diſſolutione colliquetur , augendus non eſt .

II.

Caute liquores medicati in veſicam adigendi .

131. DE remediis pro ulceris curatione in veſicam adigendis quiſque propriam conſulat praxim . Plurimi enim ſunt, qui detergentes , mundificantes ; plurimi , qui adſtringentes , conſolidantes deprædicant ; nec deſunt , qui ſpiritum mercurii dul-

(1) Cap. CII.
(2) Cap. II.
(3) Quæ in *Styria* , & in alpibus *Tyrolis* creſcit , quæque *in urina cienda adhibetur*. Vide Pharmacopœam Schrodero Hoffmannianam , Claſſe I. pag. 487.
(4) In Conſultationibus , & Reſponſionibus medicinalibus , pag. 390. *Humores igitur alio avocandi* .
(5) Trallianus pariter lib. IX. cap. 5. narrat ſe curaſſe ulcus veſicæ *incraſſantibus* , *aglutinantibus* , *mucoſis* , *oviſque crudis nuper excluſis* .

dulcis (1) in aliquo vehiculo, interdum vinoſo, diſſolutum mille laudibus extollant. Veritas (ſæpe vidi) una eſt, quod Patientes viri, poſtquam primam, vel alteram medio metallico cathetere ultra veſicæ collum injectionem tulere, potius cum antiquo morbo amant conſeneſcere, quam, per tormenta (2) multoties inſtituta, curationem pertentare.

HISTORIA XLIII.

FEMORIS FRACTURA.

132. NOb. Patiens ſexagenarius, temperamenti calidi, & humidi, habituſque athletici, ex ſanis Parentibus genitus, hypochondriorum obſtructionibus olim, aliquando vero arteriæ deſcendentis pulſatione vexatus, duobus abhinc annis conqueri cœpit de inteſtinorum doloribus, qui circa pancreatis regionem ad umbilicum uſque deſæviebant, & etiam citra manifeſtam cauſam exacerbabantur. Adhibitis propterea remediis purgantibus, ſcilicet oleo ſeminum lini, amygdalarum dulcium, aquis thermalibus, rhabarbaro, ammoniacalibus, aliiſque quamplurimis, in pejus ruere viſus eſt, rorida humiditas abſumi, fibraque exſiccari. Quapropter elapſo poſtremo vere, facta conſultatione, in eam deveni ſententiam, a remediis cujuſcumque generis eſſe abſtinendum. Solo itaque diætetico regimine ad plures menſes exulantibus fæliciter doloribus, neſcio quo fato, die ſecunda Julii præteriti, dum rheda vehebatur, equis ex improviſo fugientibus, ſatius duxit deſilire, quam ex frementium ſuccuſſatorum feritate in profundius trahi periculum. Conſilio idcirco in arena capto, neſcio an dixerim timens, an nimis generoſus Vir, paulatim deſcendens ſupra lateralem perticam, ambobus prius erectis cruribus, ſe dedit præcipitem, & pronum ſupra terram; ſed ſcyllam vitaturus, offendit charybdim, majorem ſcilicet vehiculi rotam, quæ e veſtigio ſuperveniens dexterum femur fregit. Ob id ad propriam domum translato, facta extenſione, fractique oſſis ad extremitatem mutua coaptatione, totaque induta faſciis, & ſubligaculis, coxa in recto, & plano decubitu, ut ajunt, ſervata fuit, abſque tamen capſula lignea, quæ ſuſpecta ipſi fuit

(1) Vide Paræum; Hildanum.

(2) *Catheteris uſus periculoſus*. Gal. 4. Meth.

it Hippocrati (1), & parvi prope truncum emolumenti.

Die morbi decimaſeptima, dum in alterum lecti latus tranſfertur, vix mota ex ſuo alveo laboranti coxa, ex diverſis operantium viribus mutata directione, & rectitudine, oſſium crepitus Adſtantium aures, & cor feriit, ideoque iterum intra ſuam ſedem pars, abſque novo fracturæ chirurgico examine, manibuſque reaptato coalitu, qui utilis fuiſſet, collocata fuit.

Paulo vero poſt, inteſtinorum dolores circa abdominalia viſcera ſævire cœperunt, antiquam veluti ægritudinem ſimulantes, qui tamen, utpote ex fæcum tarditate, clyſteribus, & ſuppoſitoriis adhibitis evanuere.

Nunquam tamen evanuit inferni cruris, quaſi duplo majoris tumiditas, quæ licet in luxatis, & fractis frequens ſit, præcipue ob præpeditum ex circumligaculis liquidorum circuitum, attamen verſus ſexageſimum ſenſim dureſcente glutine circa oſſium extremitates, laxatis aliquatenus faſciis, ſeptuageſimo die adhuc ſubſiſtere viſa eſt, impedito omnino cruris motu.

In hoc rerum ſtatu in conſilium vocatus, adnotavi primo male conjunctum femur, quod quidem cum oblique fractum in medio fuerit, in anguloſum mucronem deſinentibus ambobus oſſis capitibus, & deficiente in extremitatibus planitie, declinato occurſu ſejuncti femoris apices viceverſa carneis fibris infixi, obtemperare debuerunt contractionis nervorum motui; ideoque tota coxa per digitum tranſverſalem decurtata eſt, ut admotæ patellæ docuerunt, cum metu etiam, ne juncta oſſis extrema variis acuminibus aſpera, adhuc per aliquod ſpatium diſtent inter ſe, alterum enim ſub cute protuberat. Quia tamen jam conſtabat de aliqua nodoſitate, & glutinis formatione, ut manuum tractatio, ſublato ſine coxæ flexura pede, ſuadebat; ſic qualiſcumque eſſet unio in tali ſtatu, relinquendum putarunt, optando ut in majorem duritiem ſolideſceret, aptaque forſan fieret ad ſuſtinendam corporis molem.

Suſpectæ ſecundo fuerunt qualeſcumque affecti pedis tractiones, quæ, ut ad debitam extenſionem perveniat, tantummodo actu primæ repoſitionis faciendæ ſunt, propriis Chirurgi manibus, miniſtrorum adiumentis, ipſoque Polyſpaſton, quod olim ab Archimede inventum fuit, ut eruditiſſime exponitur a No-

(2) Capite de Fractis, pag. 636.

a Nobili , & editis Operibus celeberrimo , Comite Joanne Maria Mazzuchelli (1). Proindeque alta ſemper quiete debet decumbere (2) , exemplo cujuſcumque plantarum inſitionis , aut lignorum glutinamenti .

Tertio , obſervabile fuit per tres digitos tranſverſales decurtatum crus (admotis recto Ægro infernis artubus, affecti calcanei extremo ſani ſiniſtri cruris interno malleolo reſpondente) ideoque detracto tranſverſali digito , quem rapuit ſupra genu femoris rupti dicta duplicitas , adhuc tamen ſolum crus a genu ad pedem per duos digitos brevius altero reperitur .

Poſt hæc , quæ veris ſimillima nobis viſa ſunt , ad explicandam cruris brevitatem diu hærere coacti fuimus , adhucque hæſitamus incerti , utrum ob ſepultam oſſium compagem examina effugientem , integra , aut dimidia luxatio artis auxilia poſceret , & difficiliorem redderet curationem , juxta illud adagium a Practicis melioris notæ ſcriptum : *Pars luxata decurtatur* .

Quoniam vero Patiens ſyphilide, ab aliquibus muſſitata , vix laboraſſe ſciat , viribus polleat , bene dormiat , veſcatur, & univerſale, dempta parte , æquilibrium hactenus polliceatur , licet levi per intervalla tumore in juventute circa talos vexaretur , per totum tamen morbi decurſum , crus eandem figuram ſervavit ; quare relictis rationibus , quod humorum defluxus oſſa læſerit , reliquum eſt , ut opinemur , in primo ſui jactu ſupra inæquale ſolum , infelici ejuſdem lateris ſolo , ſollicito nimis pede , impetum forſan recipiente , & duplex infortunium obeunte , aut læſionem in genu , aut divulſionem tibiæ a fibula (3) , aut ipſarum infernam unionem , & apophyſim aſtragalum diduxiſſe ; patenti integra fractura chirurgicum opus poſcente , neglecto , atque præterito cruris examine. Non enim omiſſo femore, ima cruris brevitas explicari poteſt , quam admiſſo oſſium vitio : quod ſuadere videtur morbi diuturnitas quintum menſem exſuperans , partis profunda durities , & nitor interdum cum aliquo rubore , perennis uſque ad calcaneum immobilitas , & meis oculis malleolorum latitudo , ſcilicet uni ab altero interna longinquitas, quæ attento obſtruente farcimine , in articulorum interſtitiis forſan concreſcente , & gummato examinari non poteſt.

Obſtant

(1) Notizie iſtoriche e critiche intorno alla vita , alle invenzioni , ed agli ſcritti di Archimede Siracuſano , pag. 40.

(2) Hippocrates pag. 625. Tract. de Fractis.

(3) Vide Paræum , Tractatu de Luxationibus , pag. 457.

Obſtant vero, & ſupradictam noſtram conjecturam infirmant adſtantium Clinicorum, a nobis alioquin magnifactæ opiniones, ex nervorum contractione cruris brevitatem deſumentes; obſtant recta pedis figura, & dolorum abſentia, aliquis, imperfectus tamen, pedis motus, nulla inflammatio, nulla convulſio. Sed ſi nervorum contractio breviatos redderet artus, in ſpaſticis, & tetanicis affectibus mutili, & claudi homines ſurgerent e lecto: multæque juncturæ neceſſariæ eſſent, ut in examinanda parte ſe invicem prementia oſſa, ſubtilioribus factis cartilaginibus, & veluti contuſis articulationum ſummitatibus, ex majori adhæſione pars decurtari poſſet: ſed cum crus corpus indeſinenter jam ſuſtentet, ad ulteriorem contactum oſſa urgeri non poſſunt. Addamus tibiæ pariter, & fibulæ non fractæ crus componentis longitudinem, quam ſine piaculo breviorem nemo diceret: ideoque, quando ipſarum divulſioni brevitas non reſpondeat (reſponderet, ſi eſſet admodum exigua) dubitandum ſupereſſet de genu, aut talo. Quandoquidem decurtationis non ſemidigiti, ſed duorum integre tranſverſalium ratio quærenda.

Si morbus eſſet in genu, pedis proportio non mutata nihil probat. Si vero eſt in talo, animadvertendum ipſum anterius, poſterius, in latera, quod difficilius, ob malleolorum reſiſtentiam, luxari poſſe. Quæ omnia evidentiſſima ſunt: ſed poſſe etiam inferiorem tibiæ cum fibula unionem diducere, & veluti aperire, abſque eo quod neque anterius, neque poſterius aſtragalus cavitatem, atque protuberantiam faciat; præcipue ſi leviter ſuperiorem apophyſim violaverit, adeoque, adhuc intra malleolos incluſus, nullibi promineat, & abſque ulla contorſione pes ſuam habere figuram videatur, tumore lumen obtenebrante.

Circa fractum femur per totum morbi decurſum nullam unquam mentionem fecit alicujus doloris, ubi tam magna continui ſolutio, perioſtei diſcerptio, & carnearum fibrarum ab oſſeis apicibus læſio. Nil igitur mirum, ſi in affecto crure nullus dolor, ubi nulla divulſio, nulla corroſio, nulla vellicatio, nulla diſtortio, ſed ſolummodo decurtatio, ob quam nervi, tendines, & vaſa in latitudinem craſſeſcunt, ampliantur, & in illa veluti mollitie, ab innoxiæ lymphæ accurſu aucta, fibræ omnes humectatæ, & laxatæ ſine dolore quieſcunt.

De ſuperſtite pedis motu ultra non loquar; quandoquidem

ſi irradians motorius nervus offenſus non fuit, ſique recta proportio ſubſiſtit, calcaneo, nec metatarſis in latera declinatis, & motùm a talo infra, ubi integra pedis ſalus, poſſe perſeverare, quis negaverit?

Quando femoris caput ab acetabulo coxendicis exit, & magnam luxationem conſtituit, nihilominus videmus, claudos licet, Ægros ad milliaria incedere, ſcalas ſine dolore aſcendere: ergo in luxationibus non ſemper motus partis perit.

Ad inflammationem, & convulſionem quod attinet, perpetua partis affectæ, totiuſque corporis quies, & diæta ſanguinis impetum retardarunt. Et quamvis albæ venæ, intercutaneæ glandulæ, & interſtitia, quinimo ipſæ forſan membranarum poroſitates, & muſculares fibræ exundantibus ſcateant lymphis, attamen interno ſanguiferorum commeatu libero remanente, & media ſyſtole cruoris appulſus, & mediis venis ad cordis thalamum reditus feliciter, ſemperque abſque febri, reciprocant. Ideoque cum liquida quietem nacta, & amplum tumorem totius cruris conſtituentia, pendeant tantummodo ex particulis inſipidis, inertibus, aquoſis, atque ad fermentationem ineptis, neque inflammationes, neque ſuppurationes, multoque minus nervorum irritamenta, & convulſiva ſymptomata hactenus nata ſunt.

Quia vero hæc poſſunt eſſe, & non eſſe, videntur deſtruere non poſſe timorem vitii ſolidorum; quod mechanicis principiis demonſtratur, atque, ſi oſſa corporis formam, & rectitudinem præſtant (1), ad menſuram reducitur. Hoc eſt, quæſtio unico conſtat puncto: utrum ſcilicet humani artus, citra luxationem, nec quidem modice decurtari poſſint.

Quis enim erit in practica medicina tam hoſpes, in mechanicis tam parum eruditus, & proletarius, ut negare poſſit immenſum pondus, & percuſſionis vim, quam ſuſtinere debuit calcaneum? Quomodo ſubinde dictatoria certitudine dici poterit, internodia ne capilli quidem latitudinem a ſeinvicem diſtare, cartilagines oſſium vertices operientes non eſſe contuſas, tibiam, & præcipue fibulam, non fuiſſe incurvatas, & vitioſe forſan reſtitutas? Quæ cum fieri poſſint, poſt conglutinatum, licet ægre, femur, poſt centum tranſactos a conglutinatione dies, poſt diuturnam ſemper in lecto immobilis detinendi cruris neceſſitatem, non ad ravim uſque clamanda fluxio pro cauſa

(1) Hippocrates de oſſium natura, pag. 513.

cauſa morbi ſolitaria, ſed fatendum ſane erit, quod tribus abhinc menſibus propoſuimus, ſcilicet non coxam ſolum, ſed totum crus, excepto pede, ægrotare.

Denique poſtremis omnibus in dubium vocatis, quando citra formidatum, licet modicum, oſſium vitium, membrum extenſionem, & menſuram ſuam amittere poſſe, Patavina Oracula decernant, id unum dici poſſet pro ſtabilienda ægritudinis idea; contigiſſe Illuſtriſſimo Patienti, quæ ſcripſit Hippocrates (1): *Qui vero deſilierunt, calce ſeſe exceperunt, & ſuſtentaverunt, oſſa diſcuſſa ſunt, venæ contuſæ, nervi confracti, ſiderata, & læſa oſſa.* Ideoque, & in caſu noſtro, ob validam conquaſſationem, contuſionem, & impetum, totius cruris ſyntheſim ſubverſam fuiſſe; quapropter fatiſcente in dies ſolidorum vi, diſtractis, vel coarctatis fibrarum, & utriculorum ordinibus, confluentia præcipue alba liquamina ſtaſes, & congeſtiones produxerunt, quæ veluti fluxionarii effectus ſpretæ fuere, ſed in præſens tanquam morbi primaria ſedes medicam, & chirurgicam opem poſtulant.

In tanta igitur caligine, aut, ut melius dicam, mentis meæ imbecillitate, quia in hiſce rebus plena periculi commentatio, tua virtus conſulitur, Vir Illuſtriſſime, ut nobis lumen affundas, quod noſtras in hoc labyrinto dirigens curas, morbi diagnoſim explicet, & remedia indicet pro priſtina valetudine, quam Nobiliſſimo Patienti apprecatur, tibique ſua jugiter obſequia devovet.

Brixiæ 10. Decembris 1738.

CONSULTATIO

VIRI CELEBERRIMI

JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI

Publici Primarii Profeſſoris Patavini.

133. *ATtente, ac libenter legi, quæ Vir Clariſſimus ſcripſit, cauſam inquirens, quamobrem poſt fractum ante hos quinque menſes, & qui excurrit, os femoris dexterum Nobilis Viri, & feliciori ſorte digniſſimi, reſpondens crus non modo adhuc*

(1) Lib. de mochlico, pag. 657.

tumeat totum, & immobile ſit, ſed duobus digitis tranſverſis, ſi cum altero conferatur, brevius appareat. Nam cum totus artus inferior ſiniſter tribus digitis longitudinem excedat dexteri, neque ſiniſtra tamen rotula ultra unum digitum infra dexteram inveniatur; videtur hinc confici, de tribus illis imminutæ longitudinis digitis unum, haud amplius, femori, duos reliquos cruri eſſe aſſignandos. Quærit igitur infra rotulam cruris brevitatis cauſam, hancque conferendam præcipue coniicit in os tali, quod Nobili Viro ex rheda ſive deſilienti, ſive cadenti, ea vi ab alliſo ad humum calcis oſſe impulſum ſit, ut cunei inſtar adactum, imam tibiam a fibula diduxerit, ſeque inter utramque, ſi recte ejus mentem aſſequor, tantum conjecerit, quantum ad eam, quam dicebamus, cruris brevitatem intelligendam, & qui hanc conſequitur, ob laxatos videlicet muſculos, tumorem ſit ſatis.

Qua in rerum explicatione equidem mihi jam diu ſpectatum Clariſſimi Viri ingenium agnoſco. Attamen cum ipſe quoque, qua eſt ingenuitate, minime diſſimulet, quæ conjecturæ huic obſtant ſuæ, mihi veniam facile daturum ſpero, ſi eodem & veri inquirendi, & Nobili Viro inſerviendi ſtudio permotus, non reticeam, quæ me viciſſim ratio cogat aſſenſum adhuc ſuſtinere. Non quæram autem, num ejus calcis alliſionis revera vis tanta eſſe potuerit, quanta ſit oportet ad ligamenta, ſicuti celeb. quoque Winslovvius (1) numerat, quinque, eaque firma & valida in athletico præſertim corpore, penitus diſcerpenda, per quæ ligamenta, ima dumtaxat (nam cetera ſciens omitto) tibia, & fibula inter ſe colligantur: quæ res utique adeo difficilis eſt, ut horum utcumque disjunctionem oſſium Paræus (2) quidem olim, & noſtra ætate Clericus (3), Palfinius (4), Junckerus (5), aliique memoraverint, ſed tantam nemo eorum, quos nunc legiſſe meminerim, ut inter utrumque os adactum os tali vidiſſe ſe, ſcribat. Nec magis quæram, num in ejuſmodi parte, non carnea, ut medium femur, ſed tot tendinibus ſtipata, id fieri potuerit ſine ullo eorum ſymptomatum, quorum tum numerum, tum gravitatem intelligere ſatis poſſumus, vel ex funeſtis hiſtoriis, aut ſolius contorſionis articuli tali, aut luxationis infimæ tibiæ, quas Nicolaus Tulpius (6), & Theodorus Caroli (7) literarum

(1) Expoſition Anatomique. Traîtè des Os frais num. 175. & ſeq.

(2) Loco a V. Cl. cit.

(3) Chirurgie compl. Traîtè des Operat. qui ſe font aux Luxat. ch. 15.

(4) Anatomie du Corps Hum. P. II. Traîtè V. ch. 18.

(5) Conſpect. Chirurgiæ Tab. 65. n. 13.

(6) Obſ. Med. l. IV. cap. 50.

(7) Ephemerid. Nat. Curioſ. Decur. II. A. 6. obſ. 67.

rarum memoriæ mandarunt. Neque ob eum tandem, qui ſupereſt, pedis motum, inquiram, num iſtic habere locum poſſit, quæ præſtantiſſimus Saltzmannus proponit in diſſertatione de Articulationibus Analogis, quæ fracturis oſſium ſuperveniunt. *Hæc omnia ultro in præſentia ſeponam, eoque libentius, quod iiſdem docte, ingenioſeque occurrere voluiſſe video Clariſſimum Virum. Illud unum quæram: ſi talus igitur inter fibulam, ac tibiam intruſus eſt, qui fieri poſſit, ut malleolus interior præ exteriore tanto magis non promineat, quanto infima tibia præ ima fibula latior eſt, ſive ut pes totus nunc exteriori cruris lateri non reſpondeat? Neque enim ad tantum latitudinis tibiæ exceſſum occultandum, aut tumor iſtiuſmodi ſatis eſt, aut infimæ tibiæ epiphyſis leviter violata. Nam tumor neque immanis, & utrinque, ſi recte intelligo, pariter diffuſus eſt; levis autem epiphyſis violatio non ea eſt, quæ tantum aſcendere talum patiatur, quantum ad crus duobus digitis brevius faciendum requiritur.*

Unde igitur hanc cruris longitudinis imminutionem repetemus? non ſane a tibia, & fibula brevioribus redditis. Neque enim aut ea eſt ætas, aut ea perquam in adultis rariſſima, iſtic rerum conditio veriſimilis eſt, ut ejuſmodi oſſa curvari potuerint. Unum eſt os femoris, in quod veri ſimilior totius artus imminutionis cadere ſuſpicio queat, ut cujus fracturam oſſis, cum obliqua adeo contigerit, extremorum autem fracturæ alterum ſub ipſa cute protuberet, non difficile creditu eſt, ea ratione coaptatam nunc eſſe, quæ ad veram totius artus brevitatem efficiendam ſit ſatis. Ad veram, inquam; multum enim vereor, ne in dimenſionibus capiendis aliqua, ut in ita affecto artu, aut ad poplitem, aut ad calcem, minus facile animadvertenda angulorum contractio faciat, ne brevior, quam revera ſit, eſſe videatur. Illud etiam vereor, ne tendines forte, qui infra ejuſdem artus rotulam deſinunt, infarctu aliquo, ut in tumido crure, craſſiores, durioreſque facti, inferiores rotulæ fines quodammudo amplificent, ac producant, ut aliquid propterea de non vera brevitate cruri adiiciatur. Quorum niſi alterutrum, dimetientium, quantumvis diligentiſſimorum, ſolertiam eluſit, ingenue fateor, aut alia aliqua in Ægro latere, quæ ſint adhuc obſervanda, aut ex his, quæ mecum communicata ſunt, nihil præterea eſſe, quod ego quidem de iſtius brevitatis cauſa poſſim coniicere.

Quod vero crus adhuc tumeat, & ſine motu jaceat, utrumque in ea, quæ femori contigere, & adhuc contingunt, magna ex

parte

parte reiici poteſt. Muſculi enim, qui crus proprie movent, alii, hique robuſtiores, a femore exoriuntur; cuncti vero per femur ducuntur: per idemque omnia feruntur vaſa, quæ humores in crus invehunt, aut a crure avehunt, unde ceteroquin vel ante fracturam non facillime reduci conſueviſſe, antiquus lymphaticus, per intervalla, pedum tumor oſtendit. Quod ſi alia inter deſiliendum, cadendumve ſic affecto cruri læſio acceſſit (neque enim, ut tali aſcenſum, ſic aliam omnem inde profectam cruris noxam difficile crediderim) huic quoque in parte illud utrumque incommodum eſt imputandum.

Quid ergo mei conſilii eſt? Neque tantum ſupereſt animi, ut auctor ſim, iſta præſertim ætate, os femoris frangi rurſus, *ut Celſus (1) docet*, & dirigi debere, *quod os alioquin, ut idem (2) admonuit*, nunquam in antiquum ſtatum revertitur: *nec viciſſim animi tantum deeſt, ut omnia tempori committenda eſſe, cenſeam. Equidem a longo, meliorique tempore multum ſpero, ſi modo reſtitantes in crure humores inſipidi ſemper, inerteſque ſint, & ad fermenteſcendum inepti. Vaſorum enim, quæ in femore nunc preſſa, aut diſtorta ſunt, viæ ſenſim magis magiſque expediri, ac dirigi poterunt, ut partim adeuntes ad crus humores ea vi tranſmittant, quæ reditum ipſorum magis promoveat; partim redeuntes, aliquanto facilius excipiant, atque abducant; unde crus detumeſcere, minuſque propterea reſiſtere queat moventibus muſculis, quorum vires & ipſæ paulatim ſolent confirmari. Attamen ſiquid ſeri in ſanguine forte redundat, ſenſim cum per alvum, tum per renes hac præſertim tempeſtate ſubducerem, quo minus eſſet, quod poſſet in crure reſtitare. Huic autem quæ reſolvere, ac diſcutere valent, admoverem, leviora primum, deinceps, ſicut res procederet, ex ordine validiora; alia inſpergendo, alia ſacculis, hoc præcipue tempore, & veſicis incluſa. Meliori vero, ſi Deus annuerit, tempeſtate, uti interius diaphoreticis, ſic exterius, & fomentis, & balneis, & Euganeis præſertim lutis conniterer, ut vires accederent, tumor decreſceret. Qui donec perſiſtat, cum multimodis noxius eſt, tum certe prohibet, ſiquid in crure, ad imumque præſertim articulum, vitii ſit, ne facile dignoſci, &, quod gravius eſt, ne chirurgica manu, quando adhuc liceret, ullo modo allevari poſſit. Ceterum & vervecum ventriculis, atque inteſtinis nativo adhuc calore præditis, ſuus vel circa femur opportune eſſe poterit locus. Sed plura non addo, ignarus quænam, & quo ſuc-*

(1) De Medicina L. VIII. cap. 10. num. ult. (2) Ibid. num. 5.

ſucceſſu ſint hactenus adhibita. Quin & ipſa quæ attigi, ne ipſe quidem probaverim, niſi quatenus, & quando ab doctiſſimis Medicis, Chirurgiſque probentur, quibus res omnes, & ſtatus Nobilis Viri perſpecta ſunt, in primiſque ab eo Clariſſimo Viro, a quo in nonnullis ita diſſenſi, ut in aliis adſtipularer, in omnibus ſim, quoad potero, libentiſſime obſecuturus.

OBSERVATIONES
IN MORBI EVENTUM.

I.

134. PEr plures adhuc menſes totius coxæ ægritudo perſeveravit, cum magna affectæ regionis intumeſcentia, quæ longum meruit remediorum experimentum. Tandem, ſuperis, & naturæ inſito vigore annuentibus, ſolidato femore, detumeſcere cœperunt partes, poſtque leves pedis tractiones, & malleolorum compreſſiones a ſapienti Hiacyntho Mompiano præſcriptas, nobiſque interdum videntibus, a Chirurgis peractas, in magis extenſo crure pedetentim rediit infra rotulam longitudinis proportio, & articulationis motus: ad id ſumme conſpirantibus conſiliis non ſolum clariſſimi Antonii Pluda, qui agendis ſemper præfuit, ſed etiam docti, & in illa Medicinæ parte, quæ manu medetur, dexteri Viri Dominici Baſciocchi, qui in Florentina Academia Chirurgicis inſtitutionibus ornatus, atque non ita pridem ad curationes in majori Brixiano Xenodochio, & in hoc quoque caſu, pro re nata, accitus, de Nobiliſſimi Patientis ſalute, optime meritus dicendus eſt.

II.

Ratio claudiginis in Ægro.

135. PAtiens tamen incedit, ſed claudicat. Factum enim a nobis prognoſticon diſtantiæ inter fracti femoris apices, *per aliquod ſpatium*, morboſis evaneſcentibus lymphis, e veſtigio patuit; tamque una extremitas, inferna ſcilicet, in externo latere eminuit, adhucque protuberat, ut valde ab alio femoris trunco debeat neceſſario diſtare. Quare, ſicuti ſummopere admirandum eſt, quod in tanta interna continui ſolutione, & pediſſequa vaſorum laceratione, fermentacea humorum

rum corruptio non evenerit, & remota a ſe invicem oſſa nodus ferruminaverit; ita obvium, nec criminandum eſt, quod poſt jam factum fracturæ (1) gluten, ſero vocati Profeſſores, & parata ars, tantummodo, quæ in reliquis potuit, executioni utiliter mandaverit (2).

HISTORIA XLIV.

TENSIO IN ABDOMINE, ET MUSCULIS INTERCOSTALIBUS SINISTRI LATERIS.

136. MOrboſas ærumnas in conſultationibus Brixiam tranſmiſſis, & mihi a Veneto Patritio Petro Martinengo traditis, graphice deſcriptas, quas multis abhinc annis paſſa eſt Illuſtriſſima, & Excellentiſſima N. N. a labefactato chyloſis magiſterio, a fermentorum inertia, ab uteri ataxia, & hypochondriorum æſtu pendere conjectandum eſt; quæ omnia ab erroribus in victus regimine, ab animi pathematibus ulterius in motum poſita, atque ad nocendi aptitudinem evecta, talem dyſcraſiam in ſanguinis, & liquidorum maſſa pepererunt, ut vitiata inteſtini, & progreſſivi motus lege, per tranſpirationem, per urinas ſecedentibus ſubtilioribus aquoſis particulis, viſcidi lentores, fortaſſe peculiaris idioſyncriſiæ acido intercedente, in viſceribus, in muſculis, ſecundum ſiniſtram trunci rectitudinem decumbere debuerint. Quoniam vero timor (3) obſtructionum in liene ab obſervationibus clariſſimi Viri, Morgagni (4) ſcilicet, expulſus eſt, & poſtrema epiſtola (5) admonet, in præſens ſignanter Nobiliſſimam Mulierem

(1) Claſſici Auctores femoris fracturam abſque claudigine reparare difficillimum dicunt.

(2) Non enim in omnibus evenit, quod memorant Hildanus Cent. III. obſerv. 91., cujuſdam ſcilicet viri, in quo poſt *brachium confractum*, & *officulorum* exitum, *conſolidatis vulneribus*, nova quædam in fracturæ loco enata eſt articulatio; & Acta eruditorum Lipſienſium Tom. I. pag. 363. referente D. Silveſtro Medicinæ Doctore Pariſienſi: de altero Ægro poſt *fractum in tranſverſum ulnæ, & radii os*, qui vincturas qualeſcumque reſpuens, *e diverſo brachium commovere potius incœpit, huicque poſtea motui tali ſucceſſu aſſuevit, ut brachium vel in ipſo fracturæ flecteret loco*. Videatur adnexa Tabula VII. Figura III. exhibens oſſium conſtitutiones, in denato obſervatas, & perfectam, quaſi dixero, articulationem cum apophyſibus ſuis, ex ſuccreſcente callo efformatas: quod ſane mirandum, ſed non paſſim in Ægris expectandum eſt.

(3) In prima Conſultatione D. Petri Zoella: *Le opilazioni, che occupano nell' interiore li viſceri, milza, utero ec.*

(4) In ſecunda Conſultatione: *Ma non hogià potuto ritrovarvi o milza, o tromba, o glandula alcuna del meſenterio ec.*

(5) In Epiſt. D. Franciſci Vecchi 23. Novembris 1740. Sollecita la ſpedizione del parere Roncalli, particolarmente per la guarigione della preciſa tenſione.

rem ab aucta muſculorum intercoſtalium, & abdominis mole torqueri, & pro hac conſilium peti: jubet noſtrum onus, ut, miſſis iis omnibus, quæ jam deſcripta, aut fortaſſe facta ſunt, & caſum hunc circumeunt (agimus enim cum doctiſſimis Viris, quibus nihil ignotum eſt) in medium afferantur ea, quæ morbum hunc extirpare poſſent, ac deberent.

Neque vero ad tumidam muſculorum tenſionem quod attinet, morabor in illius formationis modo; cum quilibet vel leviter in phyſicis, anatomicis, mechanicis initiatus optime calleat, humanam hominis fabricam ſolis fluidis, & ſolidis tubis integrari, atque a primis in gyrum feliciter abeuntibus incolumitatem pendere. Qua lege, quoties mucilagines, & viſcidi humores in ſanguine dominabuntur, actu circuitus poterunt in hanc, vel illam partem decumbere, ut evenit propoſitæ Nobiliſſimæ Patienti, in qua aut coæva ab utero latuit ſiniſtri lateris ſolidorum debilitas, aut tractu temporis ab externa cauſa, aut ab interna, ſcilicet ob infarctum inteſtinum colon, & adjacentes membranas, compreſſio, interdum a flatibus, aut a corrugante aciditate fibrarum criſpatura, & ſiccitas, ob quas cauſas aucta pedetentim ſtaſi, tenſa, & in aliquam molem aucta durities omnibus remediis uſque in præſens reluctans, enata eſt. Quoniam vero annoſa ejuſdem perſeverantia inflammatoriam a ſanguine indolem excludit, abeſt atrabilare fermentum, quod tangendum non ſit; reliquum eſt, ut reſultans hæc ab albis potiſſimum lenteſcentibus liquaminibus unio, tenſio, & tumoroſitas attenuetur, ac diſſolvatur. Opus ſane magnum, ſed non adeo difficile, dummodo Patiens ad oblata, & aptanda ſe paratam exhibeat, præſcriptam ab Adſtanti diætam obſervet, hilarem vitam ducat, & non, more magnatum, & ſummarum perſonarum, ſed more ceterorum hominum medicæ manui obſecundet: ut apprime ad rem noſtram notat Ramazzinus in Orationibus jatrici argumenti; Commodi ſcilicet Imperatoris, qui a Galeno vulgare remedium voluit, & convaluit.

Duplici autem modo tentandum opus eſt; uno, qui internas cauſas reſpiciat, & tollat; altero, qui remediis ab extra applicitis tenſionem ſolvere poſſit.

Quia vero doctiſſimi Profeſſores in hoc caſu, de acido, de auſtero, de mucilaginibus, de oppilationibus, de obſtructionibus, uno verbo, ſemper de liquidorum lentore, morboſas hy-

pochondriacas etiam affectiones, nuncque ſuppreſſionem catameniorum producente, ſemper locuti ſunt; idcirco remedium illud adhibendum eſt, quod valeat etiam ultra inteſtinalem tubum in glandulis, in quibuſcumque utriculis, & viſceribus lenteſcentes amurcas ſolvere, atque ad inferius emiſſarium tranſducere. Pilulæ autem Belloſte hoc efficere poſſunt, & fortaſſe, Deo dante, efficient, ſi legitimæ a Taurino habebuntur, intercalatis diebus eiſdem utendo, etiam ſtatim in hac hyemali conſtitutione, & ad multum tempus. Nec timeat Nobiliſſima Patiens: centies enim, & ultra ipſas adhibui in delicatioribus, quin aliquid damni evenerit.

Laboranti regioni ſiniſtræ pectoris, & abdominis aptetur, ſed per hebdomadas, magnum illud arcanum Fulvii Gherli, jam num. 24. pag. 43. expoſitum.

Gruis adeps (1), emplaſtrum cicutæ, vel nicotianæ, vel ſtercorum anſeris, columbi &c. cum lixivio, aut urina pueri fabrefactum, tumeſcentis tenſionis diſſolutionem præſtare poteſt; præſertim ſi ad affectum latus Catellus Melitæus vivens frequenter accumbet, ſuoque calore, reſpiratione, & ſyſtole, applicitis remediis vim addet (2). Ad excitandam ventriculi digeſtionem, aptare poterit regioni mucronatæ oleum maſtich, aut de capparibus, aut panem tritum, vino Cyprio, quod ex ſinu Iſſico adfertur, aut Rhætico (3) madefactum (4).

De ſuppuratione in affecto latere producenda, ut a centralibus partibus ad cutim morbus ſemper magis alliciatur, ultra non loquar, quod tantummodo in curá coacta faciendum eſt. Ut vera tamen fatear, Summus Vir, cujus curationi una cum D. Conſtantino Roncalli Parente noſtro, præerant doctiſſimi Profeſſores Paulus Guadanceus, & Joannes Baptiſta Mazinus,

nec

(1) *Locorum duritias, & concretiones diſcutit.* Sextus Philoſophus Platonicus. *Lib. de Medicina ex animalibus.*

(2) De Catellis admotis, & nativum calorem foventibus, loquitur Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis. Lib. II. cap. 13. ubi animadvertit: *Non equidem omnes, ſed hos præcipue, quibus color cutis concolor, nec tegmen multis, diverſiſque maculis variegatum.* De Catello accumbente ait Georgius Dethardingius, obſer. LI. in actis Germaniæ: *Tendines ſervat molles, congeſtiones moderatur.*

(3) De quo mentionem facit doctiſſimus Scriptor Petrus Angelus Lavizarius. Memorie Iſtoriche della Valtellina, pag. 3.

(4) Ad remedia ſtomachica quod attinet, legendæ ſunt Epiſtolæ Medicinales Aloyſii Mundellæ Medici Brixiani præſtantiſſimi, qui diſcuſſis Galeni, & Aetii documentis, *ob ventris cum dorſo nexum*; remedia ſpinæ etiam eodem tempore aptanda doctiſſime probat: *Si quando igitur nobis opus fuerit ventriculi os juvare, mihi quidem rationabiliter illi, & ſecundum Galenum agere videntur, qui dorſo, & anteriori etiam ventris parti auxilia applicant: qui vero alteri tantum, imperfecte, & abſque ratione*; pag. 75.

nec non R. M. Vicaria Capucinarum (1), manualem operam dante D. Andrea Virgine xenodochii *Incurabilium* Chirurgo, atque N. N. Clericus Regularis ſub regimine docti Viri Joſeph Aldigerii, & D. Pompeii Mandini, tenſiva muſculorum abdominis duritie olim laborantes, media ſuppuratione in affecto latere, priſtinæ ſaluti, nobis etiam adſtantibus, reſtituti ſunt, & adhuc, ſuperis faventibus, vivunt.

OBSERVATIO
MERCURIUS CONCRETIONES SOLVIT.

137. QUaleſcumque ſint figuræ, ſphæricæ ſcilicet, vel ſphæroideæ (2), quibus argenti vivi particulæ ditantur, illud citra dubitationis aleam eſt, nil aliud inter ampliſſima naturæ regna reperiri, quod magis concretiones, & præcipue ab hærente lympha productas, in animato corpore ſolvere valeat, quam mercurius; quapropter, quando cetera remedia irrita fuere, ad illum deveniendum eſt. Vide num. 126.

HISTORIA XLV.
FISTULA IN SCROTO, ET PERINÆO.

138. LAborioſa, coactaque ab ineunte ætate micturitio per intervalla, ſtatiſque temporibus, recrudeſcens in Nob. Patiente ætatis conſiſtentis, cum calore, ad humidam plethoram diſpoſiti, ſicuti nativam colli veſicæ, & circumſtantium fibrarum debilitatem oſtendit, ita nil mirum, ſi poſt convulſivos mejendi premitus, poſtque annoſas ſemper cum ſtimulo ſolidorum oſcillationes, tandem proximo præterito Octobri tumorem ad ſcroti radices, & perinæi confinia produxit; qui deinde ſuppuratus, licet ſemel, & bis reſectus, tandem in fiſtulam abiit. Sicuti propterea de partium humiliori urinæ tranſitui inſervientium inertia conſtat, ita pari paſſu, & de reliquis coniiciendum eſt, de ſtomacho ſcilicet, hepate, ductuum, u-

(1) Hoc loco ſilendum non eſt, per arte factum media lanceola foramen quatuor tranſverſalibus digitis ſupra dextera inguina, poſt purulentas amurcas, per decem circiter dies ſtercus ipſum, nec in modica quantitate, effluxiſſe; D. Paulo Guadaneo, & D. Andrea Virgine nobiſcum ſtupentibus, & eo magis quando vidimus Ægram paulatim ad priſtinæ valetudinis officia penitus redactam.

(2) Vide Gulielminum in tractatu de Fluminibus, cap. 1.

triculorum , & fibrarum omni genere. Cum enim alias acuto morbo laboraverit , ventriculi idiofyncrafia medicamina non ferat , vifcidiufcula lympha venas infarciat , aut nervofas propagines comprimat , & intercurrentem laticem coinquinet , femperque in urina filamentofæ innatent maffulæ , quandoque meatum urinarium obftruentes , fic de univerfalibus quodammodo caufis, ad peculiarem productum morbum confpirantibus , dubitandum eft ; fcilicet ex laxa canalium compage fanguinis circuitum non nimis urgeri , alba liquida in fecretoriis incerniculis aliquatenus quiefcere , glandularum fermenta otiari , illamque fublatam effe proportionem , in qua perfecta falus confiftit .

Hifce modis labefactata chylofi , & hæmatofi , collectæ cruditates acidæ ad lotii promptuarium defluxeruut , ibique quiefcentes , fermentantes , aut quovis alio modo ad deleteriam indolem evectæ , demum auxerunt propinquioribus partibus ftimulum , donec , ftagnantibus noxiis ichoribus , & fubfequenti unda morbofe cumulatis , tandem tumor , fuppuratio , & fiftula enata eft .

Quamobrem , cum innatum antiquum in feparanda urina vitium tollere difficillimum fit , (nulla enim excogitabilis panacea organicas partes aut mutat , aut innovat) , ideo finendum , ut morbus cum Ægro confeneſcat , folumque eo artis meditamina dirigenda funt , ut exarata fymptomata mitiora evadant , acidam acrimoniam folvendo , inquinata liquida expurgando , cum ea potiffimum fpe , ut hæc methodus ad chirurgicæ manus auxilium non parum collimet . Levi itaque præmiffo eccoprotico , tranfitus fiat ad decoctum vulnerarium apprime opportunum , fi ex paterno etiam hæreditario femine lues Gallica in penitiffimis vifcerum mæandris lateret.

Interim fcroto , & perinæo manus admovenda. Cumque attenta fpecilli intrufione, Brixiæ obfervatus fuerit fiftulofus ductus per longitudinem quinque digitorum tranfverfalium ad finiftrum urethræ latus excurrere, ufque ad ani fphincteris productiones , morbufque de illis fit , quos diu ferre periculofum effet , ob ulcerofi tubi profundam longitudinem , & incarceratos ex mechanica fiftulæ conformatione puriformes ichores , ex vafculis internis parietum indefinenter extillantes , qui , veluti ex falebrofa , & coeunte ductus ruſticitate , in fundo obfignantur ; fic , penitus exfibilato vulgi , & barbitonforum afylo , quod

fiftulæ

fiſtulæ, fonticuli inſtar, pravos humores, cum Ægrorum emolumento, purgent, ne tractu temporis multiplices occulti cuniculi in propinquis partibus enaſcantur, aut urethra laceretur, cum urinæ exitu per fiſtuloſa foramina, morbuſque difficilioris evadat curationis, ut videre eſt in libello noſtro de Fiſtulis Urethræ, Brixiæ edito, cui &c.: ideo lineis turundis communi digeſtivo oblinitis, ulceroſus tubus ſuaviter expiandus; proindeque ſpongiis ad exigentiam modulatis, cum cera compreſſis, & præparatis, ulterius dilatandus eſt, ſed paulatim, ſemperque in lecto, & ſecundum Ægri reſiſtentiam. Inſuper ad fiſtuloſi ductus externa labia luxuriantes carunculæ complanandæ, & deſtruendæ alumine rochæ uſto. Mox interni fiſtulæ parietes examinandi, & externa affecta regio digito comprimenda, ut clare conſtet de calli exiſtentia; tutiuſque agendo, interna concameratio poteſt detergi ablutione, medio ſiphone projecta, ex unguento Ægyptiaco in vino albo, aut decoctione hordei diſſoluto, vel oleo caryophyllorum, vel denique lixivio ſcoriarum reguli antimonii, aut præcipitato albo ipſis ſpongiolis ſuperimpoſito, quibus, dum tepidiuſculis ichoribus humectantur, & augentur, medicamentoſum exedens unguen in calloſa latera urgetur, callumque, ſi adeſt, abſumitur.

His rite peractis, ad ferrum deveniendum eſt. Cumque fiſtuloſus cuniculus obliquo aliquatenus, & tortuoſo ſerpat ductu, ſic pluribus, hoc eſt, tribus vicibus, ſectio peragenda, & paulatim a parte poſt partem ſinuoſus cuniculus uſque ad fundum aperiendus, ſemper, quantum fieri poteſt, longe ab urethra, & vitatis ſanguiferorum canalium diramationibus, quæ ad ſcroti baſim interfluunt; ſemper in promptu habendo adſtringentes pulveres, aut aquam ſtypticam ex alumine, & vitriolo paratam, pro ſiſtenda hæmorrhagia; quibus ſuccedere debebit ſarcoticorum uſus, terebinthina ſcilicet, balſamum homogeneum, oleum hypericonis, ſanguis draconis, bolus Armena, coralli rubei, & ſimilia; ita ut, media plumaceorum compreſſione, & adaptatione, caro ex fundo ſuccreſcat, non vero fiſtula iterum uniatur, & coeat.

Actu tamen curationis, non ſpernendum eſſet experimentum intruſionis uno eodemque tempore in urethram ſyringæ, in fiſtulam ſpecilli, quibus pari paſſu delicate impulſis, & ambulantibus, dignoſcuntur meatus urinarii interjacentes tunicæ, & propinqua caro; quinimo certior lux duceretur de diſtantia fi-

ſtulæ

ſtulæ ab urethra ; & ubi ſyringa ad veſicæ collum pervenerit, de valvulæ majori, vel minori debilitate , deque tot toleratis in ſeparando lotio ærumnis major ratio coruſcaret .

Quando tamen hæc methodus , licet ſola , rationalis, & curativa (non enim aliis remediis has fiſtulas curatas vidi) quia tamen aliquatenus crudelis , aut Ægro , aut adſtanti Profeſſori integre non arrideat , alia faciliori , palliativa , ſed quæ fortaſſe curaret , procedere poterit ; hoc eſt , ſpecillo cavo ab Ambroſio Paræo (1) deſcripto , & uſque ad fundum fiſtulæ adacto , nec ſuaviter , ſed fortiter , ut ſummus apex in decliviori parte externum corniculum agat , & prementem alteram Chirurgi manum doceat de ſui exitu ; mox acu per ſpecilli cavitatem , tutis propinquis partibus, excurrente, emiſſarium aperiat. Sic etenim , defluentibus ichoribus , antiquum fiſtulæ oſculum , ſuperimpoſito Peruviano balſamo, & diopalmæ cerato claudetur , extillantes humores quieſcere non poterunt , nec cuniculos , aut novas ſuppurationes moliri ; ulteriores continui ſolutiones non producentur , pars ſiccabitur , & aut perfecta cicatrice operietur (quod faxit Deus) aut ſaltem non longe ab ano , & circa hæmorrhoidalia vaſa morbus magis in aperto erit , ubi expurgationes conſuetæ , & facilioris ſemper erit curationis. Quæ &c.

HISTORIA XLVI.

HÆMORRHOIDES DOLORIFICÆ CUM SUBSEQUENTI FISTULA IN ANO .

139. LOngam ſiniſtræ mandibulæ affectionem , cum tardigrado tumore, ad ſuppurationem demum perductam, ad examen ulterius non revocabo ; cum in præſentiarum jam ſufficienter V. C. evaſeris, ideoque ſolummodo ipſam ratione ſigni mente tenens , quatenus ſcilicet acido-ſalinam fluidorum indolem portendit , ad alterum anteriorem morbum tranſibo , quo crudelius , & in præſens divexaris .

Et in primis dubitandum non eſt , te aliquatenus melancholico prudentiali abundare , vitamque ducere ſtudiis applicitam ; unde ſæpe ſæpius ſpiritibus animalibus ab intellectuali molimine

(1) Pag. 393.

ne raptis, imiſque per conſequens viſceribus vitioſe oſcillantibus, naturalium fluidorum aut ſufficiens non producitur diſſolutio, aut opportuna non abſolvitur depuratio; ideoque nactis ad lenteſcendum rudimentis, eo demum per vices coacervantur, ubi requirit lex mechanica circuitus, ubi ſinunt nativa forſan debilitas, laxiorque partis conſtitutio. Exlege propterea accedente in externis rebus regimine, illico de furentibus, ut ais, ſed cæcis hæmorrhoidibus querebaris, & præcipue cum rheda vectus, pars affecta premebatur, aut cum præterlabentes aduſtæ, & aſperæ fæces interna prominentia vaſcula feriebant. Ob id rationabilis, licet hactenus non adimpleta, erat indicatio, ut ſcilicet internis remediis univerſalis maſſa dulceſceret, alvuſque frequentibus injectionibus lubrica ſervaretur. Quia tamen, hiſce fruſtra adhibitis, præſertim poſt fervidi olei intruſionem, alvus adhuc non exoneratur, quin hæmorrhoides acerrime doleant, & poſtremis hiſce diebus purulentus ichor extillavit, puſque certo ulcus portendat, in id debet eniti ars medica, ut conſtet, ubi morbus reſideat.

Aliquo vitio ani ſphincterem laborare, non eſt, cur dubitemus; tum quia in ipſo perſentitur dolor; tum quia ad reſpondentem urethræ muſculum morboſa ſenſatio diffunditur, una cum pubis, & teſtium intumeſcentia. Id autem ut ex voto eluceſcat, debet adſtans Chirurgus ſedulo incumbere: primo, variis circa anum compreſſionibus, callos, ſi adſint, expiabit: ſecundo, ſpeculo rotundo vitreo, aut argenteo feneſtrato, aut denique digito in anum immiſſis, attente obſervet interni podicis parietes, utrum levigati naturaliter ſint, an potius excorianti ulcere aſperi; quod tamen melius patebit, ſi linea turunda in anum immittatur, & per aliquot horas ibi quieſcat; dum tali tempore coeunte ano, & per conſequens adhærentibus ad turundam internis ſphincteris lateribus, ulceris character in ipſa turunda imprimetur, ſicque extracta docebit: tertio, tenui ſpecillo meatus interne circumquaque tentandus, cum hæmorrhoides, præcipue cæcæ, fiſtuloſos ſepe cuniculos pariant.

Quando mediis hiſce experimentis non conſtet de ſphincteris labe, ejuſdemque interno aut ulcere, aut cuniculo, hæmorrhoidalia utique vaſa culpanda erunt pro ſtabilienda ſævientis ægritudinis idea. Quod ſane, quando liceat in conjecturis conjectari, eſt probabilius, tum propter partis antiquitus laboran-

tis

tis debilitatem , tum propter laxam ejuſdem conſtitutionem , multiplicibus vaſorum ordinibus coagmentatam , in quibus naturalis niſus abeſt , laterales preſſiones urgent , confuſa denique canalium implexio , & diverſitas moram , & ſucceſſivam putredinem in liquidis molitur . Quapropter dolendum , hæmorrhoides has internas ichores nunquam fudiſſe , qui optati eſſent levaminis ; ſic enim laceſſitis vaſorum extremitatibus , & putreſcente jam laxo hæmorrhoidalium pellicularum confinio , opportuna etiam contingere poſſet deterſio , & ſucceſſiva conglutinatio . Quæ ut voto reſpondeant , conſiderandum etiam eſt, marinus ne aer , muriaticis ſalibus turgidus , noxiam diatheſim in fluidis naturalibus inducat , an potius Gallicum , ſi adfuit, forſan nunquam deletum virus, labem aliquam imprimat , aut naturalem dyſcraſiam confirmet ; quibus quidem caſibus , aeris mutationem , aut ſpecificum remedium neceſſaria eſſe , quis negabit ?

De cetero quoties liquidorum periſtaſis a naurali ſtatu ſolummodo aberrans conſideranda ſit , ad acido-acrem ſane reducenda erit ; acidam ſcilicet ab effectibus , quia ipſam vidimus ſtagnantem in mandibula , nuncque in hæmorrhoidibus præſertim ſiniſtris maxime coacervatam dolemus , cum non ſpernendo etiam timore , remoram aliquam in plexibus meſentericis nanciſci , ibique obſtructionem latere tactui non ſenſibilem , cum hæmorrhoides internæ ex ramo meſenterico inferiore arterias recipiant . Acrem pariter eſſe , portendunt dolor convulſivus , propinquas muſculares fibras in conſenſum trahens , & ſuppuratio materiam ſanioſam fundens .

Quapropter indicatio eo dirigenda , ut acidum corrigatur , acre miteſcat , & in parte affecta poſt debitam deterſionem opportuna cicatrix contingat . Succi depurati ſonchi , cichoreæ , fumariæ , deinde aſininum lac , poſtremo thermales aquæ , & præcipue illæ , quæ de vitriolica vena participant , internum opus abſolvent ; oleo amygdalarum dulcium alternis vicibus ſumpto , quod pro cœna inſervire poterit .

Ad partem affectam caute emollientia adminiſtranda ſunt ; laxiora etenim faciunt interna vaſa , ideoque ſtagnationem liquidorum ſemper magis producentia . Idcirco ad ſedandum dolorem præter balneum , aut ſemicupium in aqua ferrariorum , laudarem unguentum populeonis , cum tantillo opii in ovorum vitulis diſſolutum .

Deco-

Decoctum ex ſymphyto (1), aut ex *pomo Hieroſolymitano*, quam *momordicam* dicunt, aut ex ſerpentaria minore *flore purpureo*, vel ſuccus linariæ, utpote in hiſce morbis ſpecificus, tepide intruſus felicem præſtabit operam; quo hæmorrhoidalibus vaſculis perfecte ablutis, tenui ſiphunculo inſtillanda erunt balſamica, aut immittenda turunda terebintho oblinita; cum enim agatur de interno ulcere, ſaniem fundente, opportunius remedium excogitari non poteſt, aut inveniri. Ubi autem hoc vulnerarium per aliquot dies adhibitum fuerit, in mundata parte, aut ani ſpecillo morbi ſedes facilius patebit, ita ut ad potentiora, aut ſarcotica tutius tranſitus fieri poſſit.

OBSERVATIONES
IN ANI FISTULAS.

I.

140. QUæ num. 61. Medicinæ candidatis diximus circa curationem hyſtericarum affectionum a ſanguinis plenitudine pendentium, hic Chirurgis iteranda ſunt, qui abſque ferro ad curandas has fiſtulas accedere non debent. Unguentorum, & balſamorum farrago, exedentium uſus, vincturæ ipſæ ſecantes crumenam vexare, & dolores ciere poſſunt. Procul abeant arcana omnia. Sola Chirurgi manus in hiſce caſibus prope divina eſt; quia hæ fiſtulæ quaſi nunquam ſponte ſanantur. Nec timendum, dummodo totus ſphincter non ſecetur, ſed aliqua pars remaneat ad fœces, circuli inſtar, ſubſtinendas.

II.

Callus, ſi fieri poteſt, ante ſectionem corrodendus.

141. SI callus adeſt, ante ſectionem, ut diximus, turundis exedente imbutis, & adactis aut totus, aut pars abſumatur. Recenter enim ſectæ partes hujuſcemodi remedia non ferunt; ideoque poſt adhiberi non poſſunt.

(1) *Vulnerarium, & ex præcipuis celeberrimum.* Hoffmannus.

III.

Sectio fistulæ adaperta tenenda est .

142. DEinde , ut optime animadvertit Marchettus , summa cum diligentia agendum est , ut sectio adaperta teneatur plumaceolis medio subligaculo comprimentibus , semper in lecto. Pars enim attritioni exposita est, & unio fit per quietem .

IV.

Methodus altera pro curandis ani fistulis .

143. MOdo relatum doctissimi Marchetti documentum ostendit , incertam esse propositionem , quam nonnulli suadere conantur : quod nempe in ani fistula durissimo callo circumdata , & etiam ultra totius sphincteris latitudinem penetrante , non transversali sectione utendum sit , sed tota fistula, quanta est , in gyrum excavanda veniat. De hac methodo olim mihi locutus est Venetiis non solum egregius Vir Antonius Bello celebris olim Veronæ Chirurgus , nunc Saxoniæ degens ; sed etiam Patavii doctus juvenis Franciscus Berzi , qui nuper a dissitis regionibus , Anglia nempe , & Gallia peregre rediens , multa chirurgica instrumenta ferrea , argentea , mirum in modum elaborata , secum detulit , & eandem alibi præconceptam opinionem , dum una loquebamur , mordicus tenens , Veterum solam , & dividentem in ani fistulis sectionem exsibilare conniſus est .

Verum nec adeo obsequentis animi sum , ut hujusce methodi Institutores , & Patronos sequi velim ; nec adeo obfirmatus, quin rationibus , & præcipue experimentis , flecti queam.

Admitto equidem , totius fistulæ , callique una excavationem curationi conspirare posse. Uno enim , aut bino ictu fit , quod exedentium usu , plurimisque hebdomadis fieri nequit. Sed mente prævidens hæmorrhagias , fortasse non modicas , & insuper tempus , quod necessarium est , ut effossa cavernula denuo carne impleatur , vereor , ne hoc in opere majus damnum Ægroto impendeat. Accedit insuper , quod si fistula podici proxima est , si ultra sphincterem penetrat , necesse esset , totum circularem musculum scindere , cum metu involuntarii fæcum exitus , nec non restitantis nihilominus in fundo artefactæ scro-

bis

bis exiguo ſinu, aut cuniculo, de quo ulterius ſic argui poſſet. Vel turundis, & plumaceolis factam effoſſionem adapertam tenere vult Chirurgus, vel clauſam, & compreſſam ſubligaculo comprimere. Si primum: ſectæ muſculi fibræ ſibi invicem glutinari non poterunt. Si ſecundum: in fundo, quod frequenter evenit, obſignabuntur facillime puriformes ichoroſitates, quæ fiſtulæ recidivam, ut minus cautis evenit, minitabuntur. Stet itaque antiquus fiſtularum ſecandi mos; tam ſi penetrans eſt, quam contra; dummodo fiſtuloſus, ut diximus, ductus muſculi trium circiter digitorum tranſverſalium in adultis latitudinem non exſuperet. Sique exſuperat, & profundior fiſtula eſt; quamvis, & ipſe fateor, in illo caſu antiqua methodus claudicet, nihilominus antequam ad propoſitam effoſſionem, & carnificinam deveniamus, aut actuali igne, media ferrea cannula, fiſtulæ fundus tangendus, aut aqua phagædenica ex calce, & ſublimato, ſiphone intrudenda, ut conſumptis calloſis lateribus, caro, medio balſamico liquore Prævotii, qui Patavii fit (1), ex fundo ſuccreſcere poſſit.

V.

Cannulæ magnitudo, & proportio.

144. CAnnula ab Auctoribus propoſita ita concinnata ſit, ut feneſtella oblunga ferrum ad tutandas oppoſitas partes in ſinu ſuo admittens, illius longitudinis ſit, quæ licitam, & non ultra, ſectionem admittere poſſit.

Cannula inſuper in viris non tam ſubtilis ſit, quia operatio evadit difficilior, inverſis intra feneſtellam muſcularibus coeuntibus ſphincteris fibris, nec ſufficienter diſtentis ad operis lucem partibus.

VI.

Ani fiſtulæ utrum curari debeant.

145. AN vero curatio ſuſcipienda ſit, videndum, quæ diximus de curandis crurum plagis (2). Par enim ratio intercedit, ut videri etiam poteſt in Bibliotheca Chirurgica Mangetti (3). Scilicet obſervandum, *an fiſtulæ poſt cachexiam ſint ortæ, an vero fiſtulas cachexia exceperit.*

(1) Vide Joannem Fortis, Tom. I. pag. 407.
(2) Pag. 139.
(3) Lib. VI. pag. 105.

HISTORIA XLVII.

DEXTERI PEDIS DISTORSIO CUM SUBSEQUENTI DEBILITATE.

146. ANtiqua pedum, præcipue dexteri debilitas in frequentes desinens flexuras, cum ancylosis efformatione, & fibrosarum partium nunc oedemate, nunc subrubra intumescentia, sicuti in nervoso systemate morbosam affectionem latere denunciant, ita frequentes capitis, & ventriculi querimoniæ, cum universali sudore, siti, languore, suppressione, animique mærore, hypochondriacas vicissitudines ab effœto, animalibusque spiritibus depauperato sanguine, pendere confirmant. Ideo morbus nobilissimam mulierem torquens, in sanguine, & spiritu statuendus est; non excluso etiam timore, quod organicum lateat vitium, tum quoad humiliora viscera, si dolent, & prementi tactui resistunt; unde ab atono statu oscillans fibrarum motus perierit; tum quoad membranosas vasorum pedis diramationes, nervorumque propagines motui, & sensui inservientes; ideoque ex levi aut partis labore, aut corporis pondere, in promptu sunt dolores, tumores, & reliqua hujusce generis symptomata. Curationem difficilem portendunt tot remedia incassum adhibita, quinimo ex prudentissimis indicationibus elicita, quæ mutari non possunt, si sanguinis despumationi, si auctæ pedis magnitudinis resolutioni, & elastico fibrarum robori collimant. Proximo igitur Septembri, usum syrupi ex sale chalybis, descripti in Pharmacopœa Mediolanensi, laudarem, interpolatis quandoque purgantibus. Media quiete, & strato (1) sublata inflammationis umbra, stagnantium ichorum motus, & resolutio promovenda mediis hammocrisia, & cerato ex gummi ammoniaco, in aceto squillitico dissoluto; aut adhibendum sicyonion, vel aniceton, canchry, bdelium, & similia, quæ ad acoporum naturam accedunt; & ex populo nigra, aut abiete parantur. Proindeque nervosæ appendices leniendæ, roborandæ cum pinguedine ursi, taxi, & humana, si lubet, cum aqua reginæ Hungaricæ malaxatis. Post hæc, observabit eruditus Bonus Ronzioni, cui hæc subiiciuntur, an aptatis fasciis junctura fulcienda sit, ut nativus extremitatis vigor reviviscat. HISTO-

(1) Sextus Empiricus refert Hippocraticum præceptum: *Cum enim pedis medela sit quies; si quidem vulnus in pede habuerit, eum sublimem ponit, quantumque potest immotum servat.*

HISTORIA XLVIII.

TUMOR ULCEROSUS.

147. VIdendi vis ab ineunte uſque adoleſcentia in dextero præcipue oculo, quaſi ad ſtrabiſmum inclinante, aliquatenus præpedita; deinde cruſtaceum ulcus ſupra calcaneum, quinque abhinc menſibus incœptum, & inceſſanter ſæviens, tandem in præſentiarum in naſi extremitate, globulo ſcilicet, & orbiculo, radicatum, & poſt mille adminiſtrata a Salodienſibus Profeſſoribus remedia tam interna, quam externa, cedere neſcium, acidas, ſalſuginoſas particulas in ſanguine egregii Patientis deſignant, quæ aut vitio primæ digeſtionis, aut viſcerum ſeparantium in motum poſitæ, atque ad commune corporis emunctorium, cutim ſcilicet, perductæ, ibique ſtagnantes, concretæ, atque ex fermentatione noxiores factæ, & nunquam ſatis correctæ, antiqua produxerunt ſymptomata, & præſentes ærumnas confirmant.

Quamvis propterea una cum doctiſſimis Viris Antonio Pluda, & Dominico Baſciocchi, facta conſultatione, ſancitum a nobis fuerit, nullum hactenus emergere pathognomonicum ſignum carcinomatoſæ indolis, attamen rebellis morbi pertinacia, præter muriaticam virulentam, aliquam alteram etiam oſtendit liquidorum dyſcraſiam, quæ ulceri dyſepuloto, vel telephio aſſimilari apprime poteſt.

Ideo, ut pejores hi gradus vitentur, purgandum corpus eſt, hæmorrhoides excitandæ, totaque ſanguinis maſſa ad meliorem ſuarum particularum periſtaſim reducenda, remediis fuſe in tradita jam ſchedula deſcriptis.

Reluctante adhuc morbo, aſininum lac, aquæ Montertoni Patavinæ, balnea ipſa in uſum ponenda ſunt.

OBSERVATIONES
IN TUMORES ULCEROSOS.

I.

148. QUando videmus tumores ulceroſos quibuſcumque remediis, ad plures annos, reluctantes, quamvis non integre conſentiant carcinomatoſi characteris ſigna, attamen ſummo-

ſummopere dubitandum eſt, neque nimis Ægri chirurgicis tormentis torquendi ſunt.

II.

Signa certa indolis non tangendæ.

149. SAnguis vivus interdum extillans, dolores lancinantes, ſed cito abeuntes, & nulla ab adhibitis remediis utilitas, ſi in eodem caſu, & ſubjecto eveniunt, ſpes ſalutis ſemper magis imminuitur.

HISTORIA IL.

AFFECTUS PRURIGINOSUS.

150. ORetenus juſſiſti V. C., ut data opera penſitatis iis omnibus, quæ ad ægritudinis tuæ productionem conſpirant, conſilium deinde meum pro ejuſdem extirpatione tibi calamo patefacerem. Licet propterea in hoc ſummopere decipiaris, quando perſuaſum habeas, me ſcire ea, quæ neſciunt Veneta, ne dicam Patavina, oracula, quorum documentis curatio tua hactenus inſtituta fuit; attamen tibi morem gerens, & ſperans, fore, ut ſaltem animum æqui bonique conſulere poſſis, en habe, quæ circa contumacis morbi originem, tot uſque adhuc adhibitis remediis reluctantem, meditatus ſim, quæque pro incolumitate tua, ut ipſe auguror, obtinenda, facienda ſuperſint.

Si igitur in primævo adoleſcentiæ flore ſalſa impetigo cum prurigine cutim commaculare cœpit, ſi in adoleſcentia morbus invaluit, coniiciendum eſt, ſalinam tui ſanguinis acrimoniam eſſe originariam, & ab utero matris acceptam, tuoque viſcerum fermentantium, & ſeparantium vitio fortaſſe exaltatam; ita ut vel ab imperfecto excretionum ordine, vel ab exeuntibus lymphis ſalia ſui juris facta, & ubi ad miliares glandulas pervenerint, tenuiſſimos villos ſcindant, fibellas rumpant, & exanthemata, puſtulas, cutis fæditatem, ſerpiginem, & præſentaneum pruriginoſum affectum hinc inde efficiant; & præcipue in ſcroto, ubi partium ex motu attritio, ubi difficilior liquidorum circuitus, & reaſſumptio, ubi urinæ non longe deſcendunt, & ubi fortaſſe nativa fibrarum laxitas, & pareſis liquidorum ſtaſim admittit.

Si

Si originariæ huic liquidorum omnium ataxiæ acceſſit Gallica lues, & peculiaris fortaſſe viroſæ indolis, quæ fermenta omnia deleteriis qualitatibus magis imprægnaverit, & calcaria currenti addiderit, nil mirum, ſi methodicæ curationi hactenus adminiſtratæ morbus reluctatus ſit; quinimo temporis tractu, accedentibus in diæta erroribus aut a palati vitio, aut ab obſervantiæ regula productis, nec non conſumptis in ſtudendo ſpiritibus, ideoque bile ad ſummum æſtum evecta, & ab aciditate pancreatici (in quo primaria tui morbi cauſa reſidet) ſucci ad nocendi aptitudinem ſemper magis diſpoſita, & indeſinenter ſanguini communicata, in præterita hyemali temporis conſtitutione contingere debuit morboſa illa ad ambitum ſyndrome, qua vexatus fuiſti, & adhuc, præcipue circa ſcrotum aſpera impetigine variegatum, & acerrimos ichores fundens, & circa ſuppurata dextera inguina, adhuc, inquam, torqueris.

Quoniam vero certo ſcio, te potius abhorrere a verborum ambagibus, nec gratas tibi eſſe veteres Medicorum cantiones, quando morbi cauſas enumerant, indicationes eliciunt, prognoſes præmittunt, & gradatim ad mille remediorum formulas deſcendunt; ſic paucis ſcias velim, ſpem meam pro curatione tua in uſu aquarum mineralium, non in montuoſis regionibus, ſed in plano Patavino agro ſcaturientium, in uſu balneorum omnimode collocatam eſſe. Verum quia ſirii adhuc diſtant ardores, & morboſa urgent ſymptomata, illud ſeligere debes remedium, quod interim non ſolum totam ſanguinis maſſam dulcificare poſſit, ſed etiam additum fermentum corrigere. Age igitur, ut purgatio per dexterum ſuppuratum emunctorium ad aliquod tempus perſeveret, & ut pharmacopola paret jus pullæ, cichoraceis, violis, & fumaria alteratum, & ſervato methodico ordine, illius uſui adde aquas ſtillatitias, herbarum ſuccos, ſalſamperillam, viperina, emulſiones. Si eiſdem præmittere curabis pulverem teſtaceum, ſed ſubtiliſſimum, ex raſura eboris, matr. perlar. & cryſtall. mont. rem utiliſſimam facies.

Ferculum pariter Saxoniæ, ſaccharum lactis aſinini, bezoarticum Siculum, terra Nucerina diverſimode ſecundum exigentiam in uſum revocata, prout adſtanti tuo Medico videbitur, optato operi viam ſternent; præcipue ſi victus ratio præſto erit, & animi pathemata exulabunt.

O B-

OBSERVATIO
IN AFFECTUS PRURIGINOSOS.

151. DE his jam num. 20. ſatis ſuperque actum eſt. Adnotare tamen lubet, caute ad venæ ſectionem deveniendum eſſe; ſed quando ſanguis in venis turgeat, cucurbitulis tantummodo tentandum opus videtur.

HISTORIA L.
OZÆNA.

152. MUcagines filamentoſæ, & cruſtacea fruſtula, jam diu ab ulceroſis naricibus exeuntia, factæ ozænæ timorem incutiunt, ut magis patet ex introducta in ſpongioſis oſſibus carie, cartilagine, & columna corroſa, neque intacto fortaſſe remanente vomere ipſo, cui triangularia naſi oſſa innituntur. Æger enim, quaſi ſimus, ex depreſſo acrorhinio incipit eſſe. Quamvis propterea lue venerea nunquam laboraverit, nihilominus, cum clare conſtet de ſalino-acerrimo particularum in ſanguinis maſſa dominantium genio, ipſiſſima methodo, nulla interpoſita mora, ne morbi virus ad ethmoidea oſſa perveniat, difficile opus tentandum eſt; nempe decocto ligni ſancti, ſalſaperillæ, ſaſſafras, tormentillæ, biſtortæ, radic. cannæ montanæ, & florum hypericonis per dies quadraginta; non omiſſo in principio, & ſemel in hebdomada, durante curatione, cathartico ex pilulis capitalibus Paracelſi, ad craſſiores ſaburras eliminandas. Poſt viginti ab incœpta curatione dies (fruſtra ſiquidem non domita prius cauſa laboramus), unguento lithargyrii, & oleo laurino removendæ cruſtæ ſunt; deinde Ægyptiaco in decoctione hordei diſſoluto, mox aqua aluminoſa Fallopii, inſtillatis, aut goſſypio applicitis, interna ulceroſa concameratio, ad ſanum uſque, detergenda. Tandem vel ſucco granatorum, & calamenthæ, vel pulvere ex croco martis, plumbo uſto, ſaccharo ſaturni, & ſarcocolla conſolidationem producere curandum.

His non juvantibus, Celſus ignem laudat, aliqui vero fonticulum in brachio, nec deſunt, qui ſuffitus, Anglorum more, ex nicotiana, & cinnabari extollant.

OBSERVATIONES
IN OZÆNAS.

I.

Ozænæ a lue Gallica.

153. ANimadvertendum præcipue, num a virulenta ſiphylide originem trahant. Quo caſu tam intus, quam affectæ parti mercurius aptandus eſt.

II.

Arcanum Hier. Mercurialis pro curandis ozænis.

154. ASini lotium per nares tractum plurimam utilitatem præſtare poſſe teſtatur; idque etiam ſuadet ab aliorum experimentis.

III.

Nonnulla ad ozænam remedia.

155. REcipe mellis roſ. ℥. ii. ſulphuris viv. alum. crud. ærug. æris ãa. ℥. i. albi græci, comar. ſabinæ ãa. ʒ. ß. ſambuci ʒ. i. fol. hyperici, roriſm. rutæ, plantag. ſalviæ, puleg. ãa. m. ß. coq. in vino Canarino, e ſer. pro uſu. Item laudatur ſuccus rad. dracunculi, geranii robertiani, ſolatri, ari, vel ſerpentariæ ope turundæ intruſus. Vide Chirurgiam magnam Joannis Vigierii.

Pulvis pariter ex lapide calaminari, rad. ſcrophulariæ, pyrolæ, alchimillæ laudatur. Alia bene multa proſtant apud Henricum Regium (1), & Fabricium Hildanum (2).

(1) Lib. I.

(2) Obſerv. Chirurgica, Cent. II.

NONNULLÆ AUCTORIS AD ALIOS, ALIORUMQUE AD AUCTOREM EPISTOLÆ.

PHILIPPUS GARBELLUS
FRANCISCO RONCALLI

Suo S. P. D.

ADhuc nullæ a te litteræ expectanti in diem mihi ; cum tamen unam , & alteram , neque id ſemel , ſpoponderis . An tu ſic nos improvidos putas , ut , interjectis tot comperendinationibus , corrumpi a te cauſam noſtram , pati velimus ? Scis jam quid tibi impendeat ? Dicetur jus ſeveriſſime ; exigeturque ad aſſem , qualecunque illud fuerit , damnum e tanta mora . Voluptas propterea , quæ ex amicorum epiſtolis capi ſolet , gaudium , cum dilatæ redduntur , joci , ſeria , quæ invicem comminiſcimur , expendentur acriter : nobis enim , tuâ culpâ , funditus periere . Spes ipſa , quam , velut offam , credulo objeceras , deceptus promiſſis amor , tum , qui unà deceptos comitari ſolent , pudor , atque indignatio ſiſtent ſeſe minacibus oculis teſtes miſero tibi , qui vel tantillis litteris diem dicundam vitare poteras . Scis quid ſuperſit . Deſerto vadimonio judices falles . Nihilo ſecius reus eris . Excutientur bona litteraria omnia , & venibunt acerba voce præconis . Bellam profectò rem : Juvenem probum , frugi , modeſtum , inter eas opes , quas ſollicitus conquiſiverit , repentè decoxiſſe ! Neſciebas facillime amorem iraſci ? μικραίτιον propterea , & olim , & nunc meritò dictum ? An pudebat te , quæ nos inter amicitia conſtiterit , notam aliquando fore poſteritati ? Non puto . eſt enim cuique noſtrum a natura inſitum velle memoriam ſui ultra terminos mortalitatis extendere : licet nos tanti fortaſſe non ſimus , quibus præſtare hoc poſſe Dj dederint . Vides , ab irato quæ immineant . Provide . eſt adhuc veniæ locus , ſi te mihi per litteras reſtitueris . Ut enim amantes iraſcimur facilè , ſic deliniti non difficilè flectimur . quod ut commodiùs impetrare queas , occurram egometipſe , ac præibo : ut vel ex hoc intelligas quàm malè tu affeceris immerentem . Elapſis proximè Nonis , cum a cœna inter domeſticos , amicoſque miſcendis , ut mos eſt , ſermonibus ſederemus , en Papilionem , qui circum lumina magno ſtrepitu repentè advolans in calicem fortè decidit . Captus eſt . inſpicio . Magnitudo , qualis Papiliopavoni (ſic enim vocare placet , qui , non ſecus ac Pavo caudam , alas ocellatas habent) , corpore oblongo , variis ceu orbitis interſecto . Alis ac dorſo aduſque uropygium , ſed magis ventre , plumula molliſſima , ſubcinerea , pellucida veſtitis . In ſcapu-

lis

lis vero, ac collo lenes villi ſubtiliſſimi, confertiſſimi, cum argenteo ravi, ad pectus ſubalbidi. Pedes ſeni, ſerratis cruribus: cetera, ut pectus, villoſi. Caput teres, ore prominulo, corneo, rufo: duabus in fronte pinnulis, rectis, mobilibus, & in latus plerumque vergentibus. Oculi prægrandes, rotundi, exerti, læves, immobiles: interdiu, ut videbatur, pulli: per noctem, admiſſa parumper luce, pro diverſa hujus refractione, praſini, aquili, micantes. Hæc pervia, ac vulgata: illud non ita, quod ſciam. **Εὐόσμιος** *eſt, odore ſuaviſſimo, ambram inter, muſcumque ambigente: qualem etiam in anatum indicarum maribus olim obſervabamus: quibus, cum maximè in venerem proni ſunt, ſub alas eſt odor perſimilis. Nam nonniſi in admiſſariis periculum fecimus, qui ſalaciſſimi ſunt. Fœmella enim cubante excluſi, irruunt aliquando cœca libidine in obvias puellas, prenſantes roſtro earum veſtes ut ſcandant. Cum primò, qui eum cœperat, odoratas ex adtactu manus ſenſiſſet, movit me ut experirer: &, quamvis coryza mulctatus, ſenſi præſentiſſimè. Hoc etiam accedebat, a contrectatione agitatum magis olere; quietum minus. cujus rei cauſa in promtu eſt. motus partium, hinc calor, exinde effluvia. Illud majori dignum indagine. Odorem illum a ſupino potiſſimùm emitti; non ita, ſi pronum olfaceres: quod ſemel, & iterum expertis evenit. An, quia in ventre vim illam, ac quaſi fodinam natura conſtituit? An veriùs, quia, ex viciniore corculi motu, quem ſanè frequentiſſimum videbamus, facilior inibi ſpirituum a calore exſpiratio, atque emiſſio? Vitrea incluſus phiala triduò ſupervixit, ſine cibo. Mortuo alvus, imum verſus, paullulum ſubſidit. In oculis ſuborta caveola; ſed minoris in dextero ambitus, ac profunditatis, quam in ſinixtro. plumula illa, qua veſtiebatur, alicubi dilapſa; maximè in dorſo prope uropygium, ubi fermè glaber evaſit; detecta cute pallidula, læviſſima. quæres, an etiam mortuus* **δύσμιος** *ſit? Nihil minus: niſi quòd odore non admodum ſaturo, &, ut ita dicam diluto. qua in re non ego ſolùm, ſed unà alii acriore olfactu præditi periculum fecimus: neque enim mihi ipſi fidebam. Cum ſit in hiſtoriis hiſce peculiaribus ſuapte difficilis, tum haud ſatis adtentis fallax identidem commentatio. Itaque jam non a vîta motus ille, a quo calor, ac ſubinde halituum exſpiratio. quid ſi ex ambiente particularum æſtu, pluribus fortaſſe in corpuſculum illud, ceu in deſerta jam caſtra Lixis, & Calonibus repentè involantibus, atque ex collectis antea vaſis, quæ ſupererant reliquias ſecum rapientibus, odorem illum*

cir-

circumferri dicamus ? An potiùs , abſcedente animula illa , natura vicariis operis defectum ſeminarium reparare pergit , adſcitis undique ad fœturam , quæ in immenſa atomorum familia , cetera aptæ , vacare videantur ? Audin' qui ſit in tam puſilla materia diſquiſitioni locus ? Niſi forſan vos Togatos ad hæc animum demittere pudeat , quæ nos pagani mirari ſolemus. Et tamen fuimus aliquando etiam nos Troes : inque eiſdem , quibus tu nunc , caſtris , non quidem opera , ſed voluptate , ac diſcendi ſtudio , tum capti pulcherrimæ artis ſpecie , diu , multumque meruimus. Quod ſi ad hæc pertractanda non vacas , reſcribe aliquid , undecunque illud demum ſit , modò ne nihil omnino : ut & fidei tuæ , & amori in te noſtro , ſerò hoc quidem , ſed tamen aliquando ſatisfacias. Dulce eſt deſipere in loco. *Vale plurimùm.*

Pontivici IV. Idus Septembres 1722.

ILLUSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO

PHILIPPO GARBELLO

PONTISVICI ABBATI

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

TIbi jam diu promiſſum in epiſtola levis ingenii mei ſpecimen adhuc verecundo , nec forſan damnabili ſilentio ſuſtineretur , niſi repetita utriuſque noſtrum amiciſſimi Thomæ Faita monita animum addidiſſent , tuæque mihi , ac ubique terrarum notiſſimæ humanitatis meditatio , gratas tibi fore meas literas , non ſpopondiſſet. His demum acceſſit ſciendi libido , quam nullo opportuniori modo poſſe explere , mihi firmiter perſuaſum habeo , quam ab inſtituto , moxque Diis , tuaque benignitate ſinentibus , perpetuando epiſtolari commercio , a quo tanquam ab inexhauſto tuæ eruditionis penu aptatiſſima ad ingenii cultum documenta poſſim delibare. Et quamvis ob magnam ſtudiorum viciſſitudinem , qua aſſidue diſtineris , nullum tibi ſuperſit otium , quo vel mea legas , vel tuarum literarum non invideas ; nihilominus cum ea ſit magnorum Virorum conſuetudo , ut quod ipſis ex provido naturæ munere , aut ſupremo judicio datum eſt , libenter ceteris impertiant , idem mihi

quo-

quoque obventurum ſperans, jejuna hac epiſtola, tamquam prodromo futuræ audaciæ fœtu, ſapientiſſima tua oracula adire non erubeſco. Scias igitur, jam incœptam, tibique oretenus communicatam, de Brixianis aquis exercitationem lentiſſimo paſſu procedere, tum quia multæ in dies occurrunt difficultates; tum quia cordi ſemper inſculptum manet tuum monitum, longa ſcilicet cunctatione uti oportere, antequam publica lux ſuis laboribus permittatur. Ob id ſummopere gaudeo de ſollicito tuo Brixiam reditu; quandoquidem te conſulam, meaque obſequia tibi commodius enixo corde præſtabo. Vale urbis ſplendor, & literarum incrementum, meque tibi addictiſſimum crede.

Brixiæ 27. Septembris 1722.

PHILIPPUS GARBELLUS
FRANCISCO RONCALLI

Suo S. P. D.

Scripſeram ad te IV. Idus Septembres: urebat enim tam longa expectatio litterarum tuarum, quam neque diutius ſimulare, multo minus ferre jam poteram. quapropter de hoc queſtus eram non ſemel cum Faita noſtro, nec fruſtra. Expreſſit enim a te epiſtolam; quam illi ne idcirco, an amori in me tuo acceptam referam dubito. utrique tamen debebo non invitus; quos pariter diligo, & a quibus amari viciſſim me puto. Reddita fuit heri ſuper cœnam, & legi avidiſſime, præſtolantibus domeſticis; muſſitante etiam ſorore, qui tunc eſſet ſtudiis locus, parata menſa. A cœna relegi iterum: placuit. Amo ſpecimen iſtud ſtudiorum tuorum, non ſecus ac qui a creſcentibus plantis fructus primitus feruntur; erecto ſubinde animo in ſpem futuri proventus: quam ſanè & facis ingenio iſto tuo, & auges in dies magis tanta litterarum cupiditate, tanta etiam nominis, quod clarum in præſens, & cupio tibi apud poſteros immortale. De aquis tuis, quando unà erimus: neque enim nunc vacat. Interea rectè quidem, meo judicio, facis, cum maturandum in re qualibet, ſed in hac potiſſimum cenſes. Scis illud Lyrici - nonumque premantur in annum *: ut propterea, quod ille de Poetis, nos de Scriptoribus ceteris dictum putemus: quorum opera cum primùm in lucem prodierint, jam non ſua, ſed omnium ſunt; qui perinde, ut cuique placuerit, de iis liberrimè ſtatuunt. Ego certè ſic reputo. Eſ-*

ſe

ſe ingenui hominis, qui ſe ad ſcribendum conferat, revereri præſentium judicia, timere poſteritatis: cujus quò magis erunt ſoluta ab omni officiorum vinculo, eò etiam erunt periculoſa; ſed longè ampliùs, quia æterna. Vale.

Pontivici XVII. Cal. Octobres 1722.

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
PHILIPPO GARBELLO
PONTISVICI ABBATI

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS
S. P. D.

POſt tuum ab urbe diſceſſum, Vir Illuſtrmẽ, toto animo cogitare iterum cœpi de oculorum ægritudine, qua jamdiu divexaris, & quam conſilii gratia mihi communicare dignatus es; & eo magis, quia quotidie invaleſcit opinio, non ſatis ſola approbatione vini medicati, a doctiſſimo Adſtante præſcripti, proviſum fuiſſe tuæ valetudini. Ideo ut meo muneri, & officio ſatisfaciam, nec non de tota literaria republica in tui unius ſoſpitate benemerear, patiaris neceſſe eſt, ut morbi cauſas, locum affectum, ſymptomata ad examen revocemus, habitoque reſpectu ad originalem temperiem, idioſyncraſiam, ſtatuere poſſimus, num ſolidorum momenta oblangueſcant, num fluidorum motus, & componentes particulæ a naturali ſtatu abſcedant; ideoque ulterius pateat, quæ therapœja pro curatione inſtituenda ſit.

In primis itaque manifeſtum eſt, te calidæ, & ſanguineæ conſtitutionis, æſtuantia abdominis viſcera ab utero accepiſſe. Inde creſcente in dies ætate, ſemper magis dureſcentibus ſolidis cujuſcumque uſus, aut ad oſcillandum ineptiores fibræ redditæ ſunt, aut ſupra debiliorem fluidorum reſiſtentiam magis violentæ; ideo ſenſim pereunte æquilibrio, accedentibus fortaſſe procatharticis cauſis, aut ex vitiata chyloſi, aut ex animi pathematibus, aut ex perpetua in ſtudendo ſpirituum animalium conſumptione, fatiſcentibus viſcerum fermentis, impuræ ichoroſitates gliſcere in maſſa ſanguinis cœperunt, quæ in dextero oculo concretæ, vel aqueum humorem obnubilando, aut

cryſtallinum opacum reddendo, viſus aciem offuſcarunt; ſemperque magis auctæ, mox ad hæmorrhoidalia vaſa, criticam ſimulantes evacuationem, deductæ, licet cum aliquo juvamine, manifeſtarunt tamen, non omnia liquamina ſecundum naturæ leges comminui, obque labefactatam hæmatoſim, ſemper emergere excretorium illud, nunquam ſatis ſubactum, forſan indolis acidiſſimæ, quod ratione motus, figuræ, & ſpecificæ gravitatis in deſcriptis probabiliter laxioribus partibus, mechanica neceſſitate, ſui ſeparationem moliebatur.

Quoniam vero inferior ſeparatio jam ſuppreſſa eſt, & ſiniſtrum etiam oculum morboſi ichores jam jam incipiunt impetere, utique urget indicatio, ut ad inferiora iterum deducantur, dominans acidum temperetur, & ſolutis ſalium cuſpidibus, tollantur ſolidorum irritamenta.

In hunc autem finem, ut exequenda tutiori talo procedant, ſciendum etiam, quinam ciborum delectus, quæ ſtomachi digeſtio; num bilis, num flatus, aut inteſtinorum tarditas inferna viſcera vexet, & obſtructa, ſuſpecta, aut, quod probabile, criſpata ſint; num forte hypochondriaca, eaque prudentialis, affectio recenſitos effectus producat, vel confirmet. Secundum enim diverſam pollentium cauſarum energiam, & operandi modum, medica molimina dirigenda eſſe, quis ibit inficias?

Interim, quia opportunum balneationis tempus jam exactum, ſuaderem, ut lacte calentibus ſpongiis abdominali regioni focillationes admoverentur, ut quandoque pediluvium inſtitueretur, utque ferventi aqua, in qua bullierint braſſica, & herbæ emollientes, in vaſe ſubjecto clauſa, antiquam hæmorrhoidalem excretionem alliceres, aut ſaltem, laxata ſolidorum compage, & amplioribus factis alborum non minus, quam rubeorum canalium diametris, criticæ ſtaſes concreſcerent, minuſque capitis princeps pars vexaretur. Utrum vero majori ſtimulo, aut hirudinibus locus affectus, aut evacuationes ſollicitandæ, præter clyſteres, qui erunt utiles, non ſatis ſcio. Etenim, ut libere loquar, urgente neceſſitate, quam Deus avertat, niſi de meliori luto ficta ſint præcordia, ſola remedia ſanant.

In chirurgico pariter fonte caveas, precor, a fonticulis, dropacibus, ceteriſque ſimilis farinæ tormentis. Cave inſuper a quibuſdam collyriis, quæ vulgus promiſcue adhibens in omnibus

bus oculorum morbis vocat corroborantia, ſaturnina, chalybeata, corallina, vitriolica, crocata, & quomodocumque adſtringentia, *monohemeron*, nempe *chiacum cygnarium*, *ſpodiacum*, *olympiacum*, nardinum, quæ & protinus in dextero albuginem indurare, & ſi quæ in ſiniſtro latent futuræ concretionis ſtamina, ad actum reduci poſſunt. Adde, quod lacrymalia puncta, circumſiti tubuli, ipſumque naſale excretorium foramen corrugari poſſunt, conſuetiſque fluidis tranſitus cum magna noxa intercipi.

Potius aſſentirem, etiam in utroque oculo illa eſſe adhibenda remedia, quæ valeant tardigrados lentores excutere, corneam, & proxima interſtitia detergere, maſſulas adhærentes dividere, irrequietis, moræque impatientibus effluviis per membranarum poros penetrare, fatiſcentes denique fibras, aut vaſculorum effœta ſufflamina erigere, itaut & per excretorios lacrymales alio poſſint divertere.

Ad hanc indicationem adimplendam, quis non videt, ceteris præſtare aquam non ſecundam flavam, ſed primam albam ex melle deſtillatam, aut alteram ex cancris fluvialibus putreſcentibus, vel ex ſtercore anſerino, ſuccum recentem e caule rupto chelidonii majoris (1), oleum accipitris (2), decoctum fœnugreci, aut ſeminis hormini ſylveſtris, ſeu ſclareæ, ſal gemme, aut ammoniaci in aqua fœniculi, ſaccharum canditum, aut joviale in aqua Hollerii diſſolutum, lotium adoleſcentis, qui etiam utiliter poſſet lambere oculum. Laudem inſuper merentur ſuffumigia per tubum, aut collum vitreæ phialæ in oculum directa, in qua bullierint aqua euphragiæ, aut roſarum cum floribus roriſmarini, felle bovis, perdicis, aut lucii, vel ab ipſo kouphè aſcendentia, ubi fervens in vaſculum elutriatum fuerit.

Ad remedia vero, quæ ex pharmaceutico fonte deſumuntur, quod attinet, cum peculiaris morbus ab univerſalibus cauſis pendeat, probamus quidem catharticorum uſum, vino, aut quovis alio vehiculo inductorum. Sic enim jubent medicæ facultatis antiſtites; ſic docet quotidiana praxis, purgandum eſſe totum, caput ante oculos. Verum contra hoc effatum, & quaſi dixerim, noſtra etiam dicta corrigendo, animadvertendum putarem, in hoc caſu te aut raro potantem, aut promptæ

(1) Proponitur a Franciſco Buttnero.

(2) *Accipiter in oleo ſuſino decoctus, & inunctus ſuffuſionem, & caliginem diſcutit.* Sextus Philoſophus Platonicus. Adhiberi poteſt tam *Aeſalon*, quam *Buteon*, quam *Falco*.

diureſis , tranſpirationis , & ſudoris , aut latorum lacteorum aditum præbere facillimum lympharum omnium conſumptioni, vel quia æſtuans viſcerum conſtitutio illas combibit ; vel quia ſalinæ , & acidæ particulæ undique , ſed in hæmate præcipue occurrentes , illas abſorbent , coagulant , & ſui juris faciunt ; vel denique quia interdum enatæ ſunt periodicæ febres , ob quarum timorem china china armatus incedis . Quæ equidem o quoties laudata a nobis fuit hoc anno , ſcilicet per totam æſtatem , ſub hoc cœlo in epidemicis graſſantium febrium conſtitutionibus , in quibus cortex Peruvianus tam initio , quam morbi progreſſu adeo feliciter ceſſit , ut non remedium humano ingenio excogitatum , ſed panacea cœlitus elaborata , cœlituſque delapſa videretur !

His igitur ſtantibus , quoties viſcera , & ſanguis iterata importuna catharſi , & coronatis laſanis ſero orbabuntur , ſales magis ſolitarii , & aſperi reſurgent , acidum , & lentores dominabuntur , & protinus arefactis fibrarum undique diſſeminatarum villis , morboſa potius ſymptomata magis confirmata reviviſcerent ; ideo utendum , ſed quandoque etiam parcendum, purgantibus . Verum , quia in praxi obſervavi Medicos , & Ægros parum ſollicitos , ſed potius purgatores , & philopharmacos , aliquid ſuper hoc argumento publici juris facere decrevimus , cujus exemplar , quamprimum in obſequii teſſeram tibi , Vir Illuſtrm̃e , ſuperis , & quotidiana praxi permittentibus , ſiſtam .

Interim ſublata inteſtinorum difficultate paſſulis , prunis Provinciæ , ſaccharo roſato , aut flore caſiæ , ſi ſtomacho arridet , adhuc affirmo , quod oretenus tibi dixi , & quod olim in operibus poſthumis Marcelli Malpighii obſervare nobis contigit , ſcilicet in morbis oculorum non ſemper purgandum corpus , ſed remediis alkalicis , & dulcificantibus temperandum ſanguinis acorem , & repetito diluentium uſu , gaſtricos , bilioſos , pancreaticos , auſteros ichores eſſe ſolvendos , & digeſtionibus efficiendis , & viſcerum fermentis excitandis præcipue , ut mox dicebamus , incumbendo .

Præter itaque juſculum ex ranis , quod tibi familiare eſt , aut ex ſpecificis jam præſcriptis in vino infundendis , aut ex vegetabilibus , & antiſcorbuticis herbis , radicibus , & floribus opportunum efficiatur deſtillatum B. M. , ex quo aut ſummo mane poſſet ſumi tepidiuſculus hauſtus , aut a prandio illud uſurpari .

Emul-

Emulſiones pariter ex amygdalis, avenacea, hordeata, ſed omnia ſatis diluta, & idoneis aquis (1), aut juſculis compoſita, aptiſſima eſſe poterunt; addito, ſi lubet, in exigua quantitate jure galli veteris, aut viperina carne, utpote magno fermentorum omnium inſtaurativo.

Poſt hæc, ſuadent Auctores ptarmica, hoc eſt, tabaci (2), & valerianæ (3), ſed moderatum (4), uſum, ſimulque, ut meridianus ſomnus, & mora prope ignem, lac, carnes bubulæ, ſvillæ viventur; ut cibi ſint euchymi, & eupepti, fœniculo, & petroſelino conditi, vinumque album oligophorum; ut lixivio herbis exſiccantibus parato caput abluatur, ut maſticatoria ex maſtich, & pyrethro, nec non cinnamomum in ore geſtentur, & capitalibus conſervis, puta ex floribus betonicæ (5), roriſmarini, euphragiæ, violarum, parti affectæ provideatur, ſique cœnoſæ ſunt aquæ, Nucerinus latex ſubſtituatur.

Sed ne magis tua patientia abutar, his omnibus utilior erit non ſtataria quandoque in ſuſpecto (ob rigatas oryzas, lini ſubactiones, & caliginoſas ex Olleo nubeculas) aere, aut in anguſto muſeolo vita (6), non fumeæ evaporationes ex ſebaceis ardentibus, & lucernis abſorptæ, non perpetuus, quandoque poſt ingeſtum cibum (utinam decipiar) in lectitando partis affectæ, tuorum ſcilicet oculorum, labor, non adventante tabellarii diſceſſu elucubrata epiſtolarum ſtrues, non præpediti in ventriculo pepaſmi ſurditas, non moroſa animi concitatio contra tuam philautiam, & gloriam, contraque univerſi utilitatem, in publicam negando lucem tuis adverſariis, tuiſque tabulis, quarum floſculos vix per literas exteræ gentes delibare, & ex ungue leonem cognoſcere poſſunt; non denique tuæ dignitatis ratio, & ſupra vires ſacrarum functionum frequentia, atque ex juvenili læta ſocietate receſſio; ſed utilior, inquam, erit in amæniſſima villa ruſticano aere perfrui, quandoque cum amicis vitulari, & quotidie veſ-

(1) Inter quas aqua interna Phyſici Gabelli Cremonenſis ceteris præſtabit.

(2) Vide diſputationes Langianas pag. 134. Auctoritate Thomæ Bartholini confirmatas.

(3) Joannes Fridericus Boelius laudat *errhinum* ex valeriana *in viſu debili*.

(4) Apoplexias enim, & Paralyſes a tabaci uſu productas memorat Joſeph. Lanzonus in Actis Germaniæ, Vol. II. pag. 179. & Ettmullerus in comment. in Schrodeum, inquit: *oculis ſemper nociva ſternutamenta, ni oculi ſint robuſti, ac Æger junior*.

(5) *Folia* betonicæ *integra, non in pulverem redacta, nec ſociata aliis, ſed ſola naribus intruſa*, in affectibus oculorum ſummopere laudantur.

(6) *Oculorum imbecillitati præterea obnoxii paulatim redduntur, legentes ſiquidem, & ſcribentes obtutu non poſſunt, quin viſionis læſionem perſentiant, quod malum fovent, dum literas minutas ſcribunt, quod familiare eſt iis, qui prompti ſunt ingenii.* Bernardinus Ramazzinus. De Morbis Artificum cap. ultim. de Literatorum morbis, pag. 311.

veſpertinis horis in umbratilibus ambulacris incedere, qui legat, & ſcribat ſurrogare, uno verbo, tibi, & tuæ valetudini vivere; & ſcire, fortunam concrediti populi non a præſenti tantum, ſed protinus, & diutius, quod ipſe auguror, duratura vigilantia, & ſalute tua pendere. Si libere loquor, habes, quo ignoſcas; Medicus, & humanitate, atque clementia tua annuente, amicus ſum.

Inde tamen fit, ut, quia ſumma anxietas, & ſollicitudo, quibus tuam valetudinem flagrantiſſime percupio, meam obvelare mentem poſſunt, nihil executioni mandare debeas, niſi & quatenus probatum ſit a doctiſſimo Cicognino, qui aptius remedium ſeligendo, in arena conſilium capiet, & pari deſiderio tuæ ſaluti velificabitur; agetque, ut valeat hujuſce regionis decus, & politioris literaturæ perfugium.

Brixiæ 20. Septembr. 1739.

ILLUSTRISSIMO, SAPIENTISSIMOQUE VIRO

ANTONIO LEPROTTO

Clementis XII. Archiatro

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

NObis ſuadet, ſeque latorem exhibet Illuſtriſſimus Antonius Sambuga Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a Secretis, ut tibi, Vir ampliſſime, ſiſtam medicum opuſculum de Brixianis aquis, aliquot abhinc annis elucubratum. Licet diu in hoc exequendo incertus hæſitaſſem; quandoquidem exiguos ingenii mei fœtus tanto honore indignos putabam, amici tamen conſilium, ne dicam, mandatum vicit. Et tuæ ubique terrarum notiſſimæ humanitatis meditatio animum excitavit. Illud itaque in manus tuas demiſſe provolutum accipe; ac ſi ſubſecivis horis otia dabuntur, interdum lege, & parce. Parce, inquam, ulterius meæ audaciæ, quæ major, quia propriæ conſcia imbecillitatis. Interim tuis vigiliis Sanctiſſimi Pontificis incolumitatem toto orbi, & magnum in te Medicum Romanis ſerva.

Brixiæ 2. Januarii 1739.

VI-

VIRO SPECTATISSIMO

FRANCISCO RONCALLI

ANTONIUS LEPROTTI

S. P. D.

Quod ſedulo a te elaboratum de Aquis Brixianis opus, per humaniſſimum Virum Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a Secretis Antonium Sambuga, dono mihi miſiſti, ſingulari illud cum voluptate perlegi. In eo quippe cuncta, quæ ad naturam ſpectant, nitide exarata; quæ vero ad artem induſtriamque pertinent, commode excogitata ſunt, & affabre abſoluta, atque perfecta. Quis autem inter Medicinæ efficacis tenebras, quas ego præ aliis offuſas mihi eſſe ſentio, libenter ea non legerit, quæ tum ad rerum naturalium hiſtoriam amplificandam, tum ad vitæ commoditatem, hominumque ſanitatem ſervandam, inſtaurandamque conducunt? De hoc ergo eximio tuo munere gratias habeo quammaximas. Siquid interea evenerit, quod me cauſa tua facere poſſe arbitreris, ſcias velim, nullam præclare de te merendi occaſionem me prætermiſſurum. Vale.

Romæ die 24. *Aprilis* 1739.

DOCTISSIMO VIRO,

& Socio ornatiſſimo

ANTONIO LEPROTTO

Clementis XII. Archiatro

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

Felicitatem.

DUo ſunt, quæ mihi animum, & vim faciunt, Leprotte doctiſſime, ut tibi dono mittam exemplar Diſſertationum mearum, quæ nunc primum in lucem prodeunt. Primo ſingularis illa tua humanitas, quam cuncti noſcunt; deinde opportuna occaſio, quam elapſo anno mihi exhibuit celeberrima Bononienſis Inſtituti Academia, quæ me & tibi ſocium elegit, & quodammodo jus addidit, atque fiduciam, ut cœptum jampridem officiorum, & literarum commercium, ſuperis faventibus, nunc ad neceſſitudinem pervenire poſſit. Hiſce accedit,

quod

quod cum ipſi Academiæ Diſſertationes nuncupaverim, æquum erat, ut & tibi, cujus magnum es decus, etiam per me conſtaret mei grati animi teſtimonium. Vides igitur, quænam ſint rationes, quibus ad ſcribendum, & opuſculum mittendum commovear. Reliquum eſt, ut in tanta temporis anguſtia, quam tua virtus, tuaque doctrina efficiunt, illud legere, tuaque oracula, præcipue circa difficillimum tertiæ diſſertationis argumentum, nobis aperire ne graveris. Vale.

Brixiæ 28. Maii 1740.

ILLUSTRISSIMO, SAPIENTISSIMOQUE VIRO

FRANCISCO RONCALLI

PAULUS VALCARENGUS

S. P. D.

HUmaniſſimas, acceptaſque mihi maxime literas tuas VII. Cal. Jul. datas nudiuſtertius accepi. In his, quod, quæ tumultuarie ſubſecivis horis circa tranſactas aeris morborumque conſtitutiones exaravi, æquo animo probaveris, tuæ tantum humanitati, non operi ipſi tribuo. Siquidem me ſatis, & mea quæque noſco, hoc tantummodo contentus, quod alii ſciant, me ideo hujuſcemodi laboribus addictum ſpecialiter eſſe, ſemperque futurum, non quia alios docere unquam velim; ſed quia inter maximas artis noſtræ tenebras modica ſaltem veritatis luce (quam aliunde non pauci fruſtra expetunt, & aſſequi ſe poſſe gloriantur) potiri aliquando exopto, ut, ea duce, ſaltem errare minus in praxi diſcam: quod maximum quidem eſt in medicina facienda, maximeque Ægrotis intereſt. Chimærica enim, & commentitia penitus ea eſſe tecum reor, quæ ex philoſophico penu tantum, matheſi famulante, ſanioris, acutioriſque licet ingenii adminiculo, abſque congruo, ſelectoque quamplurium obſervationum apparatu, eruuntur, ut optatum inde veritatis lumen illud prodeat, quod, quo magis Literario orbi acceptum reddat Medicum, eo magis Ægrotis ſibi commiſſis vere utilem præſtet. Quot mehercle, quantaque in Academiis reperiuntur circa res medicas ingenioſe, magnificeque prolata, quæ Auctoribus ſuis maximam laudem conciliarunt, ceterum quæ ſano obſervationum criterio perpenſa, tamquam vana prorſus, ne dicam fallacia, haberi merito debent? Hinc id unum præcipue ad artem noſtram illuſtrandam, augendamque deſiderari arbitror,

quod

quod illi omnes, qui theoricas doctrinas ex cathedra profiteri incipiunt, diuturno prius tempore praxim ſedulo, ſanioreque judicio exercuerint. Nollem tamen, ut ex dictis unquam deduceres, me clariſſimorum quamplurium Virorum, quibus noſtro maxime hoc aevo celebriores Academiæ jure, meritoque gloriantur, labores, pro abditis quibuslibet naturæ arcanis reſerandis, parvi facere: id quod Empiricus rudior aſſerere vix auderet. Experientiam veram laudo, ſi genuinæ rationi innitatur; iſtamque probo, ſi præcipuum tutiuſque ab illa fundamentum mutuetur: cum utramque ſine altera inutilem fuiſſe ſemper, atque impoſterum futuram, exiſtimem. Quamobrem, cum optimum quidem, Ægrotiſque vere utilem illum eſſe Medicum noſcam, qui examuſſim hominis naturam exploraverit, quidque ea valeat, & ferre recuſet; certo certius cum ſanioribus arbitror, Recentiorum præſertim ſpeculationibus, & ratiociniis, præter Veterum nudas obſervationes, artem noſtram ſummopere debere: ita tamen, ut meridiana ipſa luce clarius pateat, hæc omnia ad eorumdem obſervationum judicium, & ſelectum neceſſario conferre. Non vacat autem de hiſce ultro hic calamo agere, de quibus fuſius, libentiuſque tecum verba facerem, & fortaſſe faciam. Proximo namque futuro autumno Brixiam proficiſci in animo habeo, ut purioris aeris beneficio propriæ melius ſaluti proſpicere queam, quam tranſacta proxime gravis quadraginta dierum ægritudo ſummopere labefactavit. Interim ſcias, me aſſumpti laboris medici curriculum adhuc inire, dum de hepatis maxime pleriſque morbis diſſertationem conſcribo, quæ maximum ſibi decus conciliare ab obſervationibus tuis poſſet, quas, ſi unquam habeas, ad me tradere ne renuas, obſecro. Literarium enim, a te gratioſe propoſitum, fœdus inire tecum exopto. Interea Epidemicas meas jam editas conſtitutiones libentius ad te mitto, quia acceptas tibi eas fuiſſe comperio. Miſiſſem autem citius, ſi parum hoc mei erga te obſequii teſtimonium non ingratum tibi futurum fore antea ſperaſſem. Eruditiſſimum enim tuum, quod ad me miſiſti, de Aquis opus (pro quo maximas tibi gratias reddo) cum meo collatum, munuſculi mei tenuitatem ſatis ſuperque evincit. Vale.

Cremonæ XIII. Cal. Auguſti 1739.

ERUDITISSIMO VIRO

PAULO VALCARENGO

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

JUssisti per literas, easque humanissimas, ut si quas in quotidiana praxi habuissem circa hepatis morbos peculiares observationes, te commonefacerem. Licet vero mandatum hoc a singulari tua benevolentia proficiscatur, cum nullam ego possim tuæ dissertationi, cui impræsentiarum incumbis, lucem affundere; attamen, tibi saltem morem gerens, in ipso epistolæ limine ex animi sententia agnosco, & probo consilium tuum, peculiares illius visceris ægritudines in medium producendi. Magna quidem in microcosmo dignitas, sanguificationis scilicet mechanicum, secundum Priscos, machinamentum, a postremis inventis, oculatisque Anatomiæ criteriis illi ablatum est; sed negari non potest, quin ob intestini coli, & ventriculi in dextero latere propinquitatem, & ob situm, usum, connexionem vasorum, sed præsertim ob biliosi ichoris præparationem, & ad ægritudines producendas, & ad salutem recuperandam, plurimum conferat. Hinc videmus auctores sub diverso etiam cœlo de illius vitiis sollicitos, ejusdemque intemperies, obstructiones, inflammationes, *osseas concretiones*, imbecillitatem, tumorem, fluxusque ab eodem provenientes, ad examen revocatos; videmus in extispiciis adnexam cystim felleam nunc turgidam, nunc inanem, frequentes ipsius hepatis magnitudines, interdum tuberculosas (1), glanduloſas (2), scirrhosas cum turgidis venis, & nunc supernascentibus vesicis (3), nunc intermixtis diversæ molis, & duritiei glandulis, liquidorum commeatum intercipientibus, ita ut nunc in concava, nunc in gibba parte concretiones, & stases in promptu sint, morbosa symptomata producentes. Hæc, inquam, omnia a scriptoribus memorata, & passim in praxi obvia, tibi non recinam, solumque tuis pa-

(1) Saltzmanus hepar plurimis tuberculis refertum observavit.

(2) Videnda sunt Excerpta ex Actis eruditorum Lipsiensibus anno 1687., scribente *Joan. Brovvn ad unum e Secretariis Societatis Regiæ Londini de Hepate quodam manifeste, & ad oculum glanduloso*. Vide Bonettum, Posthium, Forestum: *Glanduloſa tamen hepatis natura solum clarissimum Kerkringium contradictorem invenit*. Malpighius in operibus posthumis pag. 31.

(3) *Penduli extus ab hepate sacculi, sed vesicæ, figura exacte rotunda, multitudine, vel quinquaginta, magnitudine varia, a piso majore, ad ovum columbinum, & ultra, tactu molles, membrana tenui admodum, concludentes aquam limpidam, fœtoris expertem*. Ibidem Volum. III. pag. 377.

is parendo juſſibus, addam, me magnum audiviſſe in ſuggeſto dicentem Valliſnerium, plures morbos a paulatim, aut protinus lapideſcente in cyſti fellea, aut vaſis deferentibus bile, ortum ſuum trahere, ut ſapiens vir D. Suardus de Suardis Collegii Nob. Medicorum Prior, & collega noſter, ſex abhinc annis nobis retulit, & obſervavit in muliere 27. annorum, quæ octavo geſtationis menſe vertiginoſis inſultibus, mox comitiali morbo de repente correpta, tandem omnibus remediis incaſſum adhibitis, cum ſpuma, ſtertore, ceteriſque extremi epileptici agonis ſymptomatibus deceſſit; in cujus cadavere, præter fœtum mortuum, heparque conſuetæ molis, & ſubſtantiæ, repertus eſt folliculus fellis, non pyriformis, ſed inæqualis, ovalis, & quadruplo major, in cujus cavitate ſeptem lapides (1) (2) in bilioſo ichore innatabant, parvam nucem juglandem magnitudine ſua æquantes. Quoniam vero cadaveris examen inſtitutum fuit, mandantibus Medicis, ab experto Chirurgo Lælio Onori, ut ſi unquam adhuc extabant ſuperſtitis vitæ ſigna, Cæſariano (3) more, fœtus ſervaretur, ad ulteriora, ad cranii nempe ſectionem, chirurgica manus non proceſſit; ubi utique mortis cauſa expiſcanda erat, quærendo, num morbus idiopathicus fuiſſet ab exiſtente in ſupremis glandulis vitio, vel dependens a labe ſcilicet imorum viſcerum, & præcipue hepatis, & uteri. Illud tamen plurimum admirari coacti ſunt adſtantes Profeſſores, quod nempe jam pridem, & toto geſtationis curriculo, mulier bonum habitum, bonamque nutritionem, & colorem præſetulerit. Ex quo arguendum eſt, quod, ſtantibus licet in cyſti lapidibus, ſanitas perdurare poteſt, aut quod lapides ictu oculi, & protinus concreverint, ita ut, accedentibus uterinæ ataxiæ concauſis, junctæ ad nocendum vires Ægram jugulaverint.

Dominicus Brolarius Brixiani Xenodochii Chirurgus olim in milite vulnerato, nomine *Baruchela*, Waldzmik (4) auctoritate fultus, extrapendentem jecoris partem ſex unciarum diſſecuit, Ægro feliciter ſupervivente; et loci Jatro Chirurgo

(1) *In fellea cyſti triginta ſupra trecentos lapillos intra paucam flavamque bilem*, olim reperit Joannes Baptiſta Morgagnus; ut videre eſt in epiſtola ad perilluſtrem Lucam Schroeckium data, & in Actis Germaniæ poſita.

(2) *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences* 1703. diverſes obſervations anatomiques. I. pag. 44. *On trouve aſſes ſouuent daus le veſicule du fiel de tous les animaux, des pierres poreuſes &c.*

(3) In Actis eruditorum Lipſienſibus adeſt epiſtola D. Godofredi. A Lanckiſck Medicinæ Doctoris, & Phyſici ordinarii Civitatis Littavienſis, in qua deſcribitur *Partus cæſareus notabilis* in Margaretha Adami Scholzii conjuge vivente feliciter executus.

(4) In Notis Chirurgiæ Barbettæ.

Domino Tombino, nimis audacem manum improperante.

Adhuc ſuſperſtes eſt Nob. Olimpia de Gaifamis, quæ poſt diuturnam febrim, anorexiam, abdominalium viſcerum dolores, & in dextero latere emphraxes, dum una cum clariſſimo Viro Petro Galanti, qui nobiſcum curationi adſtabat, refrigerantibus, & humectantibus febrilem æſtum compeſcere, bilem cicurare, & aperitivis medicaminibus inferius farcimen tollere curabamus, en repente minxit urinam non obſcuram, ſed penitus atram, adeout quamvis Georgius Henricus Beher hiſtoriam referat urinæ nigræ *ſingulis ferme quatuordecim diebus revertentis*; & in ſcholio notet obſervationem Zacuti Luſitani (1) de quodam Ægro, toto tempore vitæ ſuæ urinam nigram mingente, attamen ad magni mentem Hippocratis, ancipitis judicii præmiſſo nuncio, ad deleterias particulas corrigendas, & blandis diureticis ad cœptum a natura motum promovendum incumbere opportunum duxerimus, & quidem cum optato juvamine. Proſequente etenim ad multos dies nigerrimi lotii exitu, morboſa paulatim evanuerunt ſymptomata, Nobiliſque Ægra optatæ incolumitati integre reſtituta eſt. Tu interim ſancire poteris, num a latente hepatis, aut biliioſi ichoris vitio (2), num vero ab offenſis in tota liquidorum maſſa qualitatibus, & fermentationibus atra bilis ſurrexerit; cum intima particularum lotium componentium miſcella, abſque vel minimo renum, & veſicæ dolore, aperte docuerit, non in ſeparatoriis imis incerniculis, eorundemque internis tunicis ſphacelatis, atque corruptis, ſed aut ab hepate, aut, ut ajunt, a toto atræ urinæ proventum pependiſſe. Sancire ulterius poteris, cur bilis ab hepate per porum biliarium, ſi ab ipſis, & folliculo in ductum choledochum defluens, nunquam fœces in caſu noſtro tinxerit, atroque colore imbuerit; cur, ſi in reliquo ſanguine, ambitus corporis, cutiſque ictero commaculata non fuerit; quomodo denique ſtatis vicibus critice eruperit, & nunquam penitus atrum (3) amiſſum colorem in matula depoſuerit.

Undecim excurrunt anni, ex quibus lecto affixa vivit Julia Meſchina, quæ, vix ſuperato adoleſcentiæ termino, repente dolo-

(1) Lib. III. Praxi Admirand. ob. CXXXVI.

(2) Autumat Vvillis cap. IV. & V. de Urinis, in omni bile particulas nigerrimas latere, & balnei calore excitari poſſe.

(3) De atra bile, ejuſque differentiis legendum eſt opuſculum, pag. 97., Bernardini Paterni Salodienſis, de Literaria Republica, deque Patria ſua optime meriti, *qui in præcipuis Italiæ Gymnaſiis, ac demum in Patavino, totos quinquaginta annos rem medicam ad veterem Hippocr. & Galen. diſciplinam ſumma cum laude interpretatus eſt.*

dolorifico dextero abdominis tumore correpta, dein accedente lipothymia, affectorum viſcerum pulſatione, & febri, ab egregiis Profeſſoribus D. Petro ſcilicet Galanti, & D. Joanne Petro Borghetti inſtituta conſultatione, ſtatutum fuit, morboſa omnia ſymptomata ab orto in hepatis ſubſtantia tumore pendere. Cum autem ſumme aucta in dies totius abdominis durities, & magnitudo, affectiones epilepticæ, convulſiones, deliquia jam jam extremum minitarentur fatum, ex improviſo aliquatenus in ſumma amplitudine mollis facta eſt hepatica regio, moxque prævиis violentiſſimis tuſſibus, & reſpirandi difficultatibus, pus album, leve, & æquale miſella Patiens eructavit. Quia vero purulentæ expuitiones, ſpretis remediis omnibus, ipſoque aquarum Hirmenſium Brixianarum potu, ad quatuor annos perſeverarunt, quin unquam aut ventriculi labes, aut excretionum qualitas per choledochum ductum ad œſophagum ipſas deferri manifeſtaſſent, tota difficultas ſita fuit in ſtatuendo, per quas ſignanter vias, aut exiſtentes, aut a natura fabrefactas, exitum per fauces ſibi promoverent (1). Frequentiſſimis deinde conflictata fuit inflammationibus, anginas, & pleuritides ſimulantibus; & in præſens interdum uterina epilepſia laborat; adeout, quando in conſilium accerſor, non de priſtina recuperanda valetudine agatur, ſed potius noſtra ſtudia, & meditationes verſentur in agendo, ut Ægra cum ſuperſtite morbo conſeneſcere poſſit.

Sed quonam me trahunt tui juſſus, meaque tibi parendi voluntas? Parce, quæſo, meæ prolixitati, epiſtolæ limites prætergredienti. Parce inſuper meæ audaciæ tibi huic adjectas, & colligatas dono mittendi medico-phyſicas Diſſertationes, quas tibi in primo noſtræ amicitiæ fœdere promiſi. Et ſi in ipſis aliqua (& utinam pauca) tibi occurrent, quæ a rectis inſtitutionibus, aut bona praxi diſtare videantur, nos, oro, commonefacere ne pigeat. Non enim aliud abs te unquam petere decrevimus, niſi ut mandatis, & conſiliis tuis amicitiam noſtram ad neceſſitudinem perducere ne graveris. Vale.

CE-

(1) Legendi ſunt Salmuth. obſerv. poſthum. cent. I. obſerv. 27.; & Paulinus, obſerv. rar. cent. II. obſ. 4. exitum *excretarum* per os *hepatis particularum* referens, qui etiam ingenue faſſus eſt, adhuc latere vias, per quas illæ in altum aſcenderint.

CAROLO FRANCISCO COGROSSIO

In Patavino Gymnaſio Profeſſori Celeberrimo.

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

POſtquam diu hæſiſſem incertus, cuinam noſtrorum, niſi minus proſpero fato, tribuendum eſſet tot annorum in ſcribendo ſilentium, effulſit tandem opportuna occaſio publicæ lucis noſtrarum medico-phyſicarum Diſſertationum, quarum exemplar tibi non offerre, magnum piaculum nobis viſum eſt. Quapropter illud huic adnexum epiſtolæ humiliter tibi exhibeo, & obſecro, ut antiquum illud noſtræ amicitiæ fœdus reviviſcat, & opus tuum de *Febribus non curandis*, ſi tibi præſto eſt, cujus argumentum in Venetis actis olim vidi, & in cujus themate nunc verſor, quæſo, mihi dare, aut commodare digneris. Interim non minus acerrimam tuam criſim ſuper Diſſertationibus noſtris, ut te animadvertente docear, expectabo, quam juſſiones, in quarum executione ſemper magis rata habere poſſis mea obſequia. Vale.

Brixiæ XIII. Kal. Sextiles 1740.

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

In Brixiæ Civitate doctiſſimo Philoſopho, ac Medico.

CAROLUS FRANCISCUS COGROSSIUS

S. D.

DIuturni ſilentii moras ab literis tuis humaniſſimis, quæ me plurimum ſemper recreant, abruptas eſſe, vehementer gaudeo; eoque magis, quo me adhuc vivum poſt geminata familiæ funera in Amicorum memoria video. Elapſo proxime Februario vix amiſeram M. Antonium Patrem optimum; quum interjecto, heu! IV. dierum ſpatio M. Antonium Filium, ipſumque unicum, XVII. ætatis annum agentem, effuſis lacrymis proſecutus ſum. Natus hic Patavii, valetudinarium Genitorem ſecutus, Avi, cujus geſta-

bat

bat nomen , pene dixerim , fato eſt raptus . Quis
talia fando
Temperet a lacrymis ?

Si me Filium ſimul , & Patrem inter duas funebres faces conſtitutum conſideraveris , nihil dubito , quin geminatum dolorem juſta commiſeratione reſpicias . Sed

Satis eſt orare Deum , qui donat , & aufert .

Elucubratas Diſſertationes tuas a noſtro Antiſtite mihi traditas, quamlibenter acceperim , & legerim avide , facile reputabis , ſi diuturnæ noſtræ amicitiæ memor fueris , & argumenti certe non obvii , quod novitatem præſefert , elegantique ſtylo exaratum eſt ; conditionem attenderis . Ad I. Diſſertationem quod attinet , utinam ceteri Medici , in ſua quiſque regione , aeris conſtitutionem penſitarent ſedulo , antequam ad cathartica , eorumque uſum deſcenderent . Hac enim ratione Italorum Medicorum methodus fabulam , ut ſolet , ſuppeditare minime poſſet comœdiis Gallicis , a quibus ridenti populo Medicus purgator egregius exhibetur . Eſt modus in rebus . *Utinam vero & purgantium abuſus , qui longe , lateque dominatur , & veſicantium quoque ſolemnis adminiſtratio , ſine quibus adapertis adhuc , & ſanioſo talo manantibus , quaſi totidem teſſeris , æger vix ad Charontis cymbam audet accedere , intra juſtos moderationis cancellos cohiberetur . Habeo* de natura , effectibus , uſu , & abuſu veſicantium *jam elaboratam Diſſertationem I. , in qua , dimiſſis partium , aut ſectarum ſtudiis , quid reapſe efficiant , ad rationis , & experientiæ trutinam exigo . In altera vero , quibus in morbis , quorum certe exiguus eſt numerus , adhibenda ſint , & in quibus eliminanda , peculiari ordine diſquirendum aſſumpſi . Quando vero hanc alteram Diſſertationem ſcripturus ſim , plane neſcio . Eſt mihi corpus fatigatum adeo , dejectuſque animus , ut non modo de futuris laboribus quidquam audeam polliceri , ſed ne hariolari quidem .*

Curioſum ſane argumentum habes in II. Diſſertatione , cujus utilitas , ac neceſſitas in aere præſertim Brixiano plumbeis grandinibus , & procellis obnoxio , ſatis patet . Video , quam apte , quam tute , quam fortiter oblucteris adverſus flagitioſum errorem quorundam , qui ſe præſtigiis , & neſcio quibus characteribus , & iconibus invulnerabiles jactitant . Poteras in medium afferre , præter Redianas Obſervationes , illas etiam , eaſdemque accuratas , quas jampridem in Academia (1) *Regia Scientiarum inſtituit D. Carrè ,*

(1) Hiſtoir. de l'Accad. Royal. an. 1707. pag. m. 4. & 5.

rè , qui fallaciam ſitam eſſe luculenter oſtendit in ferreis exploſivis tubis peculiari artificio pyrio pulvere inſtructis , & pila plumbea . In præfatæ Academiæ Hiſtoria hæc leguntur , quæ Redianis obſervationibus conſonant adamuſſim : Sur les armes a feu differement chargées . Que le feu de la poudre , qui eſt fous la balle , communique avec celle , qui eſt deſſus , meme quoique la balle ſoit de calibre , & qu' elle ſoit entre deux borres . Cela paroit par la grande augmentation du bruit . Qu' en prenant une balle , qui ne ſoit point de calibre , en mettant peu de poudre deſſous , & beaucoup par deſſus , on peut tirer avec un grand bruit , & ſans aucun effet ſenſible . Ceux , a qui on a vendu des ſecret pour etre invulnerables , ou durs , & qui ont eu la precaution d' en vouloir voir des epreuues , ont apparemment etè trompez par ce tour de mains , dont ils ne ſe ſont pas appercus . *Ceterum humaniter , ut ſoles aliis , ita etiam Aſtrologis morem geris , quibus ego nihil plane concederem , ubi de influxibus agitur , quam generalem quemdam , eundemque promiſcuum luminis , & caloris motum , citra tot poſtulata abſurda , & a ratione abhorrentia , quæ ipſi quærunt . Adeant Geminianum Montanarium* (1) *nebulones , & videant , quid reſpondere poſſint in poſterum , arte fallaciſſima a tanto Viro profligata , ac dejecta . Ridendæ potius , ſi Diis placet , hujuſmodi ſententiæ ſunt , quam ſerio confutandæ . Præterquamquod*

ridiculum acri
Fortius , & melius plerumque ſecat res .

Ita ſane rem habui cum agyrta quodam , qui Venetiis colcotaris , pulvere urinæ ægrotantis inſperſo , morborum curationem audaciſſime machinabatur ſympaticam ; quamobrem , arrepta occaſione , Anno MDCCXXVII. VII. Idus Novembris ſtudiorum ſolemnem inſtaurationem auſpicatus in Academia Patavina de Medicinæ ſympathica *verba feci , cujus prælectionis exemplar proſtat in Tom. XVII. Collectionis Opuſculorum P. Calogerà Venetis Typis edito . Legere , quæſo , ne pigeat fragmentum de annulo quodam ſympathico a Petro Aponenſi deſcripto .* Petrus Aponenſis Hippocratis , & Galeni eximius Conciliator , Vir alioqui doctiſſimus , quantum ferebat ſuorum temporum conditio , hujuſce prænobilis Civitatis decus , & ornamentum , mirum eſt , quot quantaque congerat in Libello , quem de venenis inſcripſit . Inter cetera arcanum illud ex Libro Regum Perſarum depromptum tradit . *(2) Si ſculpere fece-*

(1) L' Aſtrologia convinta di falſo ec. (2) Lib. IV.

feceris, ait ille, *in lapide hæmatitis virum cinctum ſerpente, cujus caput teneat dextera manus, & caudam ſiniſtra, poſueriſque lapidem hunc in aureo annulo, & ſub lapide poſueris radicem ſerpentariæ tritam, portaveriſque hunc annulum, ab omni veneno præſervat. Quod quidem ego quandoque præparari feci, & ad prædictum uſum ſervavi.* Hæc ille, cui ſi quis fidem habere voluerit, is profecto in ſubſidium vocabit inſignia effluviorum examina ex hoc ipſo annulo, tamquam ex arce quadam, turmatim erumpentia, quæ irruentes venenorum internecinas atomos arceant, propulſent, profligent; quinimo, ſi Diis placet, plane, ac prorſus exterminent. Nec in ipſis recentiorum libris aliqua deſiderantur miracula, quæ a diſſitis regionibus delata curioſis Lectoribus venditantur. Inter cetera videatur monſtrum immane, horrendum, ingens, quod jam dudum narravit Italus peregrinator (1) egregius, cujuſdam ſerpentis enormi mole, ac forma prædiți in Inſulis Philippinis dictis degentis, qui cauda ex arbore pendulus prætereuntes cervos, apros, quin etiam homines ipſos, inſpirato affatim aere, attrahit, & integros devorat. Quid infelicibus illis hominibus præfatum Petri Aponenſis annulum, ſi geſtarent, creditis profuturum? Num forte truculentis magneticis illis uncis, quos anguis immaniſſimus jaculatur, tantula alexipharmaci annuli corpuſcula reluctari poſſe putatis? Hiſce, & ſimilibus rebus, quas ſupra naturæ vires poſuit quorundam hominum aut fortis imaginatio, aut calliditas, aut credulitas, ſcatet ars medica; *addo etiam in re, de qua agis, humana ſocietas.*

Singularem, & admiratione digniſſimam deſcribis hiſtoriam in III. Diſſertatione prænobilis ſacræ Virginis Capuccinæ, in cujus cadavere, poſt multiformem ſymptomatum ſcenam, in diuturna ægritudine complicata, ferreæ, multæque acus tum in capite, tum ſub mendoſis coſtis, tum in utroque femore infixæ compertæ ſunt. Merito inquiris, ac diſputas, qui fieri potuerit, ut tot undique adactis ſtimulis viveret, ageret, rigidique Inſtituti labores, atque officia ſuſtineret. Hic mihi hæret aqua, neque quid ſentiam, ac judicem, dicere auſim.

Quæris demum a me jamdudum propoſitum Opus de Febribus non curandis, *cujus argumentum in Venetis Actis te olim vidiſſe ſcribis. Hujuſce argumenti ſpecimen jampridem Typis editum extat in Tom. XV. præfatæ Collect. Opuſc. in quadam habita præ-*

(1) Giro del Mondo del Gemelli Tom. V. cap. III. pag. 157.

lectione, quum ſolemnis ſtudiorum Inſtauratio in Academia Patavina recurreret. Opus vero, inter tot alia, quæ ultimam manum deſiderant ſcripta, eaque bene multa cum blattis, ac tineis luctantia, jacet adhuc, & jacebit in poſterum, niſi D. O. M. labentem tot pathematibus animum, fatiſcente jam corpore, in perpendiculum aliquando reſtituat, quod optandum mihi videtur potius, quam ſperandum. Tu interim vale, & vegetiori, quo polles, animo, & corpore, Patriæ huic tuæ, quæ felicibus non caret ingeniis, novis elucubratis operibus, nova in dies ornamenta ne deſinas addere; & eximio Co: Mazzuchelli, cujus nomen juſta æſtimatione ſuſpicio, plurimam dic ſalutem.

P. S. *De Ægagropilis mentionem habet amiciſſimus, dum viveret, Valliſnerius in ſuo Dictionario Hiſtoriæ Naturalis, in quo nihil, aut certe parum, quod attinet ad rem medicam, iiſdem tribuere viſus eſt.*

Cremæ III. Idus Auguſti 1740.

SAPIENTI VIRO

ANDREÆ PASTÆ

Medico inter Bergomates celeberrimo

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

ORaveram equidem egregium Virum Chriſtophorum Giuponi, olim Venetæ centuriæ ducem, nunc ad majorem Brixienſis oppidi præfecturam evectum, ut occaſione ſui in patriam itineris, ſi quod in publicis officinis extabat tuarum Epiſtolarum exemplar, aut emptum tranſmittere, aut in reditu ſecum ferre dignaretur. Cum enim jampridem ipſarum ſpecimen in Venetis actis obſervaſſem, tuique nominis fama in dies hic etiam increbreſceret, non potui, quin mihi parandum ſollicitarem, ex tuæ eruditionis penu, quos poſſem, floſculos delibaturus. Verum tu, & humanitate, & generoſitate abundans, illud dono mihi miſiſti, gratiiſque, & beneficiis voluiſti immerentem cumulare. Placuit ſummopere utrumque argumentum, ſed multo magis tua argumentandi methodus, ſanioribus Medicinæ doctrinis innixa, & anatomicis obſervationibus ſuffulta, adeo ut ambabus ulnis amplecti debeam, quæ

pro-

proponis in prima epiſtola, hoc eſt ſumma cum circumſpectione ſtatuendum eſſe, num in demortuis ſanguis potius in venis, quam in arteriis concreſcat, proindeque varios motus tunc etiam ſubire poſſit: quandoquidem, ſi diverſæ ſunt mortis cauſæ, ſi multigena eſt ſanguinum indoles, ſi exta in tanta ſimilitudine ſunt ſemper diſſimilia, ſique demum cadaver diverſimode flectitur, & vertitur, & ſanguis *modo ſurſum pellitur*, *modo ruit deorſum*, nil mirum, quod in uno, vel altero loco magis congeſtus concreſcere poſſit. Ulterius præter a te exaratas, & a nobis delibatas, & reliquas, quæ ſuperſunt rationes, adde illam unam, quæ ex ſanguinis conſtitutione, tum ad lentorem, tum ad dioroſim inclinante, hauriri poteſt. Nonne in primo caſu ob conicam arteriarum productionem, ſemperque magis ob auctam anguſtiam, obſtantibus ipſarum parietibus, ſanguinis unda lenteſcere cogitur, ita ut pedetentim progreſſivo pereunte motu, ab immixtis heterogeneæ, acidæ, & viſcidæ naturæ particulis, totus cruor, quaſi dixerim, ſolidi indolem induens, ad funeſtam cum coagulatione ſtaſim diſponatur? Profecto ſi his acceſſerit ex fatiſcentibus probabiliter, quando extremum inſtat fatum, primarii muſculi lacertis, infirmior, & enervis ſyſtole; ſi os aortæ, aut quaſi oſſeum, aut infarctum, aut polypoſum, aut a cauſis morboſis compreſſum, & irradianti ſpiritu orbum, impreſſum, qualiſcumque ſit, a corde motum non ſuſcipiet, ſuſceptumque oblungatæ arteriæ, periſtalticum pulſum, & undulationem promovendo, non tradet; ſi denique in lateralibus diramationibus, aut in extremis appendicibus, & arteriolarum finibus, utpote anguſtiſſimis, concreſcens ipſe ſanguis, aut lentor, aut convulſio, aut ariditas tranſitum in venas intercipiet, & in hoc rerum ſtatu præſcriptum omnibus exitum Patiens obeat, quis erit tam fatuus, & demens, qui neget, in cadavere magnam ſanguinis partem in arteriis inventam fuiſſe? Sin vero ex maligna, & hectica febri, aut alia de cauſa, dialyſis in liquidis dominetur, perque patentes anaſtomoſes ſanguis in venas introeat, quot quæſo cauſæ, & effectus in iiſdem verificari non poſſunt, ex quibus cruor coagulari dein in ipſis debeat; ſcilicet vel ex fermentatione, vel ex acidiſſimarum particularum occurſu, ex lymphæ, ſeri per limphaticos tubos, & membranarum poroſitates diverſione, ex varicoſæ nodoſitatis obſtaculo, ex valvularum inertia, ne dicam flacciditate,

exque tot ægrotantis naturæ characteribus ; quibus inteſtinus , & progreſſivus motus ſufflaminatur , neceſſariumque intercipitur æquilibrium ? Quibus in proxime morituro ſuppoſitis , ubi diſſoluto ſpiritu , cadaver incipit frigeſcere , ſanguis non ſolum ob externa , ut tu docte memoras , accidentia , ſed interne indita , & mechanica vi , loco moveri , & poterit , & probabiliter debebit. Primo enim quieſcente cordis motu , ſublato in cruorem impulſu , arteriæ omnes in axim niti , & coire debebunt , proindeque contentus ſanguis in magis hiantes , proximiores canales exprimetur , vel retrogrado itinere caput , aut cor ipſum petet , vel proximas ſubibit venas , illoſque morbos ſimulabit , quos ante obitum factos , ut ais , autumant nimis creduli ſectatores. Secundo , in capite , in thorace , in artubus, ubi alioquin viſcera , glandulæ , utriculi , & muſculi omnes , ab æthereæ , flatulentæ , & nitroſæ indolis ſpiritibus diſtendebantur , non oculi ictu , præcipue in morte violenta , aut ſollicita , diſſipabuntur , ſed pedetentim , & a parte poſt partem, ſuperſtite poſt mortem motu , ut in mutilatis flutis , & viperis , earundemque fibris ſolemne eſt ; ideoque in proximis , in collateralibus partibus aliæ , atque aliæ adhæſiones , & contactus efficientur ; ob quos invios ipſos locos ſanguis ſubire , ne dicam quærere poterit. Tertio , affectum aliquod in prævia jam ægritudine viſcus , aut ex e longo materiæ peccantis decubitu , aut ex jam abraſis , & diloricatis ab acreſcente ſanguine vaſorum tunicis , tabeſcere , & marceſcere poterit , tantummodo tot poſt mortem horis ; ideo fractis hic illinc corruptorum ſolidorum repagulis , & ſufflaminibus , multi fieri poſſunt ſecundum mechanicas leges ſanguinis motus , qui iterum ratione impetus quietum alibi ſanguinem commoveant : quod quidem apertum ſit ex liquidorum gurgite , qui poſt mortem per œſophagum , aut aſperam arteriam eructatur , aut ex fractis ipſius feretri clavis , ob enormem externam totius corporis enflationem , & tumefactionem ; aut denique ab effoſſis ex humo cadaveribus ; in quibus multæ novitates conſpiciuntur , quas quies , varii putrefactionis gradus , & tumulus produxerunt .

Ex his etiam perbelle fluit rationum apparatus ad ſtatuendam tuam hypotheſim , in ſecunda epiſtola expoſitam ; num ſcilicet polypoſa congeries , præcipue circa cordis thalamum , etiam poſt mortem cumulari , & firmari poſſit : ruente doctrina tot celeberrimorum Virorum , qui ſibi , & bonis pecudibus in ver-

ba

ba magiſtri jurantibus, ſuaſerunt hunc vel illum polypum, dum Æger vivebat, aut ab utero contractum, aut florente ætate genitum, fati vadimonium accerſiſſe. Circa quod, ut candide, Vir ornatiſſime, opinionem meam tibi aperiam, utique ſentirem, utrumque effectum poſſe contingere; ita tamen ut Clinicus, qui & ægritudini, & ſectioni cadaveris interfuit, probabiliter citra erroris periculum decernere poſſit, num polypus morbum produxerit, concomitatus fuerit, aut mortem ſecutus ſit. Etenim, quis non videt, a variis pulſuum anomaliis, a lipothymiis, a cordis palpitatione, & tremore, ex crurum œdemate, ceteriſque ſolidorum vitio ſymptomatis, cuilibet remedio reluctantibus, nulla intercedente liquidorum dyſcraſia, contumacem, & in dies auctum morbum, ſingulari illa accedente ſignorum ſyndrome, quam graphice delineavit magnus Macoppe, non niſi a ſolidata, magniſque vaſis adhærente, polypoſa concretione, ſanguinis commercium intercipiente, vitæque fontem ſuffocante, pendere? Hæc itaque omnia ſi præceſſerint, ſique polypus pertinaciter adhærendo, altas jecit radices, ſi canaliculis variegatur tunicatis in ipſas arterias, aut venas hiantibus, ſi communes habeat cum canali, aut viſcere, cui affigitur, membranas, & fibras analogo concentu diſtributas, ſi deſunt pone corrivata ſanguinis quantitas, ejuſdemque grumi, potiuſque in diſtans idem concreverit, ſi ad naturam carnis, aut calli accedat, ſi propinqua vaſa in amplitudinem extenſa, corroſa, aut quomodocumque modo violata fuerint; ſi adſtantes membranoſæ partes diu compreſſæ loco ceſſerint, ſique ante, vel poſt polypoſum impedimentum, ſolidus alioquin canalis læſus fuerit, novumque iter hæma ſibi paraverit, ſi denique totum vas non occupet, & cum colore rubello macerationi integer reſiliat; tunc certe ante obitum extitiſſe ſtatuendum eſt (1). Sin vero tempore ægritudinis nulla unquam cordis anxietas, & morboſa viciſſitudo contigerit, & concretio veluti inſulata ſit, aut ſaltem parum adhærens, membranoſis quidem filamentis variegata, & albis tunicis diviſa, aut cooperta, ſed tamen interſint ſanguinis grumi, iique obſcuri, & friabiles, ideoque levi fricione a reliquo concreto abſcedant, & reli-

(1) Polyporum generationem ante poſtremos vitæ dies (quibus excitari tantum putant) enatam abunde demonſtrant ſymptomata, & læſiones, longo etiam tempore ante fœtum manifeſtatæ, præcordiorum ſcilicet anguſtia, pulſus vibratus, & intermittens, vaſa in jugulo dilatata, frequens animi defectus, brachii torpor, pulſus obſcuritas in eodem, & in ſterno ſpaſmodicus dolor non ſemel obſervatus &c. Marcelli Malpighii Opera poſtuma pag. 45.

& reliquo proxime circumſtanti ſanguini ſimiles ſint , & albidiuſculæ tunicæ , & pelliculæ in reliquo etiam ſanguine appareant , & dum extremus inſtabat dies , acidum in ſanguine dominatum habuerit , tunc & eo caſu ſuſpicandum ſummopere eſt pſeudo-polypoſam molem tantummodo poſt obitum coagulatam fuiſſe ; licet non iri poſſit inficias, præcedenti mortem polypo poſteriorem polypum ſubinde adjunctum etiam fuiſſe, & vivam olim concretionem cum mortua repente facta coaleſcere, quo caſu perfecte conſtare etiam poſſent differentiæ omnes , quæ utramque concretionem circumſcribunt (1) .

Quod autem etiam ſine vita polypea moles ſolidari in vaſis poſſit , præter tot experimenta , & clariſſimorum Virorum effata , quæ apte in eruditiſſimo opere adducis , apprime confirmatur , ſumto documento ex muſtaceis , vinoſis , lacteis , ceteriſque bene multis , media pyroſi , fermentationibus , quibus , ſublata ignis vita , quieſcentibus , ſecundum mechanicas efferveſcentiæ , putrefactionis , & ſeparationis periodos , illic offa ſeparatur , illic nubecula aſcendit , & ſubtilior tela totum operit liquorem , illic cryſtalli , & caput mortuum deponuntur . Quia vero & in ſanguine multigena latet particularum indoles , cur diſſipato jam ſpiritu , ex ſuperſtite in venis ſulphure , ſalibus , acido , lentore , tartaro , aut quacumque alia hujuſce farinæ vi , ubique , ſed præcipue in vaſis majoribus, non poterit ſanguis tali modo coacervari , ut , concurrentibus enunciatis cauſis , ſolidi naturam acquirat , & polypoſam molem repræſentet ?

Si quis autem aut præconceptis doctrinis obcœcatus , aut a naturæ miraculis alienus , pervicaciter adhuc hæreret , num hæc fieri poſſint , adeat Noſodochia , ſequatur Phlebotomos ; videbit enim ex icta vena profluentem ſanguinem , licet in ſubjecto vaſe aqua calente dilutum , & vitæ uſura privatum , attamen hinc inde congredi , & in mucoſa , alba , nunc varie colorata filamenta coire , nunc in catarrhales , & gummoſas maſſulas , preſſioni reſiſtentes , abſcedere . Videbit aliquando in inflammationibus , in plethora , inque cacochymiis albam illam cruſtam , in matula ſupra ſanguinem coacervatam , ad flavum , & viridiuſculum colorem interdum inclinantem , quæ ipſos utres interdum ſuperat in duritie , ut paucis abhinc annis

(1) Videndæ ſunt ſuper hac re Obſervationes Pathologico - Therapeuticæ Chriſtiani Friderici Joerdens .

nis nobis obſervare contigit in ſanguine ex vena Patricii Veneti Jo: Aloyſii Falieri, dira arthritide laborantis, in quo cumulata in ſuperficie cruſta, ad tantam firmitudinem ſolidata pervenit, ut, licet calami medietatem in magnitudine non ſuperaret, attamen in argenteo catino cultro ſcindi vix potuerit; nobiſcum ſtupente docto Viro Joanne Paulo Guadaneo, qui curationi adſtabat.

Quoties igitur expoſita principia, & effectus in ſanguine latent, eaque majora a poſtrema ægritudine, aut a violenta mortis cauſa producuntur: quoties non ab aere, qui ſemper, aut frequentius cruſtam produceret; ſed ab inditis, & latentibus in hæmate cauſis, tot metamorphoſes excitantur, fateri neceſſe eſt, poſſe etiam mucoſa illa, albaque filamenta in arteriis, & venis congredi, craſſamentoſas ſanguinis maſſulas allicere, & irretire; ita ut concurrente loci, & circumſtantium ſolidorum aptitudine, & in liquidis fermentationis, & putrefactionis gradu, novum, duriuſculum productum efficiatur ad polypoſam naturam accedens.

Parce interea, Vir eruditiſſime, ſi epiſtolæ limites tranſgreſſus ſum. Nec credas, hoc ab addendi, aut innovandi ardore eveniſſe; ſed potius ab inſtante propenſione, & vi tibi morem gerendi, & confirmandi propoſitiones tuas.

Si vero ſerotinæ meæ perveniunt grates, adjectam, & colligatam habes rationem, meas diſſertationes nempe, quas acri judicio tuo ſubmitto; non enim æquum mihi videbatur, ſola pagella beneficium rependere, ſed publicam expectare lucem opuſculi mei ſatius duxi, illudque dono dare; ut quamvis mea, incompoſito ſtylo ſcriptitata, a tuis graphice, & ſumma cum doctrina exaratis, ſummopere differant; attamen ſervaretur debitum ſaltem in donorum ſpecie, & pondere, æquilibrium. Pereat tamen hæc lex, & mercatoribus relicta imposterum a nobis procul abeat; imo Cœlites faxint, ut ipſe primus in re magni momenti tuis juſſibus parere poſſim, ac tibi jugia, & ſi fas eſt dicere, in æternum duratura, meæ obſervantiæ teſtimonia præſtare. Vale.

SAPIENTI VIRO,

Præclariſſimo Medico

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

ANDREAS PASTA

S. P. D.

O *Gratas mihi tuas literas ! O elegantiam ! O amorem , & miram humanitatem ! Quibus ſane neque me quid unquam delectavit magis , neque libentius legi . Quid enim mihi jucundius accidere poterat , quam a Franciſco Roncalli laudari , cujus nomen non modo in urbe Brixia , ſed etiam in aliis florentiſſimis urbibus celebratur ? Quas utique laudes etſi mihi non deberi certo ſciam , tibi tamen habeo gratias de iſta tam liberali erga me voluntate , quam in animo aſſidue feram , dum ſpiritu fruar . Verum , ut de meo libro loquar , nihil in eo præclarum eſſe cognoſco , nihil ſingulare , nihil laude dignum , mendoſa & obſcura ineſſe plurima ; ingenium plane deſiderari , atque doctrinam. Interim, Vir doctiſſime , me perite , ornateque ſcripſiſſe dicis . Tu quidem vel officioſe admodum dicis , vel*

ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores , elementa velint ut diſcere prima .

Id , quidquid eſt , me feciſſe non pœnitet ; nec ſi eſſem facturus ab incœpto deſiſterem . Siquidem placuit conatus hic meus ſapientiſſimo Viro Joanni Baptiſtæ Morgagno Præceptori quondam meo ; placuit doctiſſimo Petro Antonio Michelotto , mihique , dum in vivis eſſet , amiciſſimo ; neque diſplicuiſſe reor Friderico Ottoni Menckenio , Viro eruditiſſimo, ſtudiorum æſtimatori æquiſſimo , dum opuſculi mei in Actis Lipſienſibus ſpecimen ſumma fide , diligentia , atque humanitate confectum præbuit . Quid multis opus ?

Venio nunc ad ea , quæ non minus docte , quam humaniter partim addis , partim obiicis primis meis , & alteris literis . Velim tamen intelligas , me ideo ad hæc reſpondere , quod vereor , ne tibi plus tacendo diſpliceam , quam ſcribendo . Mihi igitur liceat duo tanquam poſtulata præmittere , quorum primum erit : vitam conſiſtere in projectili circularique motu ſanguinis ope muſculi cordis , & arteriarum ſic , ut , ceſſante hujuſmodi motu , vita quo-

que

que finiatur. Alterum : venarum ſanguinem ab arterioſo ſanguine ita verſus cor urgeri , ut ſine arterioſi ſanguinis impulſu ſanguis venarum ad cor redire non poſſit .

His poſitis , vix ac ne vix quidem aſſequor , cur maxima pars ſanguinis , ſi craſſus fuerit , immorari poſt mortem in arteriis debeat : ſecus in venis , ſi tenuis . Nam ſi in evaneſcentibus arteriis , ita vis cogi ſanguinem , ut obturatis earundem extremitatibus , nullus in venas aditus ſangini pateat , venarum ſanguis non redibit ad cor ex poſtul. 2. ; ideoque nec exhaurientur venæ ſanguine : interim ſublata ſanguinis circuitione , morietur extemplo animal ex poſtul. 1. Sin a concreſcente in arteriis ſanguine , ſic dimidium orificii coni verticis obſtruatur , ut dimidia dumtaxat pars ſanguinis ex arteriis pellatur in venas , quis non videt , dimidiato impulſu latum in venis ſanguinem , effundi quoque in cordis ventriculos debere quantitate impulſui proportionali ; indeque nec exhauriri venas , nec impleri arterias maxima parte ſanguinis ? Eiſdemque rationibus , atque argumentis utendum arbitror , ſi vel propter convulſionem , vel ariditatem , vel compreſſionem , & ſimilia , minimarum arteriarum oſcula impervia omnino fuerint , aut fere impervia tranſeunti ſanguini ex arteriis in venas . Quod ſi accidat , ut os aortæ ſit quaſi oſſeum , aut infarctum , aut compreſſum , & irradianti ſpiritu orbum , impreſſum , qualiſcumque ſit , a corde motum non ſuſcipiat , ſuſceptumve oblongatæ arteriæ periſtalticum pulſum , & undulationem promovendo non tradat ; *ſi , inquam , os aortæ ſit quaſi oſſeum , alterum duorum ſequi oportere crediderim : nimirum vel ſanguinem a ſolo cordis motu circumagi (quemadmodum ſibi perſuaſum habuit ille , qui dixerat* : ſanguinem , etiam feriantibus arteriarum preſſuris , non interrupto adhuc flumine per ſolam cordis virtutem , minori quamquam paſſu commeare poſſe , non ſecus ac navim medietate ſubtracta remorum impellentium ,) *vel ex pulſationis arteriarum ceſſatione motum ſanguinis circularem cum vita finiri . Quod pariter eventurum ſuſpicarer , ſi propter infarctum , compreſſumve os aortæ , arteriarum pulſatio deſinat .*

At ſi velimus , pertenuem diſſolutumque eſſe ſanguinem , inertes venarum valvulas , variceſque adeſſe inſignes , quid tum poſtea ? Nunquid univerſus ſanguis profluet per patentes , ut inquis , anaſtomoſes , ex arteriis in venas ? Mea quidem ſententia , nequaquam . Quippe nihil plus ſanguinis mihi videtur ferri ex arteriis in venas debere , quam quod una arteriarum contractione expelli

poteſt, aliter implerentur rurſum arteriæ ſanguine, ut initio editæ primæ epiſtolæ conatus ſum probare. Id autem ſanguinis, quod una tantum contractione excluditur, ſi partem maximam ſanguinis non conſtituit in ſanis, quanto minus in morientibus, tibi conſiderandum relinquo.

Quin jam ea ipſa contractione fortaſſe minus ſanguinis expelletur in venas, quum διάλυσις *in ſanguine fuerit. Equidem ad projectilem ſanguinis motum non modo cordis, arteriarumque actionem conducere cenſeo, ſed etiam renixum partium ſanguinis, quem cum fibræ ſanguinis potiſſimum præſtent, eæque in tenui diſſolutoque ſanguine, ſi non deſunt, certe exiles admodum ſunt, & minime elaſticæ; manifeſtum eſt, cordis, arteriarumque actioni vix reniti poſſe ſanguinem, cui inſit* διάλυσις. *His ſi acceſſerit valvularum venarum inertia, varicumque magnitudo, ac numerus, minus adhuc in arteriis moveri ſanguinem, æquum eſt arbitrari, eo quia arterias tum venoſi ſanguinis reſiſtentiam, tum valvularum in venis, varicumque momentum ſuperare neceſſe ſit.*

Sed rationi quoque experimenta reſpondent. Nam eorum qui ex pleuriticis, aut peripneumonicis morbis intereunt; quorum quidem ſanguis craſſus admodum eſt, & polypoſus, fere polypea fruſtula glomereſque oblongos tam in arteriis cordi proximis, quam in venis offendimus. Idque commune eſſe plerumque deprehendi iis quoque, qui cruſtoſum nacti ſanguinem, aliis affecti morbis perierunt. Sic graſſantibus annis proxime præteritis mali moris febribus, atque variolis fateri poſſum, me nunquam tantum ſanguinis in venis cadaverum ſectione vidiſſe, ut partem ſanguinis maximam conſtitueret, quamvis ſumma διάλυσις *in ſanguine dominaretur.*

Pergis: ubi diſſoluto ſpiritu cadaver incipit frigeſcere, ſanguis non ſolum ob externa, ut tu docte memoras, accidentia, ſed interne indita, & mechanica vi loco moveri & poterit, & probabiliter debebit. *Equidem cum in ea ſententia fuerim, ut crederem, ea contractione, quæ circulari ſanguinis motui finem imponit, vitam etiam extingui; id antequam cadaver frigeſcere incipiat accidere (niſi eo morbo pereat, in quibus æger, antequam moriatur, frigere ſolet) corque potius ultimo contrahi, quam arterias, credidi, quæ neque cum cordis robore, neque craſſitie ſunt conferendæ.*

Verum ſit ultima arteriarum contractio, qua perit animal; eaque ſanguis ſurſum deorſum proiiciatur, ante, retro, in proximas,

aut

aut longinquas partes, nam hæc nihil moror; at si sanguis ea ipsa contractione sursum versum pellatur in vasa plano perpendiculariter insistentia, aut quoquomodo elevata, haudquaquam ibi consistere, aut ibi concrescere, ajo, quo projectus pervenerat, sed deorsum prius fluere motione naturali a gravitate pendente, quam coagulari, & frigescere incipiat. Cumque in vasa defluat omni prorsus renixu expertia, aut fere omni, nihil subest mirari, eadem ipsa vasa, ac præsertim venas, cordisque auriculas a sanguinis proruentis vi, ac pondere sæpe adeo dilatari post mortem, ut plerisque dilatata multo ante obitum fuisse videantur.

Ceterum haudquaquam mihi in animo fuerat, in contractiori epistola, in qua vides, experimenta, & observationes non esse paucas, verba vero, & rationes sæpe consulto prætermissas, de omnibus motibus agere, quibus sanguis post mortem, cum antequam coeat, tum postquam coiverit, cieri potest; neque causas percurrere singulas, quæ gignunt motus. Quid enim aliud esset, quam crambem recoquere, longioremque epistolam fere sine ulla utilitate facere? Id erudite ab aliis præstitum, iisque præcipue, qui de cadaverum cruentatione scripsere. Placuit enim mihi, motum sanguinis post mortem detegere, qui, ut fiat, neque certa quadam indiget constitutione sanguinis, neque aeris qualitate, neque materierum peccantium decubitu: neque necesse est, viscus aliquod inflammari, mole augeri, aut contra tabescere: neque malignos morbos præcedere, neque ad fermentationes, neque ad putrefactiones confugere, sed semper eodemque modo fieri deprehenditur. Hunc igitur motum brevibus illustrare, ejusdemque utilitates adducere, conatus sum: tum eorum meminisse, quæ sanguinis descensum post mortem sæpe in quibusdam vasis minuere, interdum quoque ex toto prohibere consueverunt. Ex his autem, quas enarravi, causis vasa sanguinis comprimentibus, facilem fore aditum ad pleraque alias eruendas existimavi: nimirum materierum supra vasa aggestionem, veluti puris, effusi sanguinis, aquarum; viscerum incrementum, ossa, lapides, & alia permulta.

At tu interim causam aliam enumeras, sanguinis descensum alicubi impedientem, ubi ais: in plerisque partibus non ictu oculi, præcipue in morte violenta, aut sollicita, dissipari puto spiritus, sed pedetentim, & a parte post partem, superstite post mortem motu, ut in mutilatis, flutis, & viperis, earundemque fibris, solemne est: *hinc adhæsiones, & contactus effici delabenti restituros sanguini. Ego quidem ægre admodum intelligo, quo-*

modo quidam fibrarum motus, vel potius tremores naturalem ultimam cordis contractionem ſecuti (cujuſmodi ſunt, quos Harvejus in dextera cordis auricula, in vena cava Lovverus deprehendit.) Quomodo, inquam, poſſint vim atque pondus deſcendentis ſanguinis ſuperare? Equidem pluribus diſſectis canibus, laqueo enectis, nunquam hac de cauſa prohibitum ſanguinis deſcenſum fuiſſe memini, ſic ut veriſimile eſſe dixerim, concuti quidem ſanguinem, at ſurſum pelli his fibrarum tremoribus, aut prohiberi ne deſcendat, difficulter poſſe. Id dictum eſſe volo de vaſis majoribus, qui oculorum aciem non effugiunt, ſubiicique cultro poſſunt. Nam de ſanguinis deſcenſu in vaſa minima, inque ſanguiferas fibras, præſtans ob oculos quotidie fere exemplum habemus apud culinarias mulierculas, coquoſque, qui, ut albidioribus carnibus menſas ornent, gallinas enectas, ſeque ſe concutientes ſuſpendunt pedibus: quo fit ut univerſus ſanguis circa caput collumque congeratur: quamvis, ſi eodem ſupplicii genere homo, vel quadrupes necaretur, dicere auſim, in his fibrarum motus poſt mortem longe minores fore, quam gallinarum.

Non enim is ſum qui credam, dormientem Hiſpanum abſciſſo capite ſurrexiſſe, enſem enudaſſe, biſque, aut ter circumduxiſſe, priuſquam in terram concideret: neque quendam alium extracto corde caput expedite moviſſe, adſtantes torvo vultu inſpexiſſe, & cor ſuum accuratius contemplatum eſſe, donec caput amputaretur: neque diviſos ſupplicii cauſa Ægyptios, ignique impoſitos per horæ quadrantem vixiſſe, agnoviſſe, & reſponſa dediſſe: neque vervecem obtruncato capite progreſſum fuiſſe; neque ex aris victimas eductis viſceribus. Nam inter miracula pono, quæ refert Surius de D. Proculo Bononienſi milite, de D. Dionyſio Areopagita, & D. Albano Kornmannus, de D. Domneone noſtro Mutius, aliiſque, qui reciſum proprium caput manibus tuliſſe dicuntur: ſint licet, qui exiſtiment id non divinitus factum eſſe, ſed ex Galliis profectum fuiſſe. Mos enim fuerat apud pictores, ſculptoreſque Gallos reciſum caput in trunci manibus ponere, uti Itali palmam ſolent, tanquam ſignum martirii.

Ceterum anguillas, viperaſque in fruſta diſſectas, ſcolopendras, ſtelliones, polypos, cyprinoſque piſces, alioſque diutius moveri, veriſſimum eſt. Quin reciſum viperæ caput non aliter mordere, ac ſi corpori conjungeretur Redius tradidit, quod Charas quoque obſervavit in deſcriptione viperæ. Crabrones vero ablato capite volare, muſcaſque quaſdam majores non volare modo, ſed etiam gene-

nera-

nerare : teſtudines terreſtres per plures menſes ambulare , credant, qui volunt .

Ventum modo eſt ad alteram epiſtolam meam , in qua mihi tuam , Vir doctiſſime , ſententiam aperis , ratus cordis polypos tum ante , tum poſt mortem fieri . Quis , *enim inquis* , non videt a variis pulſuum anomaliis , a lipothymiis , a cordis palpitatione , & tremore , nulla intercedente liquidorum dyſcraſia , contumacem morbum a polypoſa concretione pendere ? *Dic mihi ſodes , cur rebus ſic ſtantibus pendere nequit morbus ab anevryſmate aortæ , cordiſve ? An num quia magnus Macoppe ſic graphice polypi ſigna deſcripſerit , ut anevriſmati aortæ convenire non poſſint ? Legas , obſecro , Roncalle humaniſſime , quæ literis tradidi §. V. meæ , de qua agitur , epiſtolæ pag.* 21. *& ſeq.*

Nulla , *addis* , intercedente liquidorum dyſcraſia . *Utinam adeo exploratam & perſpectam fluidorum naturam haberemus , ut eorundem* ἐυκρασία *innoteſceret . At quomodo in particulis fluida componentibus pares proportiones , & vires agnoverimus , ſi pleræque earum ſunt impervia ſenſibus ; neque ſatis convenit inter Phyſiologos aliarum , quæ ſunt ſenſibus obviæ , de natura & viribus ? Sin* nulla intercedente liquidorum dyſcraſia , *velis intelligam , ſanguinem nulla per morbum cruſta obduci , adeoque affirmare non dubites , cruſta in ſanguine non apparente , ortum ante mortem fuiſſe polypum , quid tum prohibet , quominus reſpondeam , aut forte non eductum ſanguinem iis cautionibus , aut iis ſimilibus , quas recenſui §. XV. pag.* 61. *& ſeq. , aut ſemel tantum fuiſſe elicitum ? Nam fieri omnino poteſt , ut , adhibitis licet cautionibus , cruſta ſanguinis interdum fallat , præcipue cum parca fuerit , cum permulta ſint , dum ſanguis mittitur , quæ eandem impediant , quæ in cadavere quieti tradito deſiderantur : ut enim non elicitur cruſtoſus per morbum ſanguis , quin occurrant in cadaveribus polypi ; quemadmodum §. XVI. ejuſdem epiſtolæ adnotavi , ita vix unquam offendi eductum ſine cruſta ſanguinem , in quorum cadaveribus apparuerint polypi : qua ſane cruſta laboraſſe Patini quoque ſanguinem in morbo miſſum legimus in fine §. III. epiſtolæ cl. Macoppe .*

Tranſis deinde ad polypum ipſum , ejuſdemque naturam circumſcribens , eum primo exiſtimas ante mortem natum , qui præter enarrata ſuperius ſymptomata , pertinaciter adhærendo altas jecit radices . *Hoc equidem tum accidere arbitror , cum is cordis poſitus fuerit , ut elata ſurſum e ſanguine calens adhuc , & fluens cruſta ;*

ſta ; quippe , τέως μὲν ἂν θερμὸν ᾖ, *in libro qui* περὶ σαρκῶν *inſcribitur , legimus ,* ὑγρόν ἐϛιν τὸ αἷμα; *ſe ſe intra cordis columnas , lacertulos parietumque foveas infert , aut intra arteriarum aſperitates : ubi mox fortiori nexu coit , utique ſi robuſtis fibris compoſita fuerit , contentumque intus ſerum expreſſerit ; non aliter atque in educto ſanguine facere conſueviſſe , dictum eſt in epiſtola .*

Poſt addis , ſi canaliculis variegatur tunicatis *&c. ; tum ,* ſi communes habeat cum canali , aut viſcere cui affigitur , membranas , & fibras analogo concentu diſtributas. *Ad canaliculos quod attinet , cum* tunicatos *appellaveris , valde vereor , ne inter vaſa ſanguinis ſint enumerandi ; quæ nec in polypis unquam vidit Malpighius ipſe , neque Morgagnus , uti videre eſt in Adverſar. Anat. V. animad. 27. pag. 40. Ad alterum autem & hic valde metuo , ne polypus* communes *habens* cum canali , aut viſcere cui affigitur membranas , & fibras *&c. amplius polypus ſit appellandus , ſed vera canalis , aut viſceris excreſcentia , qua de non agimus , quamque canaliculis gaudere tunicatis hic illic hiantibus , ultro concederem .*

Tum , ſi deſunt , *ſequeris ,* pone derivata ſanguinis quantitas , ejuſdemque grumi ; potiuſque in diſtans idem concreverit. *Fateor , me nunquam vidiſſe polypos ut ut fibroſos , tunicatos , & duros , cui grumi ſanguinis , ſeu omnis omnino pars grumi , deeſſent ; licet interdum ſanguinis quantitas pone , vel ante deliteſceret . Ubi namque polypus grumo laxe adhæret , nullo negotio ab eodem disjungitur , ſedemque mutat ; dum cadaver e lecto aufertur, diverſimode flectitur , ſupra tabulam proiicitur , ac parum diligenter diſſecatur ; ita tamen ut facile ſit intelligere , qua parte grumus a polypo ſeceſſerit , cum ejuſdem veſtigia ſemper in polypo appareant . Vid. §. XXII. pag. 73.*

Deinde , ſi ad naturam , *inquis ,* carnis , aut calli accedat *polypus . Profecto mihi certo conſtat ſæpe miſſi ſanguinis cruſtam ad carnis , aut calli naturam acceſſiſſe . Hujuſmodi fuit , quam clar. Mangettus deſcripſit in adnotationibus diſſertationis Malpighianæ de Polypo cordis , quamque tranſcriptam leges in §. XX. epiſtolæ meæ pag. 69. & ſeq. Quin tu quoque ſimilem mihi viſus es deprehendiſſe in ſanguine Patricii Veneti Falieri ,* in quo cumulata in ſuperficie cruſta ad tantam firmitudinem ſolidata pervenit , ut ſcindi vix potuerit , *atque interdum cruſtam , parum ante inquis, tibi accidiſſe mirari , quæ utres ipſos duritie ſuperaret .*

Tum , ſi propinqua vaſa , *inquis ,* in amplitudinem extenſa

corro-

corroſa, aut quoquomodo violata fuerint; ſi adſtantes membranoſæ partes, diu compreſſæ, loco ceſſerint, ſique ante vel poſt polypoſum impedimentum ſolidus alioquin canalis læſus fuerit, novumque iter hæma ſibi paraverit. *Si* propinqua vaſa, *intelligis, ut arbitror, vaſis ſectionem, quam polypus obſidet, hujus amplitudo naturali major, hoc eſt anevryſma ſi arteria, varix ſi vena fuerit, mihi videtur ſignum polypi perquam ambiguum. Quippe iſthæc vaſorum vitia ſine ullo polypo oriri poſſe manifeſtum eſt a fluido erodente, a vi cunei ejuſdem impellentis intus contenti, a fibrarum paralyſi, convulſione, contuſione &c. Quin Lanciſius non polypos ſtatuit cauſam anevryſmatum, ſed magna anevryſmata cauſam polypi. Idem dicendum arbitror, ſi vaſa corroſa fuerint, aut quoquomodo violata, aut læſa: ſin* adſtantes membranoſæ partes diu compreſſæ loco ceſſerint, *id non poſſe tribui, niſi arteriarum anevryſmati, aut varicibus venarum intelligo. De ſanguine autem novum iter ſibi parante, ſi quis mihi polypum oſtenderit iter ſanguini præcludentem ſic, ut nihil ſanguinis trans polypum offenderim, tum univerſos & ſingulos polypos ante mortem gigni, jurejurando aſſeram, dummodo ne vaſis poſitus uti polypus hæſerit obliquus fuerit, unde exiſtimare neceſſe ſit, polypum eſſe cruſtam ſanguinis in ſuprema grumi parte conſtitutam. Sed hoc opus, hic labor eſt.*

Si denique, *inquis*, totum vas non occupet, & cum colore rubello macerationi integer reſiliat. *Si quod argumentum probat, nullum eſſe diſcrimen inter cruſtam educti ſanguinis & cordis polypum, hoc certe, ni fallor, eſt. Nam in his polypus maxime morem cruſtæ ſequitur. Et primum hæc ubi concreverit, totum vas occupat, quo excipitur: mox in ſingulas horas contrahitur, quouſque contentum intus ſerum expreſſerit, propiuſque ad centrum accedit. Sic eo craſſior deprehenditur polypus, quo propius abeſt ab interitu ſectio cadaveris; quæ quidem narrata ſunt §. XXIII. epiſtolæ, pag. 74. Deinde cruſtam omnem, quæ ſpeciem carnis exhibet, integram macerationi reſtitiſſe novi, facto periculo macerationis quadraginta dierum in aqua ſimplici, addita ebullitione in ſingulos dies quatuor horarum: coloremque rubrum ex punctis ſanguineis profectum non prius amiſiſſe, quam polypus fecerat, ex cadavere ſumptus, cujus cruſta ſanguinis fuerat, eodemque modo atque igne affectus. Quæ confirmare videntur Malpighii ſententiam dicentis, cruſtam miſſi ſanguinis* perſimilia *habere* polypi phænomena; *& Villiſii*, conſimilem omnino ſubſtan-

ſtantiam *nanciſci* cum *concretionibus polypoſis ; quæ literis tradita ſunt in §. XVIII. epiſtolæ pag.* 66.

His igitur ſatis arbitror , me tuis reſpondiſſe difficultatibus : ſed interim manent , quæ de acido in ſanguine dominante , polypumque poſt mortem interdum creante dicis ; quæque inſuper adducis argumenta ex muſtaceis deſumpta , vinoſis , lacteis , ceteriſque fermentationibus . Ad primum quod attinet , non indigna prorſus exiſtimo , quæ repoſui in §. X. epiſtolæ pag. 37. 38. 39. *Quæque humaniter , ut ſoles , legas velim . Ad alterum , quod ſpectat , reſpondeo : naturam in efficiendis polypis nihil omnino indigere , neque uti chymicis viribus. Et quamvis adſint in ſanguine pleræque craſſæ , tartareæ , ſulphureæ , ſalinæque particulæ , harum vires in polypis conſtructione natura non adhibet . Sola partium a partibus ſeceſſione negotium perficitur , ſola lege tutiſſima gravium . Quæ ſane ſeceſſio partium a partibus tum incipit in ſanguine fieri , cum ejuſdem projectitius motus a corde arteriiſque profectus , uti & is, quem fluminis diximus , deſierint . Vid. §. XVI. pag.* 63. *& ſeq. Quod ſi ſola partium a partibus ſeceſſione cruſtam in miſſo ſanguine fieri nemo ibit inficias ; quid cauſæ eſt , cur non velis , eadem prorſus arte fieri polypos in cadaverum venis , arteriiſque ? Gaudet namque maxime ſimplicitate natura ; quæque demonſtrari queunt datis notis æque , ac ſimplicibus , non ſunt exponenda ignotis, atque obſcuris .*

Ut autem certo ſcias hoc uno modo , neque aliter excitari in cadaveribus polypos , præter enarratam ante , & a ſummis Viris comprobatam ſimilitudinem inter cruſtam educti ſanguinis , & cordis polypum , inſpice ſitum polypi in cadaveribus reperti , cujuſcumque ſit indolis , duritiei , ac roboris ; cernes profecto ſemper occupare ſupremam grumi ſedem , non poſitui in quo cadaver diſſecatur reſpondentem , ſed ei in quo mortuus homo fuerit re ferme refrigeratus . Vid. §. XXII. pag. 73. *Quid quæris ? Certe aut falſa loquor ; aut ſi vera , fatearis neceſſe eſt , polypum cujuſcumque generis , quocumque prægreſſo morbo , ſemper ſupremam grumi ſedem occupantem , cruſtam eſſe ſanguinis in cadaveribus coacti , vaſorum figuram nactam , in quibus eadem ipſa coiverit .*

Ac ſi forte accidat , ut propter ea , quæ ſcripta ſunt §. XXII. hujus rei veritas in humanis cadaveribus non ſemper , nec ubique ſtatim appareat , ſcias velim , eam in canibus , qui cruſtoſum habent ſanguinem , eluceſcere , modo capite ſuſpendantur , aut pedibus . In utroque enim corporis poſitu nullo negotio ſtatim invenies oculiſ-

oculiſque palpabis polypos in ſuprema grumi ſede ſitos tum in arteriis, tum in venis. Hæc ſi minus vera eſſe comperies, me malum hominem, me impoſtorem, ſi dixeris, non erubeſcam, nec moleſte feram.

En abſoluta tota pagina, Roncalle humaniſſime: ſi difficultates minus ſunt abſolutæ, fortaſſe dies ipſa faciet, ut dilucide pateant, quæ ſatis explicare non valui. Reſponſiones autem meas multum fuiſſe prorogatas non e re mea fuit, ſed inclytæ Monialis Erminiæ Panzerinæ, quæ me gravibus ærumnis tuis adeo percuſſit, ut irrigarem lacrymis, quæ nunc ſcribo. Quamobrem, ne triſtitia tua longius ducatur, quæ ſalutem quoque tuam magno Reipublicæ literariæ damno in diſcrimen adduceret, tibi a Cœleſti Medico auxilia primum exopto; deinde a virtute tua, quæ cum in omnibus ſcriptis tuis emineat, tum vel maxime in editis poſtremis diſſertationibus mihi dono miſſis, elucet: pro quibus ſane, & pro ea, qua me in eo opere nominare dignatus es humanitate, gratias ago maximas, ſemperque agam, quoad vita perfruar. Eximiam autem eruditionem tuam in medicis, & philoſophicis rebus acerrimo, ac ſeveriſſimo judicio conjunctam mirari non deſinam. Vale; tuamque valetudinem, meque addictiſſimum famulum, diligenter cura.

Bergomi Idibus Novembris 1740.

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNI

In Patavino Gymnaſio Primario Anatomes Profeſſori,
& Præſidi

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

MAgni tui nominis fama, Vir Illuſtriſſime, ſumma tua humanitas, qua olim noſtras, qualeſcumque fuerint, elucubrationes comiter ſuſcepiſti, tuiſque literis probare dignatus es, promta demum, & ſapientiſſima reſponſa, ne dicam oracula, quoties de difficillimo aliquo morbo agebatur, licet huic munuſculo viam quodammodo ſternere videantur; attamen ſi te primariam olim fuiſſe Bononienſis Inſtituti columnam, nunc vero magnum eſſe decus memineris, ſi epiſtolam nuncupatoriam noſtri operis fronti præpoſitam inſpicies, ne hilum quidem dubitabis, non alio mea conſilia ſpectare, niſi ut tibi ſoli, & domino, & ſodali privatis hiſce literis ſacrem, & voveam, quod dudum publico teſtimonio in grati animi, &

obſequii teſſeram omnibus ex Academia obtuli. Quoniam vero rationum momenta, quæ me ad id faciendum impulerunt jam in ipſa dedicatione explicata ſunt, quin illa tibi refricem, aperte vides ſingulariter a te, qui in phyſicis es omniſcius, expectari de diſſertationibus meis judicium poſſe. Ad tertiam tamen quod attinet, anatomicis experimentis, & doctrinis, in quibus principatum tenes, quodammodo exaratam, non me credas, ad canenda miracula proclivem, neque mearum hypotheſium adeo philautum, ut illas ampulloſe extra naturæ regna, & Phyſices confinia novatoris, & portentiferi Viri nomen affectans, tranſducere velim, a qua potius propenſione toto cœlo alienus, ab ipſa natura comparatus ſum; ſed ex animi ſententia dicere debui, non cur, quomodo, aut quando acus intruſæ fuerint, ſed dicere, inquam, debui, quod vidi, quodque hiſce manibus tetigi. Tu, qui tot cadavera ſecaſti, totque ſectionibus præfuiſti, nihilque, quaſi dixero, ignoras, quod veterum anatomicorum ſolertia detexit, me docere poteris, num obvia, aut rariſſima ſint, quæ reperi, num vera, quæ expoſui, numque amicum adeo fœdus cum muſculoſarum partium villis, tenuibuſque nervearum fibellarum ordinibus, rubiginoſum ferrum ineat, ut non uno, vel duobus locis ſecubare, (quod de extraneis corporibus in corpore quandoque viſum eſt,) ſed centenis, vel decuſſatim quieſcere, abſque vel minimo communium integumentorum, & muſculorum abdominis vitio, tam facili negotio poſſit (1).

Faxint interea Superi, ut, qualiacumque ſint, noſtra tibi arrideant meditamina, & velint, ut diu omnium votis ſis ſuperſtes. Vale.

FRAN-

(1) *Nam tantum abeſt, ut hoc fieri poſſit, ut natura ne pilum quidem, aut minutulum quodvis aliud corpuſculum cicatrice incluſum tolerare, aut pati poſſit. Nec vero par ratio eſt globuli plumbei, qui in corpus impulſus ille ad multos annos cunctari cernitur ſine Ægri noxa: nam & familiaritas quædam plumbo cum humano corpore intercedit, & tamen id tandem niſi oppoſitæ carnis, aut ligamenti, aut tendinis, aut ſimilis alterius ſubſtantiæ denſitas impediat, a natura peregrini omnis corporis impatiente foras protrahitur.* Ambroſius Paræus. Lib. IX. pag. 295.

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Viro Clariſſimo

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS

S. P. D.

REddita mihi ſunt literæ, & Diſſertationes tuæ, Vir clariſſime, ſumma illa erga me humanitate plenæ, hæ vero, quantum adhuc potui ex tertia cognoſcere, non vulgaria, imo rariſſima quædam, & fortaſſe inaudita complectentes. Etſi enim non tantum mihi ſumo, ut quæ ad meam facultatem attinent, omnia & legiſſe, & meminiſſe me, credam; at pleraque certe ut mihi ne incognita eſſent, multam ab adoleſcentia uſque operam poſui. Tamen quæ de iſtis acubus ſcribis, ſive numerum, ſive ſedes, ſive cetera attendam, non modo ipſe non inveni; ſed neque alium quenquam legiſſe videor, qui ab ſe inventa commemoraverit. Quo magis tibi & gratulor, & gratias ago, haſque eo cumulatiores, quod amicum tuum de me judicium cum publicis, tum privatis ſcriptis, quæ tua eſt humanitas, ſignificaveris. Deumque Opt. Max. veneror, ut te incolumem ſervet, faxitque, ut quam diutiſſime & rem medicam ornare, & me redamantem amare poſſis.

Patavio XIII. Kal. Sextiles 1740.

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO

PHILIPPO DE VIOLANTI

REGII POLONIARUM PRINCIPIS &c.

Medico, & Conſiliario.

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

POſtquam Venetiis te comiter alloquentem audivi, teque, & præcipue Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Comite Joſeph Cabaleoni de Wackerbart Sereniſſimi Principis Poloniarum primario inſtitutore annuente, Regiam manum mihi fauſte (o dies non lapillo, ſed adamante obſignanda) deoſcu-

lari datum eſt , ſemper magis cogitare non deſtiti , quomodo & factis , & promiſſis mihi a te in literario commercio officiis reſpondere , aut exſolvere poſſem . Sed mea me tenuitas deterrebat , quippe cui adverſus tuorum meritorum amplitudinem nunquam paria poſſe rependere videbatur . Inter has hæſitantis animi difficultates effulſit tandem ſpes , quod nempe aſſolent magni Viri humaniter ſuſcipere , & verſari in iis , quæ non ſolum , utpote perfecta , ad bonarum artium propagationem pertinent , verum etiam omnibus acquieſcunt , & primo ſaltem obtutu delectantur , quæ literarium aliquod ſpecimen cum novitate conjunctum habeant . Ideo cum in præſens primum videant lucem Diſſertationes noſtræ Miſcellaneæ , æquum duxi illarum exemplar ad te tranſmittere . Nemo enim magis quam tu judicium ferre poteſt ; cum concredita tibi a Rege Auguſto Patre Sereniſſimi Principis ſalus & vita jam ſatis oſtendat te in latiſſimis Germaniæ , Saxoniæ , & Poloniarum ditionibus jam jam ad medicæ facultatis apicem evectum , ad quem nil aliud , quam virtus , & doctrina iter aperiunt : adeoque de omni ſcientia non tantum diſſerere , verum etiam citra erroris periculum recte ſancire potes . Et quoniam jam proximum audio ab urbe Veneta diſceſſum tuum , tibi comitem addere nobis placuit Opuſculum , ut nunquam penes te deeſſet meæ obſervantiæ teſtimonium . Si in tuis apud exteras gentes itineribus , præcipue ad rem medicam , quod ſpectat , aliquid occurret , quod a vetere praxi , aut a notis inventis diſtare , & cum artis decore , vel ægrotantium utilitate increbreſcere videatur , nos quæſo , ut oretenus decrevimus , commonefacere ne pigeat . Sicuti enim ſingulari regioni ſingularis competit medendi , ideoque , & purgandi methodus , ut in adjecta prima Diſſertatione expoſuimus ; ita non adeo erga noſtram Italiam philauti ſumus , ut diſpari argumento libenter non aſſentiamur , Deum Optimum Maximum multis regnis , populiſque ſub diverſo cœlo peculiaria conceſſiſſe , ſemperque innovari , & florere ingenia , ex quorum mutuis monitis , & reciproca , vel interdum critica viciſſitudine ars medica illuſtratur , atque perficitur . Per me ſane dum mens , vireſque aderunt , nec ſummæ tuæ humanitatis obliviſcar , nec deſinam tua mandata flagrantiſſime percupere , & ubicumque locorum te certiorem de meis obſequiis facere . Vale .

VIRO

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

JOANNES BAPTISTA MAZINI

S. D.

DUm ſedulo legerem ea, quæ de uſu purgantium in aere Brixiano docte, eleganterque edidiſti, & mihi ſingulari humanitate tribuiſti, Vir clariſſime, recordatus ſum eorum, quæ olim Brixiæ, medicam Praxim agens, pluries expertus ſum: candide itaque, & brevibus refero. Cum res medica poſtularet expendere maſſam ſanguinis, ut plurimum mihi ſe obtulit ejuſdem craſſamentum tenuibus fibrillis compoſitum, ſubtilitate quidem, fragilitate, & raritate admirandum. Brixia etenim aquilonem verſus altiſſimis montibus munita frequentiſſimis nivibus albeſcit; ab his, quibus prope eſt civitas, aereo-nitroſa effluvia, quæ frigida aromata a Verulamio de hiſtoria vitæ, & mortis *dicta ſunt, feroci impetu frequenter efflantur: cum vero mechanicæ leges edoceant effluvia emiſſa a corporibus ſuas vires, ac momenta exercere in ratione reciproca quadratorum diſtantiarum a corporibus, a quibus emanant, nemini obſcurum eſſe poterit, ea denſitate, eaque copia aereo-nitroſa elementa Brixianam atmoſphæram implere, eaque vi, ac potentia motus, & elateris Brixianorum æſophagum, & pulmones ingredi, & ingreſſu facto arietare, qua reciproce Brixiani cives aquilonaribus montibus ſunt viciniores. Ingreſſa itaque maſſam ſanguinis occupant, factoque fœdere cum particulis ſulphureis, quibus Brixianorum humores ob vina nimis ſulphurea eminenter abundant, tota fluidorum maſſa æquabili, ac naturali quidem, ſed majori gradu movetur, ex motu attenuatur, ex attenuatione rareſcit, talique motu, ſubtilitate, & raritate ut plurimum conſervatur.*

In hac communi tenuium humorum conſtitutione, Brixiani æſtivis temporibus copioſe tranſpirant, propterea majori, & frequentiori egent alimento, ne languidi collabeſcant. Si ergo hujuſmodi temperies hominum inediam, aut tenuem cibum ferre non poſſunt ſine deliquio, quomodo purgantia ferre poterunt ſine periculo? Hiſce phænomenis conſpirant ulterius aquæ nitroſis particulis frigidiſſimæ, quibus potiſſimum utuntur illi, qui ſub aquilonari Brixiæ plaga

vivere

vivere consueſcunt ; hæc enim nitroſarum aquarum indoles ſalinos ventriculi ſolventes cuneos alte acuit , & auget , ut has aquas cum Hippocrate lib. 6. de Morbis popularibus *voraces eſſem dicturus . Quæſo non tædeat vocare pariter in judicium ventriculum, & inteſtina : hæc habebis plerumque levi muco veſtita , ut ab his clare intelligas , cur neceſſario a purgantibus læsi debeant . Quæris majora ? Quis eſt , qui in aere Brixiano repetitas ſuſtineat phlebotomias , ut ſine detrimento , imo cum utilitate ferunt Patavini? Verum in his frequentiſſime maſſa ſanguinis alba cruſta quodammodo ſolideſcit , quam raro in Brixiano ſanguine eris viſurus . Purgantia ergo a Brixianis recedant , quorum fluida tenuia , ac fragilia admiramur .*

Denique ne pigeat ulterius audire , quæ pluries in ipſis Brixianorum febribus obſervaveram . Fateor , uſum ipſum corticis Peruviani in Brixianis febribus felicem eſſe ſolum in iis , in quibus maſſa ſanguinis fibroſa , ac denſa magis fuerit ; inanem vero, imo nocuum , ut plurimum eſſe futurum , in quibus maſſa ſanguinis tenuitate , ac raritate peccaverit ; cum vero maſſa ſanguinis Brixianorum tenuis , ac rara eſſe ſoleat , habes, quam raro etiam cortex Peruvianus Brixianorum febribus convenire videatur . Ab his itaque , quæ aeri Brixiano communia ſunt , & experta , tanta eſſe puto verborum tuorum pondera , ut exiſtimem , te contra purgantia cujuſcumque generis , quæ ſolum opportuna ſunt , eſſe conſequuturum . Utinam quacumque regione aer , venti , aquæ , herbæ , fructus , hominum temperies , artes , & exercitia poſſent dimetiri , profecto Praxis medica non claudicaret , ſed tuto pede iret feliciter , apto Ægrotantium auxilio , & ſummo Medicorum ornamento . Vale .

JOANNI MARIÆ FINONI

Medicæ Artis candidato

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

QUamvis argumenta , & rationes , quas mihi nudius quartus oretenus graphice exaraſti , dulciſſime Finone , circa diram ægritudinem , qua ſex abhinc menſibus torquetur egregia mulier N. N. , & tuæ mentis acumini , & ingeniolo meo quodam-

dammodo quadrare viſæ ſint , attamen poſt quam mecum ipſe iterum cogitavi (ob Patientis merita cogito autem ſæpiſſime) temperiem , ſymptomata , terque jam innovatas violentiſſimarum exacerbationum periodos , ſemper magis pertimeſco ne tantummodo induciæ , non pax fida , obtentæ ſint . Ideo paulo fuſius tibi noſtram aperire ſententiam hac epiſtola voluimus , ſimulque tuam in ruſticano aere minervam excitare , ut ab attentiori inſtituto examine , exque oppoſita dicendi ratione , tutior ſemita ad morbi cognitionem pateat .

Nec vero fervidam hepatis conſtitutionem , irrequieta ſulphura , calidumque Patientis , multoties enixæ , temperamentum , perpetratos in victus regimine errores , aut miram , & ſubitaneam in omnibus peragendis ſpirituum animalium promptitudinem tibi recinam ; cum hæc omnia a te multoties jam audita , & viſa ſint , dum neceſſitudinis erga amicam domum tuæ , & medica optimi Patris munia complebas : ſed potius hiſtoriam morbi repetendo , pro therapœja illuſtranda , en habe , quæ meæ menti inſideant .

Non ignoras elapſa hyeme , & ingruente , ni fallor , Februario egregiam Patientem correptam repente fuiſſe quadam cordis ſuffocatione , lipothymia , & vomitu , primo amurcoſi ciborum reſtitantis in ventriculo farciminis , mox porraceæ & flavæ bilis , ex cujus exitu licet acutus morbus quodammodo miteſcere viſus fuerit , attamen ſuccedens anorexia , oris amaritudo , ſitis , vigiliæ , virium debilitas , dolores abdominis , præcipue circa ventriculi regionem , continua denique continens febris , tertianario interdum rhythmo ſtipata , nuncque magis, aut minus excandeſcens , medicam opem poſtularunt . Qua quidem præſtita purgantibus , & per epicraſim aperitivis medicaminibus , mox diluentibus , cichoraceis , & bilem cicurantibus , tandem ſanguinis miſſione , & amygdalarum dulcium ſucco ad pacandos fermentantium particularum tumultus , tantum abfuit, ut eadem omnia , licet ſecundum rationem adhibita , optati eſſent juvaminis , quin potius damna tulerint , & fibrarum omnium irritamentum produxerint . Omiſſis propterea , volente fato , & jubente Ægra , remediis , & reſtitantibus ſolius naturæ viribus delegato curationis opere , tranſactiſque inter januam , & cubiculum Majo , & Aprili , jam ſcis , quod indeſinenter febricitavit , ſemperque in viſceribus latitavit cauſa, & fermentum illud , quod in liquidis dyſcraſiam , in ſanguine

effer-

efferveſcentiam, ſi mavis cum Eraſiſtrato, ſyſtema nervoſum afficientem, produxit.

Te itaque ulterius non morabor in enumerandis remediis, quæ elapſo nuper vere inſtituta fuere, non rhacoma, non oxymel B. Quercetani, non ammoniaci pilulas, non cordialia temperata memorabo, quæ nunc adhibita, nunc intermiſſa nullius fuerunt juvaminis; adeout elapſo antea menſe ex pedetentim collecto flavæ bilis apparatu, cruda diarrhæa ſurrexerit, cum torminibus abdominis, deliquiis, laſſitudine, ſemperque magis auctis ſeroſo-flavis dejectionibus, laborioſa profunda reſpirandi difficultate, vigiliis, biſque in die repetentibus cum aliqua horripilatione paroxyſmis, una cum liquidorum omnium diſſolutione, ita ut ad compeſcendum ſanguinis motum, & ad ſpirituum animalium perturbationem moderandam, ad opiata tranſitus factus fuerit. Quibus obtento ſomno, & quiete, & aliquatenus domitis violentiſſimorum ſymptomatum inſultibus (nunquam tamen penitus ſoluta febre, quæ ſemper perduravit) dum præteritis diebus e lecto ſurgit, deambulat, alimenta ſaltem non odit, & ad oblata ſe paratam exhibet; de improviſo ſopita jam crudelius revireſcunt ſymptomata, linqui animo incipit, bilis cruda frequentiſſime deiicitur, & interdum, nobis ſtupentibus, pura puta, tamquam immediate a cyſti fellea proveniens, eructatur, ventriculus iterum cibos abhorret, & juſcula tantum admittit, moleſtam Patienti dolorificam ſenſationem circa mucronatam infert, abdominalia viſcera Medici manui criſpata, non ſenſibiliter obſtructa, renituntur, inteſtina obmurmurant, dolor capitis, cutis ariditas, ſitis, lingua aſpera, reſpiratio anheloſa, urina crocea, & quod magis æxtimandum, ardens, & peracuta febris nobilis Ægræ vitam ponit in ancipiti. Quoniam vero ob res natas difficillima nobis videbatur eradicativa curatio, & aliqui imorum artuum rigores ab auctis morboſis cauſis febrile incendium intendi ſuadebant, ad uſum corticis Peruviani, tanquam ad ſolam ſacram anchoram, ventum eſt, ex cujus mirabili, & ſpecifica vi crudelia ſymptomata miteſcere viſa ſunt; ſuperſtite tamen leviſſima febri, quæ nunquam penitus ſolvitur, & timorem incutit, ne rebellis morbi ſemina iterum, & crudelius reviviſcant.

In arduo autem hoc rerum ſtatu tota difficultas in eo ſita eſt, ut determinetur morbi ſedes, ejuſque primaria cauſa noſca-

ſcatur : in quem finem haud equidem diffitebor , me pluries varia ſcriptorum ſyſtemata circa febrium eſſentiam ad examen revocaſſe , methodum illam laudare , & in uſum ponere paratus , quæ menti meæ , & Ægrotantis indigentiæ ſatisfacere videretur. Et primum vetus humorum in corpore quaternio ſe obtulit , in quibus licet ſanguis culpari poſſet ; attamen cum febrilis æſtus ſtatis horis non ſemper augeretur , ſanguis ab icta vena proſiliens pulcher fuerit , ſique labefactus alios etiam humores inficere debuiſſet ; pituita , nec melancholia unquam dominatæ ſint , ut multæ circumſtantiæ morbum concomitantes , docuerunt , non omnimode Galenica via exarata phænomena explicari , & æquas indicationes erui poſſe , pro certo habuimus. Hinc ad Helmontianum Gas , ad Archeum irritatum , ad alkali cum acido efferveſcentiam , ad gaſtrici ; & pancreatici ichoris fermentantem miſcellam , ad naturæ conamen , materiæ morbificæ exterminationem in Ægri ſalutem omni ope molientis ; denique ad motum aſymmetrum mixtionis elementorum maſſæ ſanguinis tranſitum fecimus (1). Verum enimvero cum omnes hi febriendi , & febris explicandæ modi quodammodo fluida a naturali craſi abſcendentia præcipue reſpiciant , non adamuſſim caſui noſtro , & morboſis explicandis cauſis apta nobis viſa ſunt. Etenim ſi in ventriculo , & meſentericis viis noxia acida latebant , imo adhuc latet amurca , cur tot humectantibus , totque ſpecificis , & moderate extorſoriis pharmacis diluta , & exterminata non fuit ? Si ſanguis , & quælibet ipſius principia a ſtatu naturali aberrant , ita ut inteſtino motu peccans ad tarditatem , aut velocitatem inclinet, cur tot remediis nulla unquam quies in liquidis , nulla criſis fuit producta ? cur , ſi in ſanguine , & cum ipſo circulantibus fluidis , quinimo ab ipſo exeuntibus (*omnia* enim *unum*) labes eſt , urina ſedimine non oppletur ? cur ad emunctoria , ad cutim , ad fauces , ad cetera omnia excretiones non corrivant? cur extra acutas , jamque explicatas exacerbationes , viribus pollebat , non admodum excarnis , non enervis , ita ut ſanam ſe dixiſſet , niſi Medicus , & remota morbi ſenſatio eandem ſubjectam tenuiſſet ? Si demum in ſanguine , & humoribus , cur extra acutas periodos , per menſes febricula eundem ſemper ordinem ſervavit , quinimo , & dum hæc ſcribo , ſervat , abſque ulla

(1) Ad febris etymologiam , originem , & ſymptomata quod attinet , videnda eſt diſſertatio Romæ , & Neapoli expenſis Bernardini Geſſani , nuper ſcilicet 1740. cuſa .

exacerbatione? Profecto ubi humores vel fermentatione, vel miſcella peccant, neceſſe eſt, ut promiſcue ſe prodant ægrotantis naturæ phænomena, atque ab hac, vel illa circumſtantia, & afficiendi modis lumen tandem pro curatione inſtituenda coruſcet.

His omnibus pro veris habitis, ubinam pertinacis chronicæ febris ſedes ſtatuetur? Fateor lubens, me ſupra exaratas liquidorum effervescentias, tanquam vel cauſam, vel eſſentiam hujuſce febris exſibilaſſe; ſed negare non poſſum, unicæ bili, ejuſdemque particulis, ſui juris nimis factis, tot fortaſſe ærumnas eſſe referendas. Cum enim ipſa in hoc microcoſmo dominatum habeat, & per totum ægritudinis curriculum, nunc concocta, nunc flava, nunc cruda, nunc aliis mixta fœcibus per imos tramites exierit, & occaſione paroxyſmorum undique in immenſam quantitatem exundaverit, non poteſt, quin tunc totum corpus infecerit, & ſi morbus non eſt domitus, etiam nunc inficere poſſit, ſimulque fateor, ab hoc præcipue fonte medica noſtra tentamina uſque in præſens eruta, & in uſum poſita fuiſſe.

Sed penitus non acquieſco, iterumque hæreo incertus, Vir humaniſſime, num ulterius aliquod ſolidorum vitium lateat. Id enim maxime ſuadere videtur pertinacia morbi ab adhibitis remediis in pejus ruentis, obtentaque olim quies ab uſu opiatorum, oleo amygdalarum dulcium, & china china, quæ fere ſemper morbum non curant, ſed incantando placant; ex quo fit, ut ſolida, & fibræ omnes, ſi vitium habent, ad oſcillationis motum faciliores evadant. Anſam huic noſtræ aſſertioni dederunt extiſpicia, totque obſervata ab Anatomicis vitia, ſignanter in multis, ubi dum vivebant, & ægrotabant inter Adſtantes Profeſſores ad ravim uſque de medicis doctrinis diſputatum eſt, nunc bilem, nunc ſanguinem ſuſpectum habendo, quando morbus a vitiata organorum ſymmetria pendebat.

Idcirco numquam penitus excluſa liquidorum, & præcipue bilis dyſcraſia, putarem & in caſu noſtro ſolida minoris uſus (nulla enim hactenus pulſuum intermiſſio, inæqualitas, quæ prope cordis thalamum vitia latere oſtendant) hoc eſt, præcipue circa ventriculum, pancreas, meſenterium, & hepar, vel laxitatem, (ſed illa ætas non eſt), vel potius rigidam duritiem, criſpaturam, ne dicam ſiccitatem, contraxiſſe; ideo-

que

que impedito periſtaltico, circumpreſſorio ſcilicet, canalium motu, mox fatiſcente fibrarum, & contractilium villorum vi, nec pari momento, & lege liquidorum motui vivis reſpondentibus tubis, pereat æquilibrium, febris perſeveret.

Num autem præter hæc, jam nimis obvia, & frequentia, mala inſit viſcerum, & ſolidorum proportio, ita ut vel canales infarcti, coeuntes, compreſſi, uno verbo, varicoſi, & hydatide laborantes, aut obſtructi, & clauſi liquidorum commeatum difficilem reddant, aut cum violentiſſimorum paroxyſmorum productione penitus intercipiant; vel ſuccreſcens polypoſa caro, vel aucta glandularum congeries, vel quodcumque aliud extraneum alicui canali adhærens, aut circa fellis folliculum, aut in ipſo productum impedimentum, & circuitum, & ſeparationes retardet, & per invios, & præternaturales locos liquida ire cogat, dubitandum non eſt; cum tot enata phænomena etiam a ſolo, ſed diverſo bilis itinere, & exaltatione pendere probabiliter poſſint.

At inquies fortaſſe: quid ergo agendum eſt? Agendum, ut morbus ſemper magis noſcatur, *ſi morbi cognitio primus gradus ad ſalutem eſt*. Hujuſce enim epiſtolæ finis non fuit, ut immenſam remediorum ſtruem, quod nonnulli faciunt, hinc inde raptam, tibi apponerem, multoque minus te docerem, quem conſulere, & venerari glorior; ſed potius, ut animum adderem, & incitamentum, quo ſimul ad majora, ad ſcientiam ſcilicet de præſenti morbo, properemus. Age igitur, perge, & elucubrare ne deſinas: & ſi tibi lubet, quando patrios redibis ad lares, in Medico-Phyſicorum Diatriba, quam nunquam ſatis laudato conſilio, ad Medicinæ cultores optime inſtituendos, nuper domi ſuæ erexit Nobilis Vir Aloyſius Garbellus Sodalis noſter, & dudum Collegii Medicorum Prior, moleſtum, atque arduum caſum excutiendum propone. Videat urbs, videat amica Patiens noſtra molimina; atque in difficillima arte, niſi quod volumus, ſaltem quod poſſumus, grati & ſolliciti præſtemus. Meæ interim tu parce prolixitati, & ſcias, me nunquam ea, quæ tibi grata erunt, prætermiſſurum. Vale.

Brixiæ 3. Auguſti 1740.

ERUDITO, ET SAPIENTI VIRO

GASPARO CUCCHO

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

EN tandem aliquando, doctiſſime Cucche, Diſſertationes Medico-Phyſicas ad umbilicum perductas, quarum huic epiſtolæ adnexum exemplar in obſequii teſſeram humillime tibi ſiſto. Quamvis enim præteritis diebus de fato, deque te ipſo ſummopere conqueſtus ſim (momento enim temporis tuum audivi verſus Brixianam urbem adventum, & deceſſum, quin oretenus potuerim antiquæ noſtræ amicitiæ fœdus confirmare, & de te, cariſſimo hoſpite, convictando gaudere) attamen poſtquam dolens animus, rationibus aditum permiſit, tuaſque ſalutationes Nob. Comes Bevilaqua Lazizius nobis porrexit, & poſtquam in mentem venit, te eſſe magni nominis Medicum, ideoque in patria tua urbe a tot Ægrotantibus fortaſſe expectatum, paulatim me cohibui, artis potius noſtræ conditionem deplorans, in qua qui magis ad ſciendi apicem pergunt, tanto magis a commoditatibus, & interna pace diſtant, adeout vix ſciamus, quæ optanda ſint. Hiſce propterea de cauſis indignatio, quam de te nimis cito abeunte concepi, penitus ſoluta eſt, nihilque aliud ſupereſt, niſi ut comiter munuſculum noſtrum ſuſcipias, & ſubſecivis horis perſpicere ne graveris, juſſibuſque, & mandatis tuis noſtræ expectationi ſatisfacias. Vale.

INDEX

INDEX RERUM.

A

ABortiendi proclivitas . Pag. 97.
Abortus cauſæ . ibid.
Abſynthii decoctum curat luem veneream. 71.
Academicus Medicorum congreſſus in domo Nob. Viri Aloyſii Garbelli . 275.
Acceſſiones veſpertinæ tabidorum . 129.
Accipiter in oleo ſuccino decoctus, & inunctus ſuffuſionem , & caliginem diſcutit . 235.
Acetum , & vini ſpiritus in ſcirrhis non adhibenda ſunt . 39.
Acori ſemen curat luem veneream . 74.
Acrimonia liquidorum quomodo corrigenda. 78.
Acta Academiæ Regiæ Pariſienſis referunt caſum concretionis glandularum inteſtinum jejunum penitus obſtruentis . 172.
Acta Germaniæ mentionem faciunt ventriculi penitus ſcirrhoſi . 172.
Æger cuncta , quæ ſcit , circa morbi cauſas Medico narrare debet . 26.
Ægrorum error in optandis refrigerantibus. 29.
Ægri ab intruſione catheteris abhorrent. 198.
Aer ſelectus epilepſiam curare poteſt . 21.
Aer ſeptentrionalis noxius Aſthmaticis . 117.
medicatus in Aſthmaticis . 122.
quomodo faciendus . ibid.
ex balſamo *Mecca* . ibid.
Aeris ſelectus in tabidis . 142.
ſubtilitas in pectoris morbis vitanda. 133.
Ætas Aſthmaticorum . 117.
Affectus pruriginoſus . 222.
Alimentorum deſcenſus præpeditus . 171.
Alkalia utrum cancrum curare valeant. 151.
Alliot ſine ferro cancros curabat . ibid.
Pariſiis accitus . ibid.
Allium fœminarum ſecundas evocat . 87.
Alpago Antonius Medicus Patavii laudatus. 77.
Alaudæ utrum noxiæ . 180.
Alvus lubrica a calculo præſervat . 179.
Amarum os ſignum futuri cancri . 150.
Ammoniacum utile in affectu Aſthmatico. 124.
Anglica avena , vulgo, *pilata d' Annover*. 136.
Anglicum ſal in iſchiadicis laudatum . 160.
Ani ſphincter morbo laborans . 215.
Annulus ſympathicus . 248.
Antyſtericum Macoppe . 91.
Apnoea in comitialibus facilis . 10.
Apoplexia in hemiplexiam deſinens . 1.
affectæ partes fricandæ . 2.
oleum ruthaceum , & de capparibus partibus ſyderatis aptandum . 3.
unguentum ſaponis . ibid.
Apoplexia , balnea calentia utilia . 3.
a flatibus . 6.
purgantia adhibenda . 3.
ſutura coronalis quinta eſſentia roriſmarini tangenda . ibid.
pinguedo muris montani utilis . ibid.
aqua ſtibio confecta laudatur . 4.
cornacchini pulvis . ibid.
mixtura Langii antipopletica . ibid.
abſque pulſus mutatione . 5.
Apopletici inſultus ab antiquis tibiarum ulceribus exſiccatis . 139.
Aqua antimonialis in impetigine . 32.
ad curationem luis Gallicæ . 63.
lactis in febre hectica . 126.
Aquarum Maſini potus . 97.
montanarum qualitates . 133.
Aquæ minerales in affectu pruriginoſo laudatæ . 223.
deſtillatæ ex catellis in ſcirrho . 39.
Patavinæ in Aſthmaticis . 112.
Arcanum ad curandam iſchiadem . 160.
Fulvii Gherli pro curandis ſcrophulis a Vallifnerio Auctori ſignificatum. 42.
Stephens pro ſolvendo calculo . 139.
Arena maris in hydropicis laudatur . 112.
Aretæi ſigna Tabidorum . 128.
Ari radix magnum ſtomachicum . 111.
Arnaldi de Villanova remedium in epilepſia. 18.
Articulatio nova admirabilis in fracturæ loco nata . 208.
Aſthma . 111.
cauſæ aſthma irritantes . 112.
partim ſiccum , partim humorale . ibid.
noctis tempore ſævit . ibid.
Patavinæ aquæ in illius cura laudantur. ibid.
curatio quomodo inſtituenda . ibid.
lac ſuſpectum . ibid.
decoctum utile . ibid.
herbæ in Aſthmaticis adhibendæ. ibid.
ſanguinis miſſio ex ſedalibus venis laudatur . ibid.
errhina laudantur . 113.
quando ex convulſione, quid agendum. 114.
emulſiones adhibendæ . ibid.
Aſthmaticus ſequatur bubulcum neceſſe eſt . 115.
boli utiles in Aſthmate . 116.
quando ſæviat . 117.
diuretica utilia . 123.
remedia Aſthmaticum affectum curantia . 124.

Aſtruc Joannes Gallus de Auctore locutus eſt . 76.
Atrabilis micta . 244.
Avanzini Joſeph Florentinus Lectionem Academicam de origine Fontium Auctori miſit . 166.
Auctores, dum vivunt, propria opera corrigere deberent . 60.
Auctoris methodus in curandis carunculis, & fiſtulis urethræ, quando laudanda . 59.
quando ſuſpecta . ibid.
ejuſdem methodus in præſcriptione curationis ulcerum antiquorum . 139.
Auctor ſuper difficili caſu ad ſcribendum excitatur . 53.
Auguſtinus ſe retractavit . 60.
Avicenna, & Galenus mercurio non utebantur . 70.
Auris ulcus . 43.
ex contuſione . ibid.
curatio quomodo facienda . 44.
Auſter mille damna infert . 167.

B

BAlnea calentia in apoplexia laudantur. 4.
in Aſthmaticis utilia . 112.
Baſciocchi Dominicus laudatus. 207. 221.
Bello Antonius laudatus . 218.
ejuſdem methodus in curandis ani fiſtulis, Venetiis oretenus Auctori propoſita, ſuſpecta . ibid.
Belloſte pilulæ . 62. 174. 210.
Belzoinum in Aſthmaticis . 122.
Berzi Franciſcus laudatus . 218.
quædam ipſius non probata . ibid.
Bertaldi pilulæ ad curandam luem veneream. 52.
menſtrua educunt . 87.
Betonicæ folia oculorum morbis utilia. 237.
Betulæ ſuccus in fluore albo laudatus. 115.
Bezoartica in apoplexia . 4.
Bezoarticum joviale in affectibus hyſtericis. 99.
Bilis interdum apoplexiæ cauſa . 1.
particulis nigris ſemper ſcatet . 244.
longæ febris cauſa . 274.
variæ metamorphoſes . ibid.
Bombycum ſericum, arcanum curativum in epilepſia . 21.
Borghettus Petrus laudatus . 245.
Bougeaille aquæ calculum ſolvunt . 187.
Boyle curat fluorem album vitriolo. 178.
Briſianus Hieronymus Medicus Brixienſis. 159.
Brixiani ubi degere debeant ad ſalutem comparandam . 20.
æſtivis temporibus copioſe tranſpirant. 269.
Brixiani aeris conſtitutio . 166.
Brixianæ conſtitutiones annorum 1648. & 49.
a Hieronymo Ochi deſcriptæ . 167.
Conſtitutio altera, quæ anno 1730. graſſata eſt . 269.
Brixianorum ſanguinis conſtitutio . 269.
Buffinus Joannes Andreas Caſtelli Brixiani Chirurgus laudatus. 102.

C

CAchexia . 119.
Cadaveris ſectio Patavio executa, docente Clariſſimo Morgagno . 22.
Calzavelia Medicus Brixianus ſcripſit de uſu theriacæ . 140.
Callus in fiſtulis ante ſectionem corrodendus . 217.
Calomelanos in Aſthmaticis . 124.
in lue venerea . 71.
Camphora utrum in ſcirrho adhibenda. 39.
Canes cruſtoſum habent ſanguinem . 264.
Cancer in utero . 148.
Sartan Arabes dicunt . 149.
indicationes in canceroſis affectibus exequendæ . 149.
remedia interna . 149. 151.
Quomodo exſcindendus . 150.
Capſula lignea in fractis ſuſpecta .
Cancro quomodo ſuccurrendum . 42.
Carvus curat ædematoſos affectus . 120.
Caruncularum in urethra curandi modus. 58.
Caſſetti Jovita Chirurgus Brixianus . 42.
Cataplaſma iſchiadicis utile . 163.
Catechu ſtomachi fibras roborat . 84.
Catheteris uſus periculoſus . 198.
Catellus Melitæus in obſtructionibus viſcerum utilis . 220.
Cauſa uterini fluoris . 90.
abortus . 97.
Cauſæ ſanguinei ſputi . 135.
apoplexiam producentes . 1. 4.
ubi lateant . 5. 24.
Cauterium actuale interdum adhibendum. 137.
rationes . ibid.
ſuſpectum in ſanguinem vomentibus. 135.
Cephalalgia mercurio curata . 49.
Cephalica in epilepſia . 13.
Cerebrum lapidefactum . 188.
Ceratum in ſcirrho . 39.
Cereviſia Germanica . 87.
in morbis ſtomachi laudatur . 108.
Chalybeata in apoplexia laudantur. 4.
in acrimonia ſanguinis . 81.
in chloroſi, ſeu febri alba . 104.
curant affectiones hiſtericas. 99. 102.
ſpiritus vivificant . 175.
China china quando ſuſpecta . 24.
caute Brixiæ adminiſtranda . 271.
curat hyſtericas . 102.
per os ſumpta gangrenam curat . 25.
ſi febrem non ſanat, damna nō producit. 25.
quæ animadvertenda circa illius uſum. 26.
in morbis chirurgiæ ſubjectis ſuſpecta. 26.
ejus uſus in febre habituali . 126.

Chirur-

Chirurgiæ operationes in ulcere auris . 45.
Chirurgorum error in affectionibus cutis. 33.
Cœna an prandio major esse debeat . 115.
Cochiæ pilulæ in curatione luis venereæ. 73.
Colluvies serosa in abdomine retenta . 171.
Collyria ex ære, & nitro in affectibus oculorum . 48.
Claudicatio . 161.
remedia . 122.
Claudus ad milliaria incedit . 202.
Climatis mutatio morbos facit . 98.
Cogrossius Carolus Franciscus Professor Emeritus Patavinus laudatus. 123. 101. 246.
Coldonenses aquæ . 14.
Commodus Imperator a Galeno vulgare remedium petiit . 209.
Conceptus in Tuba Fallopiana . 101.
Contagium Gallicum quomodo a Macoppe nuncupatum . 50.
Convulsivis affectibus quomodo succurrendũ. 86.
Conserva utilis in epilepsia . 8.
in raucedine . 31.
Cordis palpitatio . 65.
Cornacchini pulvis in apoplexia a Lancisio laudatur . 4.
Corpora ante apoplexiam præservanda . 6.
Corporis plenitudo . 32.
Couphè in affectionibus ventriculi a Macoppe propositus . 109.
Crurum ulcera Podagricis utilia . 136.
Cucchi Gaspar laudatus . 125. 276.
Cucurbitula bis in occipite scarificata apoplexiam curat . 2.
Cura epileptici . 18.
Cutaneæ affectiones non repercutiendæ . 33.
earum distinctio . ibid.
quando curandæ . 34.
Cutis impetigo . 27.
interdum a causa interna . 28.

D

DArfienses aquæ in valle Camunorum Brixiani Agri . 36.
Decoctio in affectione Hysterica . 99.
Decoctum in acrimonia sanguinis . 79. 81.
in fluore albo . 91.
Macoppe in morbis ventriculi . 109.
Sancti Ambrosii curat luem veneream. 75.
in asthmaticis . 112.
in hydropicis . 120.
in febre hectica . 127.
Septalii in tabe . 128.
in emaciato . 136.
in phthisi . 143.
in fluore albo . 157.
in ulcere vesicæ . 196.
Vvulnerarium in ulcere auris . 44.
pro balneo adhibendum in apoplexia. 3.
in epilepsia . 9.
Dejanenses acidulæ . 133.
Destillatum ex vegetabilibus in tabido. 133. 136.
in dolore nephritico . 179.
in asthmate . 119.
in oculorum morbis . 236.
Diabeticus fluxus in Ægypto . 190.
Vide urinæ profluvium .
Diabetes feliciter curatus . 192.
Dialysis in sanguine effectus . 251.
Difficultas in adhibendo mercurio, in quo consistat . 72.
Diuresis in asthmaticis utilis . 119.
Diuretica . 31.
in morbis urinæ vitanda . 188.
Dolor interdum nullus in luxato . 201.
Dolores pacat ceratum ex torpedine. 157.
a lue venerea lenit oleum ruthaceum. 51.
hypochondriaci . 168.
Donati Marcelli opinio circa causam apoplexiæ . 4.
Donzellinus Hieronymus Med. Brixianus. 157.
Durities sub maxilla medio arcano feliciter soluta . 43.

E

EBrietas causa mortis . 8.
Effumationes in Ægrorum cubiculis instituendæ . 141.
Emeticum in affectione hysterica . 93.
in asthmaticis non adhibendum . 112.
Emplastrum ex alliis ruptorium . 138.
tabaci in hydropicis . 120.
Endemica constitutio, quæ Brixiæ grassata est anno 1730. 164.
Enulacampana in asthmate . 124.
Epileptici affectus descriptio . 7.
Epilepsia ex vino . ibid.
symptomata . ibid.
tempora curationis . ibid.
diæta in epileptico quæ. ibid.
remedia . ibid.
a nimia ingluvie . 10.
symptomata . ibid.
a carie cranii . 72.
ab utero . 80.
Epileptici muti fiunt . 1.
Epilepsiæ signum . 11.
Epileptici cadaver sectum . 22.
Equi saliva tabidis utilis . 132.
Erysipelas tangendum pluries non est . 34.
remedia irrita . 35.
ejusdem distinctio . ibid.
solvuntur objecta . ibid.
quando sanguis mittendus . ibid.
Errhina in apoplexia laudantur . 3.
Errores in medicina facienda . 60.

F

FAita Thomas, dum viveret, Auctoris amicus . 231.
Fallopii Tuba . 101.
Febris lenta in Adoleſcente . 23.
continua in aſthmatico . 114.
quid efficiat . 271.
variæ circa eandem opiniones . 273.
lenta cum macie . 133.
Femoris fractura . 198.
Capſula lignea in fractis ſuſpecta . ibid.
fracti caute movendi . 199.
partis affectæ tumor . ibid.
cauſæ . ibid.
Fiſtula urethræ . 58.
in ſcroto, & perinæo . 211.
ejuſdem cauſæ quomodo avertendæ. 219.
curationis methodus . ibid.
mechanico-anatomicum partis affectæ examen . 213.
remedia . ibid.
ferrum adhibendum eſt . ibid.
examen faciendum, ut morbus noſcatur . ibid.
Inſtrumentum a Paræo deſcriptum, & curationibus faciendis aptum . ibid.
Fiſtula ani . 215.
methodus noſcendæ fiſtulæ . ibid.
non unguentorum farrago, ſed Chirurgi manus, & ferrum eaſdem ſanat. 217.
callus ante ſectionem corrodendus. ibid.
totus ſphincter non ſecandus . ibid.
ſectio adaperta tenenda eſt . 218.
nova methodus pro curandis ani fiſtulis . ibid.
utrum curari debeant . 219.
Flatus interdum apoplexiæ cauſa . 6.
Fluor albus uterinus . 88.
remedia fluorem curantia . 175.
lac utile . ibid.
caute adſtringentia adminiſtranda. 176.
ſpecifica ſuſpecta . ibid.
ſuffitus . 177.
Fluxum uterinum ſiſtens remedium . 175.
Fœces ſtercorariæ per apertum lateris abſceſſum exeuntes, Ægra ſanata . 211.
Fœminæ potius propriæ venuſtati, quam proli conſervandæ ſtudent . 97.
Fœtus monſtroſus in tuba conceptus . 101.
Fogarius Joſeph Medicus Brixianus . 42.
Fomentationes in aſthmaticis . 121.
Fomentum tabido aplicitum . 132.
Fonticuli interdum utiles . 156.
P. Fortunatus a Brixia Ordin. Minor. Ref. laudatus . 173.
Fracaſſinus Joannes Maria Medicus Veronenſis laudatus . 127.

G

GAlantus Petrus Medicus Brixianus laudatus . 244. 245.
Galeardus Paulus Canonicus Brixianus laudatus . 167.
Galli luem Veneream dicunt Parthenopeam. 70.
Galeni opinio circa epilepſiam . 14.
Gallica lues, vide venerea lues .
Garbellus Philippus Pontiſvici Abbas laudatus . 231. 237.
Garbellus Aloyſius Medicus Brixianus laudatus . 181. 275.
Gargnani felix aer . 98.
Gibbi ex aſthmate moriuntur . 124.
Gingivis affectis quomodo ſuccurrendum. 79.
Gonorrhææ remedia . 73.
purgantibus interdum utendum . ibid.
Gravidarum hyſterica affectio . 101.
Guadaneus Joannes Paulus Medicus Brixianus laudatus . 210. 255.
Guadaneus Franciſcus Med. Brix. laudatus. 43.
Gulæ partes in raucedine læſæ . 29.
ulcus quomodo curandum . 73.
Gutta ſerena . 47.
Gutturis tumor . 85.

H

HÆmorrhagia ſanguinis per nares cutaneo affectui utilis . 28.
Hectica febris . 124.
cauſæ, indicationes, remedia . ibid.
Hæmorrhoides in epilepſia utiles . 21.
ſuppreſſas tabaci placenta excitat. 39.
ſuppreſſis, ſcirrhus in lingua . 36.
in iſchiade aperiendæ . 160.
dolorificæ . 214.
Helleborum album in affectibus cutis. 33.
Hemiplexia quomodo producatur . 2.
curatio, & remedia . ibid.
Hepatis morbi . 242.
ſcirrhoſum, tuburculoſum, glanduloſum. ib.
ejuſdem tumor per os ſuppuratus. 245.
ejuſdem ſubſtantia per os excreta. ibid.
Herbæ antimelancholicæ . 63.
Herpes in capite . 50.
Hippocrates ſe retractavit . 60.
apoplecticos fortiter purgabat . 3.
Hippocratis quoddam non probatum. 163.
Hirudines venis ſedalibus applicitæ pro curanda apoplexia . 2.
non aptandæ emaciatis . 135.
Hirudo ſemel in menſe adhibita . 30.
Hiſtoria Academiæ Regiæ Pariſienſis refert fontem utiliſſimum pro ſolvendis calculis in corpore humano . 187.
demortui ab inunctione mercurii. 69.
Hollandi lumbagini ſubiecti . 158.
Hydrocephalon in ſubſtantia cerebri . 120.
Hypochondriaca affectio in aſthmatico. 119.

Hypo-

Hypopyon in oculo ex cauſa Gallica . 27.
Hyſterica paſſio . 94.
ſymptomata , indicationes, curatio. 95.
pacativa . ibid.
ſanguinis miſſio primum remedium. 99.
ordo in curatione ſervandus . 100.
remedia . ibid.

I

JEcoris pars ſecta, Ægro ſupervivente. 243.
Impetiginis cauſæ . 30.
interdum diureſis promovenda . ibid.
Indicationes pro curanda apoplexia . 4.
in epilepſia . 8.
in hydrope . 120.
in acrimonia ſanguinis . 81.
in tabido . 133.
in melancholico mulierum affectu. 86.
Inflammatio capitis . 23.
Injectiones in ulcus auris . 45.
Inteſtinum penitus infarctum , & obſtructum . 172.
Inunctiones in aſthmaticis . 112.
Jovis Bezoar laudatus in curatione hyſtericarum . 102.
Iſchiadicus dolor . 159.
remedia . 160. 162.
balnea cum formicis . ibid.
bethæ ſuccus prodeſt . ibid.
remedia ſecundum Hippocratem. 163.
externa . ibid.
Æginetæ . ibid.
Juniperus curat luem veneream . 74.
Jubaba cortex in aſthmate laudatur . 114.

L

LAc in aſthmatico ſuſpectum . 112.
palmarium in morbis pectoris remedium . 143.
cum mineralibus aquis ſumptum . 31.
in morbis ſtomachi laudatur . 108.
ejus ſerum in impetigine . 32.
tigrinum . 138.
Lactea diæta . 143.
in fluore albo . 175.
Lacti præmittendus pulvis Baglivi . 89.
Laccæ tinctura ad gingivarum vitia . 78.
Lancellotti pilulæ . 30.
Lanciſius libellum meditabatur de non curandis humani corporis ægritudinibus . 139.
Langii mixtura antipopletica . 4.
Lapides bene multi in cyſti fellea reperti. 243.
ut in corpore colliquentur . 180.
quomodo ad renes deferantur . 177.
cibus alaudarum utrum nephriticis ſuſpectus . 180.
lac coctum cum theè utile . 179.
parti affectæ quæ remedia . 180.
perſicaria primarium remedium . 179.
Lapides dum ſunt in corpore molles. 188.
corporis motus calculos deſcendere facit, & morbos in urinæ viis auget . 178.
Vegetabilia nephritidi medentia . 180.
ſigna diagnoſtica calculoſæ affectionis. 187.
aquæ Milzanelli utiles in nephritide. ibid.
alvus lubrica prodeſt . 179.
arcanum pro ſolvendo calculo . 189.
laxandum eſt . ibid.
Lapſana elixa in affectionibus hyſtericis. 101.
Laudanum in morbis pectoris quomodo adhibendum . 143.
utrum in hecticis &c. & ſequentibus . 127.
Lavizarius Petrus Angelus laudatus . 210.
Lemery tinctura martis aperitiva . 86.
Leprottus Antonius Clementis XII. Archiater laudatus . 238.
Liguſtri ſuccus ulcera venerea ſanat . 69.
Linguæ ſcirrhus . 37.
papillæ . 38.
Lingua flavis veſtigiis cooperta . 82.
ita & ſtomachus . 83.
Lippitudinem ſolvit venæ ſectio . 47.
Literarii commercii utilitas. 231. 268.
Literati oculorum imbecillitati obnoxii. 237.
Lithontriptica in paroxyſmo obſunt . 189.
Lotii exitus per vias breves . 185.
Lucenſes aquæ in oculorum affectibus . 49.
Lumbago . 152.
hæreditaria . ibid.
ex liquore genituræ. ibid.
ex melancholia . 153.
a partium ſoliditate . ibid.
a ſemine genita . 158.
iliaca , aut cholica paſſio lumbaginem producit . 154.
remedia . 157. 158.
ſanguinis miſſio . 158.
Luſitanus Zacutus vidit Ægrum toto tempore vitæ ſuæ urinam nigram mingentem. 244.
Luta Divæ Helenæ in apoplexia laudantur. 3.
Luxatio pedis . 200.
luxationis modi . 201.
nullus interdum dolor . ibid.
Luxatis quid contingat . 203.

M

MAcoppe Alexander Profeſſor Primarius Patavinus laudatus . 50. Vide 66. 79. 82. 90. 108. 167.
Maffejus Marchio Scipio laudatus . 137.
Magneſia alba in canceroſis affectibus laudatur . 148.
Magnolus e Burno Medicus Brixianus . 126.
Malagma ex ſtercore caprino Oribaſii in affectis ex hydrope artubus utile . 120.
Malpighius docet, podagram eſſe promovendam . 138.

Malpighius ſcripſit de polypis cordis . 253.
Mammarum tumores, ſuppreſſis menſtruis, augentur . 146.
Mammæ tumor utrum canceroſus . 145.
benignus . ibid.
Mandini Pompejus Chirurgus Brixianus laudatus . 170. 211.
Martiales aquæ in affectionibus ventriculi. 109.
Martis tinctura tartarea laudatur in epilepſia . 8.
Maſini aquæ in affectu hyſterico . 99.
Mazinus Joannes Baptiſta Brixianus, Profeſſor Patavinus laudatus . 37. 182. 210.
Mazzuchelli Comes Joannes Maria Brixianus laudatus. 200. Vide Præfationem.
Medica in re quid optandum . 60.
Medicæ artis conditio . 276.
Medici quid agere deberent . 166.
quæ ſciunt reticere non debent . 45.
gaudent, & ſibiipſis gratulantur de curationibus mercurio præcipue executis . 70.
in propria regione aeris conſtitutionem examinare deberent . 247.
Medicinæ finis . 141.
Medicorum error in curatione eryſipelatis. 34.
Mel Hiſpanicum in aſthmate . 114.
Melancholica affectio quomodo curanda. 84.
aquis mineralibus . ibid.
cum lue Gallica in viro &c. 107.
ubi incipiat . 109.
ſymptomata . 82.
Melancholici facile atrabilares . ibid.
ſanguinis effectus . 62.
Membranarum cerebri flaccíditas epilepſiæ cauſa . 22.
Menkenius Otto Fridericus in actis Lipſienſibus dignam mentionem facit epiſtolarum Andreæ Paſtæ . 256.
Menſtrua promovet conſerva borraginis. 86.
Menſtruorum imminutioni quomodo ſuccurrendum . 85.
quæ damna ſuſcitentur . 86.
quomodo movenda . ibid.
Mercurius in epilepſia infanrum adhibendus non eſt . 13.
ſalivatio in affectibus oculorum . 49.
dulcis ſuaviter agit . 66.
activitas . 68.
ad annos in corporibus humanis ſubſiſtens . 69.
ſemper ad nocendum aptus . ibid.
princeps remediorum . 70.
admirabilis, & potens in ſuis effectibus . ibid.
ab ipſo quando fieri poteſt abſtinendum. 70.
inunctio ceteris præſtantior . ibid.
rationes . ibid.
ejuſdem particulæ . 211.
Maſſa curabat gravidas . ibid.
Mercurius calculum ſolvit . 189.
concretiones ſolvit . 211.
dulcis in aſthmate utilis . 124.
poſt mercurii uſum, quæ agenda. 76.
Methodus nova pro curandis ani fiſtulis . 218.
Methodus Auctoris in curandis crurum plagis . 139.
Milii in lacte cocti cataplaſma in ſcirrho. 39.
Milzanelli aquæ in agro Brixiano ſcaturientes, quibus viribus polleant . 134.
nephriticis utiles . 187.
Minerales aquæ adhibendæ in curatione affectionis melancholicæ . 84.
quando ſuſpectæ . 133.
Mira ingenia in exteris regionibus . 268.
Modus antiqua, & nova explicandi febrem, non ſemper quadrat . 273.
Mola . 96.
Mompianus Hiacynthus Medicus Brixianus laudatus . 207.
Morbi interdum pendent a vitio ſolidorum. 274.
interdum optandi . 138.
plures a lapideſcente bile . 243.
cognitio morbi primus gradus ad ſalutem. 275.
Morborum curatio colchotaris pulvere pertentata . 248.
Morgagnus Joannes Baptiſta in Patavino Gymnaſio Primæ Sedis Anatomicus laudatus. 22. 203. 208. 265.
Motus, & exercitationes in affectibus hyſtericis . 101.
Motus partium quomodo fiat . 1.
in homine utilitates . 4.
Mulieres mammarum cancro ſubjectæ . 145.
Mulierum quærelis non ſemper credendum. 144.
Muris montani pinguedo in apoplexia, quam maxime laudata . 3.
Muſculorum ſerratorum, & levatorum vitium cauſa aſthmatis . 121.
Muſtela ruthæ eſu munita baſiliſcum aggreditur . 75.

N

NArcotica in curatione luis venereæ caute adhibenda . 76.
Narium, & aurium expurgationes in inflammatorio capitis morbo utiles . 23.
Naſturtium Indicum tabidis utile . 143.
Natura morborum medicatrix . 139.
ne pilum quidem in cicatrice incluſum pati poteſt . 266.
Navigatio in tabidis utilis . 134.
Nephritica affectio : Vide lapis .
Nephriticus dolor cum exitu calculorum. 177.
Nervi convulſi, crus breviatum . 201.
Nervorum debilitati apprime ſuccurrit pinguedo urſi, taxi, & hominis, ſi lubet, cum aqua reginæ Hungaricæ malaxata . 220.
Nicolinus Franciſcus laudatus . 19. 170.

O

OBesitates damnum inferunt . 121.
Obstructionum ratio, & causæ . 209.
remedia . ibid.
Ochi Medicus Brixianus scripsit de Febribus . 145. 167.
Oculorum affectus . 233.
videndi vis imminuta . 234.
causæ examinandæ . ibid.
quæ vitanda . 235.
non semper purgandum corpus . 236.
remedia . 235.
cathartica laudantur . ibid.
lambendi sunt . ibid.
aquæ Lucenses prosunt . 49.
Oedema pedum . 119.
cachexiæ, ne dicam hydropis, signum . ibid.
cura . 120.
Oesophagi contractio . 102.
Omentum arenulis refertum . 183.
infarctum glandulosis concretionibus . 171.
Onori Lælius Chirurgus Brixianus cadaver secat. 171. laudatus . 243.
Opiata mentem serenant . 126.
Organicus morbus pharmacis tolli nequit . 172.
Orientale balsamum pro faciendis suffitibus . 123.
Oris ablutiones in scirrho linguæ . 37.
Ortophnoica pectoris angustia sæviente, laudatur sanguinis missio . 135.
Os aortæ osseum . 15.
Ostrearum usus hecticis saluberrimus . 136.
Oxymel B. Quercetani cur in febri ab Auctore propositum . 26.
scilliticum in asthmate laudatum . 124.
Ozæna . 224.
signa ozænæ . ibid.
remedia . ibid. 225.
Celsus ignem laudat . ibid.
suffitus ozænam curantes . ibid.
a lue Gallica . 225.
arcanum ad curandas ozænas . ibid.

P

PAnacea mercurialis . 49. 71.
Panis nauticus utrum ischiadicis exhibendus . 161.
Papilionis descriptio a doctissimo Viro Philippo Garbello facta . 229.
Paralysis succus in epilepsia laudatus . 19.
Passio hysterica . 101.
Vide hysterica passio .
Pars laxata decurtatur . 200.
Pasta Andreas Med. Bergomas laudatus . 5. 250.
Pastorinus Joannes Baptista Mediolanensis Medicus laudatus . 145.
Patavinæ aquæ in affectionibus hystericis . 96.
Patavini phlebotomias sustinent . 270.
Paternus Bernardinus Salodiensis scripsit de atra bile . 244.
Patinus Medicus Brixianus . 69.
Pedis distorsio . 220.
Pedis pars affecta in plano horizontali servanda est . ibid.
Peoniæ radix in epilepsia . 9.
Perniones erysipelatosi . 31.
causæ . ibid.
Persicaria primarium in nephritide remediū . 179.
Peruvianus cortex in curatione hystericarū . 102.
Phthiseos contagium, & propagatio . 140.
Patavini parum timentes . ibid.
Riverius facillimam propagationem minitatur . ibid.
non semper metuendum contagium . ibid.
quando pertimescendum . 141.
tunc aniculæ capulares adstare debent . 141.
remedia . ibid.
rotulæ utiles . 142.
lac sulphuris . ibid.
Pilulæ specificæ ad curandam luem venereā . 52.
Plebani S. Foscæ . 87.
in hectica febri . 127.
in tabido . 133.
utiles in ulcere vesicæ . 196.
Piso Homobonus in Patavina Academia Practicæ Medicinæ Professor laudatus . 60. 69. 72.
Plagæ in cruribus non semper curandæ . 136.
sed promovendæ . ibid.
Plagæ, hoc est profundi abscessus in abdomine, stercoraceos ichores fundentis, curatio admiranda . 211.
Planerius Quintianus Medicus Brixianus . 75.
Plempius se retractavit . 60.
Pleuritides endemicæ . 164.
Pleuriticorū, & peripneumonicorū sanguis . 258.
Pluda Antonius Medicus Brixianus laudatus . 170. 207. 221.
Podagra laboranti plagæ in cruribus promovendæ . 136.
Polypi in vasis majoribus utrum ante mortem, aut post concreverint . 252.
rationes cognoscendi concretionis tempus . ibid.
quando efformentur . 255.
Pontedera Julius Professor Patavinus laudat . 167.
Porculus lactans in tabidis utilis . 136.
Potulentorum ad renes iter . 186.
rationes . ibid.
Prandium an cœna debeat esse major . 115.
Ptarmica in oculorum morbis prosunt . 137.
Ptyalismus in muliere . 173.
caute mercurialibus promovendus . 178.
Pulli gallinacei contriti cancro medentur . 151.
Pulmonum morbus . 164.
tuberculi . 133.
Pulmo vulpis in affectibus pectoris . 114.
Pulmonicæ labis signa . 131.
Purgantia in apoplexia adhibenda . 3.
Purgationibus humectatio præmittenda . 114.

Purgantia, & vomitoria adhibenda in aſthmaticis . 121.
in macie conſumptis damnantur . 135.
raro pectoris morbis proficua . 136.
ab extra applicita . 179.
curant luem veneream . 75.
delicata . 136.
Puris per os eructatio ab hepate . 245.
per quas vias . ibid.
Pus in urina utrum ab urethra, aut veſica. 55.
Puſtulæ ſupra linguam quomodo curandæ. 82.

R

RAparum decoctum in affectibus pectoris præcipue aſthmaticis laudatur. 114.
Raphanorum ſuccus in aſthmate . 124.
Raucedo in gutture . 27.
Recobarii aquæ in morbis pectoris ſuſpectæ. 133.
Redi lacteam deſcribit diætam . 143.
Remedia apoplexiam curantia . 2.
epilepſiam . 8.
alia magis ſpecifica . 21.
in affectibus hyſtericis . 95.
aſthmaticum affectum curantia . 124.
phthiſim curantia. 141.
ad cancrum . 151.
ad curandam luem Gallicam. 74. 75.
ſanguinis acrimoniam, & ſcorbuticam affectionem temperantia . 80.
externa in affectu hyſterico . 99.
in aſthmaticis . 121.
interna in hecticis . 126.
ſtomachi morbos curantia . 169.
pro morbis oculorum . 233.
Remediorum damna . 36.
Reſpiratio anheloſa ſanguinis miſſione curatur . 112.
difficilis quomodo fiat . 117.
Reſpirationis neceſſitas . 102.
Retia Chirurghus Mediolanenſis . 144.
Roriſmarini quinta eſſentia in apoplexia . 3.
Roſarum conſerva in phthiſi . 143.
Rotarius Medicus Veronenſis laudatus. 6.
Rotulæ admirabiles in phthiſi . 142.
Ructuoſus morbus Hippocratis . 83.

S

SAcer morbus ab obſtructionibus . 16.
Sachetti Hieronymus Medicus Brixianus ſcripſit de podagricis, & arthriticis morbis . 162.
Sal prunellæ in aſthmate . 114.
Saliva dulcis . 82.
Sambuga Antonius Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a Secretis . 238.
Sambuccus in apoplexia . 4.
Sanguis multis abundat particulis . 254.
in cadaveribus ubi magis reſideat. 251.
poſt mortem movetur . ibid.
Sanguinis fluxus proficuus in epilepſia . 8.
miſſio in epilepſia laudatur. 12.
ſpumans venit a pectore . 141.
in hyſtericis non ſemper mittendus. 101.
aliquando mittendus . 99.
in ſtatu etiam naturali quieſcit . 121.
diſſolutus, & coagulatus . 165.
Sanguinem temperantia, & dulcificantia in impetigine . 223.
Saponacea ſtomacho utilia . 169.
Sapores diverſi in virgine . 82.
Scabies interdum promovenda . 138.
Scabies, & impetigo non ſunt morbi . 29.
Scirrhoſa durities perfecte curata . 43.
Scirrhoſi in ore tumoris admiranda amputatio a Pompejo Mandini Chirurgo Brixiano executa . 149.
Scirrhus in lingua . 36.
ejuſdem ſigna pathognomonica . 37.
in quibus temperamentis efformetur. 38.
quando exulcerationi proximus . ibid.
quo tempore fiat . ibid.
emplaſtrum utile . ibid.
cauſæ . 40.
in quo differat a ſcrophulis . ibid.
interdum dolens . ibid.
in cancrum tranſit . ibid.
a Galeno curabatur . ibid.
hiſtoria ſcirrhi ſuppurati . 41.
hiſtoria altera . ibid.
quomodo tractandus . ibid.
tangendus non eſt . ibid.
Scorbutum . 80. 89.
Scriptores præcipui de lue venerea . 76.
Scrophulæ quando curandæ . 42.
arcanum Fulvii Gherli pro curandis ſcrophulis . ibid.
Hieronymi Mercurialis . ibid.
Scytæ lactis potatores nunquam luem veneream paſſi . 74.
Seba Alberti methodus curandæ luis Gallicæ . ibid.
Sebeſten electuarium purgans delicatum. 175.
Serum lactis in mammarum tumore . 146.
Severinus ait, ulcera crurum non eſſe ſananda . 139.
Signa futuri cancri . 150.
Signum primarium affectionis hyſterico-hypochondriacæ. 100. 101.
Simplicia in affectionibus mulierum melancholicis adhibenda . 84.
Solidorum vitium pro cauſa cujuſdam febris penitus excluſum . 275.
Somnus humectat, virtutes omnes inſtaurat. 126.
Specifica ſuſpecta in fluore albo . 176.
oculorum morbos curantia . 235.
in phthiſi . 143.
Sperma ceti utile in aſthmaticis . 116.
Spina celtica urinam movet . 197.

Spu-

Sputum ſanguinis quotannis in ſene nonagenario . 132.
Sputum ſanguinis . 116. 134. 136.
in muliere . 96.
Stibiata aqua in hydropicis . 120.
in uteri fluore a Macoppe proponitur. 91.
Stibium diaphoreticum in aſthmate . 114.
in apoplexia laudatum . 4.
Stidumea hyſtericis affectionibus laborans ab Hippocrate ſanguinis miſſione curatur. 99.
Stimuli in apoplexia aliquando vitandi. 3.
Stomachica juxta mentem Macoppe . 110.
alia . 108. 169. 210.
ſunt calida . 29.
Stomachi morboſa affectio . 169.
ſaponacea utilia . ibid.
Stomachus quomodo roborandus . 175.
Strumæ quomodo fiant . 43.
in ſtomacho repertæ . 171.
Suardus de Suardis Medicus Brixianus laudatus . 243.
Succinus laudatur in fluore albo . 175.
in affectibus hyſtericis . 95.
in affectibus capitis . 24.
Succi depurati in affectibus ſtomachi. 108.
Succus bellidis in aſthmate . 124.
Sudor in apoplecticis vitandus . 4.
in ulcere auris promovendus . 44.
Suffocationes uterinæ . 92.
Suffitus in aſthmaticis . 123.
in lue venerea, quia utilis . 70.
Sulphur mercurii antidotum . 74.
curat luem veneream . ibid.
Sydenham curabat gonorrhæam purgantibus validis . 73.
Symptomata affectionis hypochondriacæ. 85. 92. 96.
hecticæ febris . 125.
Syringa vermicularis quando ſuſpecta . 56.
quando laudanda . ibid.
Syrupus de ſpina cervina in hydrope laudatus . 120.
ex foliis tabaci in aſthmate . 114.
in habituali febre adhibendus . 126.

T

TAbacum apoplexias, & paralyſes producit . 237.
Tabes tertii gradus . 127.
difficilis curationis . ibid.
aeris ſubtilitas vitanda . 133.
Tabidi rheda vehendi . 141.
Indicum emplaſtrum aptandum . 132.
Tamarindi purgant, & corroborant . 138.
Tamariſci doliola in hydropicis . 120.
Tantzo bilis acrimoniam temperat . 94.
Temperamenti pichrocholi ſimilitudo . 25.
Temperamentum ad febrim proclive . 271.
Temperies originaria conſideranda eſt . 97.
Tenſio in abdomine . 208.
cauſæ . ibid.
Tetanus facultates principes lædit . 11.
Tetutii aqua in ulcere veſicæ laudata. 195.
Theriacalis aqua in aſthmaticis . 124.
Thermales aquæ ad temperandam ſanguinis acrimoniam . 81.
Thimiama in aſthmaticis . 123.
Tombinus Bernardinus Medicus Brixianus. 106.
Tonolinus Antonius Chirurgus Brixianus, & majoris Xenodochii lithotomos laudatus. 43.
Tranſpirationis præpeditæ damnum . 65.
Tuberculi pulmonum crudi . 140.
Tumor carcinomatoſus in mamma. 74. 145.
ſcirrhoſo-carcinomatoſus feliciter averruncatus . 140.
ulceroſus . 221. 222.
quando non tangendus . 222.
Tumores in mamma ſemper exiſtimandi. 146.
facile evadunt ſtrumoſi . 147.
canceroſi ſemper palliative tractandi. 148.
in abdomine media ſuppuratione feliciter ſanati . 211.
artuum quomodo reſolvendi . 207.

V

VAlcarengus Paulus Medicus Cremonenſis laudatus . 5. 167. 243.
Valdanius Joſeph Brixiæ olim medicinam faciens . 75.
Valeriana in viſu debili laudata . 237.
Valliſnerius laudatus . 66.
Vaſa ſemen deferentia ubi excurrunt. 153.
Vegetabilia pectori amica . 143.
Vella Auctor Brixianus . 72.
Venæ frontis in epilepſia an incidendæ. 9.
ſectio in inflammatione capitis laudanda. 23.
jugulares ſecandæ in epilepſia . 9.
Venenum Gallicum exprimendum eſt . 73.
Venerea lues cur non domita . 51.
cum melancholia, & doloribus . 61.
gonorrhœa . ibid.
vinum medicatum . 63.
aqua antimonialis . ibid.
Gallico-hectica febris . 65.
non pendet a ſeminum miſcella . 67.
non a phagædenica plaga . ibid.
non ab intrinſeca alteratione . ibid.
non a Tyberis tumefactione . ibid.
leviſſimo contactu contrahitur . ibid.
nunc mitior eſt . 68.
in quibus ſæviat . ibid.
poſt triginta annos recrudeſcit . 69.
in curatione adeſt periculum ſuffocationis . ibid.
eventus infelix poſt inunctionem. ibid.
ſignum luis Gallicæ . ibid.
ſudor quia utilis . 70.

Venerea lues poſt ſalivationèm aucta . 71.
Archibaldi Pitcarnii monitum in luis curatione . 72.
purgantibus gonorrhæa curanda . 73.
ſulphur optimum remedium . 74.
vipera . ibid.
ſaponaria . ibid.
juniperus. ibid.
purgantia . ibid.
cardiaca . ibid.
alexipharmaca . ibid.
theriacalia . ibid.
vitriolum . ibid.
ambra griſea . ibid.
cocheinillia . ibid.
cantharides . ibid.
ſaccharum Saturni . ibid.
arſenicum . ibid.
decoctum Sancti Ambroſii . ibid.
bardana . ibid.
pulvis ex carne bubula . ibid.
ex baccis maturis hederæ arboreæ. ibid.
ptiſana ſudorifera . ibid.
cataputia minor . ibid.
fonticuli . ibid.
antimonium . ibid.
nitrum . ibid.
pilulæ alexiteriæ . ibid.
ex nucleis Indicis . ibid.
rheu Lithuanicum . ibid.
ſyrupus de pomis . ibid.
ruthæ ſuccus . ibid.
narcotica caute adhibenda . 78.
poſt mercurii uſum, quæ agenda ſint. ibid.
Venti aquilonares vitandi . 20.
Ventriculi morbus . 168.
Ventriculus ſcirrhoſus in muliere . 172.
Ventriculi morboſa affectio . 106.
ab uſu viperini remedii quieſcit . 111.
vomituritiones. 108.
cereviſia laudata . ibid.
Veſica ſcabioſa . 193.
Veſicæ lapis . 56.
Veſicantium uſus, & abuſus . 247.
Vinum meracum calidum additis baccis lauri, juniperi, foliis roriſmarini in apoplexia . 3.
calculos producit . 187.
abſtinentia præcipuum in epilepſia remedium . 7.
mictum . 192.
externus uſus in apoplexia . 3.
medicatum in hydrope . 120.
tenue in podagricis damnandum. 138.
medicatum in iſchiadico . 160.
album in iſchiadicis ſuſpectum, contra mentem Hippocratis . 163.
in affectibus oculorum . 47.
Violanti Philippus Regii Poloniarum, & Electoralis Saxoniæ Principis Medicus, & Conſiliarius laudatus . 267.
Viperina in apoplexia laudata . 4.
in affectibus ſtomachi . 84. 109.
in fibrarum laxitate . 86.
in ſene tabido . 132.
Virgine Andreas Brixianus Xenodochii incurabilium Chirurghus . 211.
Virgines magis affectioni hyſtericæ obnoxiæ . 100.
Viri magni interdum ſe retractarunt . 60.
Viri interdum aucta mammarum magnitudine laborant . ibid.
Vita a reſpiratione pendet . 112.
in quo conſiſtat . 256.
Vitra pro medicati aeris ſuffitibus . 123.
Vitriolum in aquis montanis . 133.
martis in morbis cutis ſuſpectum . 139.
Viva, an mortua ſit mulier. 100.
Ulceribus oris quomodo ſuccurrendum . 71. 73. 107.
Ulcus auris . 43.
cura interna . ibid.
cura externa . 45.
injectiones . ibid.
Galeni remedium . ibid.
balſamum Arcæi . ibid.
ſpiritus terebinthinæ . ibid.
ſuffumigia . ibid.
trociſci Andronii pro curatione. 46.
Ulcus veſicæ . 193.
ſigna . ibid.
cauſæ . ibid.
cataplaſma utile . 195.
linimentum . ibid.
ſudores promovendi . 196.
modus . ibid.
pilulæ utiles . ibid.
remedia . ibid.
liquores medicati in veſicam non trudendi . 197.
diuretica vitanda . ibid.
humores alio avocandi . ibid.
cancroſum difficillime operitur . 146.
dyſepulotum . 221.
Ulmus Joannes Medicus olim Brixianus. 146.
Ulmi cortex curat hydropicos . 120.
Unctuoſa in morbis cutis vitanda . 139.
Unguenta in epilepſia . 19.
Vomitus . 106.
tenacis lymphæ . 173.
Vomitum ſedat aqua menthæ . 108.
Vomitoria in morbis pectoris ſuſpecta. 142.
Urethræ ulcus . 54.
Urina potus per quas vias deferatur . 185.
Urinæ profluvium . 190.
cauſæ . 191.
purgandum non eſt . ibid.
lac utile . ibid.

Urinæ profluvii signum . 191.
remedia . 192.
obſervationes . ibid.
quando inſcio Ægroto exit, quodnam ſignum ſit . ibid.
penitus atra . 244.
Urtica curat iſchiadem . 162.
Urticationes in apoplexia . 3.
Uteri cum ceteris partibus conſenſus . 101.
Uterus non ſemper laborat in hyſtericis. 100.
venæ, & arteriæ per uterũ excurrentes. 101.
Vvackerbart Joſeph Comes Cabaleoni Primarius Regii Poloniarum Principis &c. Inſtitutor . 267.

Z

Zona lethalis ex antiquo ulcere cruris ſanato . 139.

FINIS.